




Iacobi Brocardi Mystica et prophetica libri Geneseos interpretatio, quae ante imperfecta, et mendis plena se ignorante fuit typis mandata ab his, qui cognoscendi causâ descripserant: : nunc ab ipso datur emendatior, & auctior, (vt ferunt quidem tempora): perfecta omnia dabit Dominus, perfectis euentis his, quorum partem vidimus. Quae habemus parata in omnes alias Diuinas scripturas, dabuntur deinceps.

<https://hdl.handle.net/1874/428352>



**Dit boek hoort bij de Collectie Van Buchell
Huybert van Buchell (1513-1599)**

Meer informatie over de collectie is beschikbaar op:

<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

Wegens onderzoek aan deze collectie is bij deze boeken ook de volledige buitenkant gescand. De hierna volgende scans zijn in volgorde waarop ze getoond worden:

- de rug van het boek
 - de kopsnede
 - de frontsnede
 - de staartsnede
 - het achterplat

**This book is part of the Van Buchell Collection
Huybert van Buchell (1513-1599)**

More information on this collection is available at:

<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

Due to research concerning this collection the outside of these books has been scanned in full. The following scans are, in order of appearance:

- the spine
- the head edge
- the fore edge
- the bottom edge
- the back board

Kast 106

Pl. L. N^o. 8




22

1

21800000
6000000





N^o 23. C.

N^o 22. i.

Mandatum. xv. q. i. r. i. r.
u. d. m. q. ce. d. c. m. d. c. q. i.

inimus et augy icimus d'woz

IACOBI BROCARDI
MYSTICA ET PRO-
PHETICA LIBRI GENESEOS
INTERPRETATIO,

QVAE ANTE IMPERFECTA, ET MEN-
dis plena se ignorante fuit typis mandata ab his, qui co-
gnoscendi causâ descripserant: Nunc ab ipso datur emen-
dator, & auctior, (vt ferunt quidem tempora): perfecta om-
nia dabit Dominus, perfectis euentis his, quorum partem
vidimus. Quæ habemus parata in omnes alias
Diuinas scripturas, dabun-
tur deinceps.

*Sis tu Christe Iudex, non tu Petri nomine, non tu Pauli nomine,
non tu Apollo nomine: sed tu Christe, inquam, sis iudex in Ec-
clesia tua coacta, in qua amota sint dissidia.*

Rom. 16.

Mysterium à temporibus æternis tacitum patefactum est per
Scripturas Prophetarum.

Is: 49.

Laudate coeli, & exulta terra: jubilate montes laudem: quia
consolatus est Dominus Populum suum.

Item.

Et erunt Reges nutritij tui, & Reginae nutrices tuæ.



Ex domo Brocardi.

· B R E M A E ·

PER THEODORVM GLVICHSTEIN.

ANNO CIO. ID. XXXV.



PIO LECTORI.

SI quis mirabitur, quare mysticam, & Propheticam appellatim interpretatationem quam edo: id habebit in argumento in Genesim: & quomodo utraq; hoc tempore haberi possit. Si qui dubitabunt, ne nouam, ne alienam doctrinam afferam, desinant dubitare: quia Apostolicam tantum tractabo: quod noui fuerit, erit id tantummodo, quod ostendam quomodo Apostolica ubique sumpta sit in Mysticis Mosais & in Prophetis. Qui timent inuouationem, qua futura se ostendit, status mundi: si cupiunt scire, quid sim scripturus, breui habeant. Videbiturum: ordinem & distinctionem personarum futuram secundum munera & dignitates, qua obtinebuntur in utroque statu. Illa erunt noua, pietas maior, iustitia maior, charitas maior erit: uigebit iustitia ait Petrus. Illa erunt noua: qui Principes & Reges suscipient Christum, & eius Euangelium, persistent regnare: pugnantes contra, eicientur. Et hic Principes uideant Psalmum 2. & 101. uideant cap 4. Jeremia, & 58. Isaia: uideant cap. 6. libri Sapientia, quidnam de ipsis statuat hoc tempore Christus. Populares pariter uideant cap 3. & 33. Ezech. quid de omnibus statuat hoc item tempore Christus.

Quid agendum sit cum pauperibus summam habebis cap. 15. Deut. In his potissimum uidetur futura inuouatio apud omnes gentes.

Hac uolui hic proponere propter iudicia, qua solent fieri ante rem cognitam. Ad alia quadam qua in me reprehenduntur, habetur epistola in fine Genesios. item erit Epistola Fabricij Capironis addita libro Martini Celarii de operibus Dei. in qua uolo & ego esse responsum non paucis, qui multis in his, qua profero, aduersantur.

NOMEN CHRISTI

profitentibus. S.



um in prefatione interpretationis mystica, ac Prophetica Sacrorum librorum scribam generatim ad Christianos, Hebraeos, & omnes gentes, qua nunc vocantur ad suscipiendum Evangelium Regni; videor debere ante separatim de meo instituto agere cum populo nomen Christi profitente: ac ostendere me eam interpretationem suscepisse, quod nunc pervenerimus ad illa tempora restitutionis omnium in secundo Adventu Domini, qua Deus (ut ait Petrus Acto. 3.) locutus est per os omnium Sanctorum suorum Prophetarum ab initio: quodq; oporteat haec nunc ob multas causas patefieri omnibus. De hoc ergo instituto, & de his, qua occurrunt, dum interpretatio quadam scripturarum requiritur ob euenta Prophetica, qua nunc conspiciuntur; summam quandam proponam, si prius monebo, quare expositio in Genesim typis excusa in publicum prodierit anno 1580: nec separatim populo Christiano fuerit de ea significatum: & quod prodierit liber non perfectus, atque pluribus mendis refertus. Anno 1573. Heidelbergae illustris quidam Gallus saepe multa a me quaesivit de statu presenti nostro turbulento, quatenus de eo ego intelligerem in Prophetia. post quinque annos abduxit me ex Anglia in Hollandiam. Ibi tum voluit videre, quam scriberem de ipsa Prophetia. tres menses consumpsit Dordrachij in lectione, & in describendo aliqua, qua conferret cum suis in Gallia: post annum redijt in Hollandiam, & Lugduni Batavorum iterum percurrere voluit, quicquid scripsissem: ac majorem partem descripsit ipse sua manu & per alios, eorum, qua inchoata habebam. Ego tum recusavi diu, ne describerentur; tum quod omnia essent imperfecta, tum quod non mihi videbatur adhuc tempus illa in publicum edendi. Verum dum ipse, & quidam minister Verbi instarent,

oportere & alios illa, si bona essent, cognoscere; sin mala, me reprehendi. Tandem permisi, ut partum immaturum, qualem vellent, haberent: præsertim cum viderem ipsum illustrem virum incredibiliter affectum erga illa, quæ sunt Verbi Dei: ac magnam curam gerere conservationis, & unitatis Ecclesiarum. qui & tum, & post fuit mihi pater. Post novem menses discessit in Galliam deferens secum, quæ descripserat; & Apocalypsim, & Leviticum impressos suo sumptu (quos duos libros Magistratus Lugduni Batavorum curaverat examinari per viros doctos) & dum ille absuit, Domini statuum Hollandiæ decreverunt mihi stipendium, quo viverem, dum agerem in Hollandiâ; quibus perpetua debebit à me haberi gratia. In Gallia autem dum scripta communicantur aliquibus, ac per varias manus fuerunt descriptæ, ut inde occurrerint errata; fuit liber in Genesim impressus, & ut apparet etiam sine correctore. Idq; præter voluntatē meam, & me ac Illustri illo Domino ignorante. Hic habeatur: quare liber prodierit imperfectus, & mendis scriptorum plenus, atq; sine præfatione; in qua separatim redderetur ratio Ecclesiæ Dei, ac populo Dei susceptæ scriptiōnis. Ut verò agam de his quæ proposui, requiri nunc interpretatiōne scripturarum, dum fiunt illa in secundo Adventu Domini, quæ sunt restitutionis omnium; summam quandam (ut dixi) colligam eorum, quæ multifariam, & multis modis locutus est Deus in Prophetis. Et hæc quidem apertiora videntur futura, si ordinem rerum denuntiarum simul, & temporum (ut evenerunt, & consecuta sunt) persequar; dum per partes, & variè, & secundum diversa tempora, & multis modis omnia in Prophetis Deus est locutus. Ducam igitur initium ab Osea: quia dicitur, Principium sermonis Domini, sive principio locutus est Dominus in Osea; quod Spiritus Christi cæperit in Osea nuntiare illa de suo duplici adventu, quæ erat narraturus per quatuor, & per duodecim Prophetas. Capite igitur primo Oseæ nuntiatur Christus (qui natus est à Maria virgine Isa. 7.) debuisse nasci in Synagoga meretricanti cum
gen-

gentibus, & dicenti, Non habemus regem, nisi Casarem. Ait
deinde natam filiam, eandem scilicet Synagogam, non creden-
tem predicationi Apostolorum, non consecuturam misericordi-
am, sed fuisse rejectam. Sequitur deinde, Domus Juda misere-
bor eorum scilicet, qui crediderunt tam ex Iudæis quàm ex gen-
tibus, qui post stragem martyrum liberati fuerunt à tyrannis
non gladio, & bello. Natus est post Populus, qui dicitur non
consecutus misericordiam, Papam videlicet, non Christum se-
quendo: ut consequentur credentes in secundo Adventu, quem
admodum consequantur in primo, uti monet Paulus Rom. 9.
25. Tandem in secundo Adventu congregabuntur omnes per-
tinentes ad duodecim tribus; & ponent sibi caput unum Chri-
stum Jesum: quia tunc magnus erit dies Iezrael Filij Dei, qui
in primo Adventu moriebatur. Isaias cap. 42. usq. ad versum
9. narrat primum adventum in humilitate: versu autem nono
usq. ad finem capituli, secundum in virga ferrea. Item cap. 53.
narrat eadem, quæ scilicet passus est Christus in primo adventu:
in fine ait, ipsum cum fortibus divisurum spolia in secundo Ad-
ventu: cuius opus narrat deinceps cap. 54 & 55. in restauratio-
ne Regni, & Ecclesie: quæ narrantur cap. 3. Osee fuisse sublata
per Antichristum. In Ieremia cap 2. queritur Deus cum Eccle-
sia Romana, quòd patres eius, cum fuerint liberati à tyrannis,
à se defecerint, & à sua Lege: ipsa persistat eadem agere, ac con-
iungere se, ut illi, cum tyrannis, etiam dum adest Christus in i-
psius secundo Adventu. Hac eadem sententia, est in Ezechiele
cap. 16. In fine interpretationis nostra in Leviticum, conclu-
sionem libri attulimus: in qua primus Adventus assumitur, &
historia reliqua à primo adventu usq. ad secundum, & opus se-
cundi. Sed in Daniele forsitan erunt ista planiora, dum even-
tis addentur tempora, & hac inter se committentur. Cap. 9. à
ver. 23. usq. ad finem capituli assumit summam sui vaticinij à suo
tempore usq. ad tempus secundi Adventus Domini. Tempus
ponit septuaginta hebdomadarum. In hoc autem spatio tempo-

ris 70. hebdomadarum assumit opera, quae sunt primi Adventus: quae sunt historia à primo Adventu usq; ad secundum: quae sunt secundi Adventus. Tempus à sua Prophetia usq; ad primū Adventum Christi, numerat sexaginta duas hebdomadas: de quo numero, quia agit Divus Hieronimus, non est, ut nos nunc plura dicamus. Tunc nuntiat moriturum Christum, ut nuntiavit Oseas de Iezraële: populum Hebraeum non credentem ejiciendū: civitatem, & templum diruendum. Restant octo hebdomadae: in medio unius ait de situram hostiam, dissipandum sanctuarium. quae futura narrata fuerant cap. 3. Osea. Et haec hebdomada videtur maledicta: & certo modo esse illud tempus, quod maledixit Iob cap. 3. & dixit. Noxilla non sit inter dies anni: in numerum mensū non veniat. Idcirco cum proposuisset Daniel septuaginta hebdomadas, quando illas repetiuit, repetiuit ita; hebdomada septem, hebdomada sexaginta due. Restant autem septem hebdomadae, de quibus nihil deinceps memorat, nisi quod cap. 12. ait, ab ablato jugi Sacrificio usq; ad finiendam abominationem intercedere tempus, tempora, & dimidiū temporis: sive dies mille ducentos nonaginta. Verūm dum sexaginta due hebdomadae numeratae sunt usq; ad Christum: & de una meminit, in cuius medio defecerit hostia; oportet ut reliquae septem intelligenda sint deinceps: & ut septem illa veniant cum numero illo, Tempus tempora, & dimidium temporis: item cum illo, Dies mille ducenti nonaginta; de quibus singulis erit dicendum. Quod jam non meminerit septem reliquarum hebdomadarum post Christum; sed loco illarum alium numerum intulerit; mihi videtur fuisse ea causa, quod quae narravit de somnijs, & statuis Nabucodonosor, & ut summam ita dicam, de omnibus, quae continentur in toto eius vaticinio; voluerit esse intelligenda de his, quae evenerunt post Christum in statu populi Christiani usq; ad secundum Adventum, & in secundo adventu. Quod ut indicaret, ait capite quarto, septem tempora transitura, donec cognoscat Nabucodonosor Altissimum domi-

dominari. Id ait ver. 20. quod repetit ver. 22. repetit & 29. quò (quemadmodum ego quidem existimo) qui fuerunt atate quinta, & sexta, & septima, debuerint animadvertisse, quæ denuntiata sunt de statua prima varia, & de aurea, & de arbo-re pertingente ad colum, & de reliquis omnibus, quæ deinceps narrantur, sibi fuisse nuntiata, & quæ evenerunt singulis atatibus, debuisse recognosci in ipso Propheta antè prædicta. Hinc probari potest primum somnium Nabucodonosoris de statua magna, significasse futura post Christum, ex interpretatione ipsius Danielis: qui primum ait cap. 2. ver. 28. & 29. indicari futura in novissimo dierum, non solum ipsi Nabucodonosori deinceps eventura. Nam futura in novissimo dierum exponit versu-44. de regno perpetuò duraturo: quod expulerit Regna superiora, quæ illud antecesserint significata in pedibus, & digitis partim ferreis, partim luteis inter se non adherentibus. quod futurum sit postremum ex his, quæ indicabantur in statua. Alia Regna notata in reliquis partibus corporis statuæ, illud postremum ordine antecesserint. Quæ omnia Regna non habuerunt consequentiam inter se: seu non fuerunt unum Regnum consequens, ante Christum, & excurrens per singulas atates in deterius, donec ab alio perpetuò duraturo evertatur: ut fuit post Christum in Imperio Christianorum status Papisticus. Ut autem hæc statua referebat statum populi Christiani, qualis futurus esset post Christum parto Regno Christianis; ita ad eundem statum pertinent reliqua omnia, quæ sunt totius vaticinij. Ut primum tempus ex illis septem signatum fuerit in capite aureo statua primæ; quando adhuc viguit opus Ecclesie Apostolica in Ecclesia, quæ consecuta est post Apostolos: quæq; describitur in Apocalypsi cap. 12. amicta Sole. Secundum in pectore, & brachijs argenteis; quando in sapientia Doctorum evertabantur hereses, ut quidam ex patribus censuerunt. nam mihi videtur indicari quog; status Politicus susceptus in administratione ab Ecclesiasticis: quod non fiebat antè. infra se enim erat hic sta-
tus,

ius, & tantum aurea, Divina Divini Verbi tractabant Sacerdotes; quod videtur significatum in eodem loco Apocalypsis, ubi Luna dicitur fuisse sub pedibus eius. Tertium in Ventre, & femoribus areis, quando Ecclesiastici facti sunt Veneri, immersti in omne genus voluptatis, & veneris, et turpis luxuria. Quartum in cruribus ferreis, quando Papa condidit suum Decretale, & erexit hastam Inquisitionis. Quintum in pedibus partim ferreis, partim sictilibus, quando cepit auctoritas Papalis, & Ecclesia Romana minui. Sextum mixtione ferri, & luti non adhaerentium; quando fit dissolutio seu discessio, seu defectio dicitur. Sive sextum dicamus lapidem parvum, qui delatus e monte percusserit statuam. Septimum idem, postquam percusserit alia regna, futurum montem magnum, hoc est Regnum, quod perpetuo, ait Daniel, durabit.

Hac ita, seu paulo aliter distincta fuerunt ab his, qui haetenus Prophetica tractaverunt: generatim quidem ita fuerunt intellecta. Et quisq; videre potest, tempora, quae consecrata sunt post Christum: quando perseveravit cultus Dei in Ecclesia; qui cultus fuit Ecclesia Apostolica: quando cepit illud refervescere, & imminui: quando Papa captus est adorari: quando per Carolum magnum confirmato fuit tyrannis Papea. quando tempore Abbatis Joachimi & Albigeriorum ferrea fuit aetas Papea per suum durum Decretale, & duram Inquisitionem: quando per Ioannem Hus, & per alios; quandoq; per predicationem Hieronymi Savonarola, ac discipulorum eius cepta est auctoritas Pape, & Ecclesiae Romanae percuti, & diminui: quando per predicationem Lutheri, & aliorum descendit Verbum Dei e caelo, ac cepit devolui per montem, & statum populi Christiani: quando propter eandem predicationem cepta sunt perturbationes Gallicana, & bella deinceps. Et tunc factum est illud Mar. 13. Oportet prius predicari Evangelium. Item illud Matthaei 24. Et predicabitur hoc Evangelium Regni in universa terra in testimonium omnibus gentibus.

Restat jam ut percussis Regnis mundanis, regnet Christus: sit Regnum illud, quod comminuet superiora Regna, qua antecesserint, & sit perpetuo duraturum. Ut autem quae sunt huius statuae magna, ita quae sunt statua aurea cap. 3. quae arboris pertingentis ad caelum cap. 4. quae aliorum deinceps in toto vaticinio, veniunt in eadem septem tempora. Nam quae sunt prima statua, non potes accommodare omnia ad tempus Danielis, & si tunc fuit statua aurea, non visa fuit arbor pertingens ad caelum: & si euenerunt Balthasari, quae vidit in somnijs, & ut Daniel proiectus fuerit in lacu leonum; non euenerunt, quae vidit Daniel de ventis pugnantis in mari, & de quatuor bestijs. Quare quae non euenerunt tempore Danielis, & Regum sui temporis, intelliguntur euentura intra septem illa tempora. Euentura sunt, & quae tunc contigerunt secundum similitudinem, siue figuram, siue typum dicas. Quae autem dicta sunt haecenus de quatuor Monarchijs in quatuor bestijs, cognoscentur tandem fuisse intelligenda in populo Dei intra illa pariter septem tempora. Et ita debuit ante intelligi propter consequentiam eorum, quae narrantur: quia simul narratur Christus versu 9. illius cap. 7. adesse Iudex, & ver. 17. quatuor bestia dicuntur fuisse Reges, qui ceperint Regnum Altissimi, scilicet in populo Christiano: quod possederint usq. ad postrema tempora ipsius Antichristi: quodq. post possessuri sint Sancti, ut indicatur ver. 22. & deinceps ejecto Antichristo. Et ver. 27. narratur, quale Regnum futurum sit Dei deinceps; quod propositum fuit cap. 2. versu 44. Quae autem narrantur cap. 8. non visa sunt ante: visa autem sunt nostro tempore, ut ostendet expositio. Cap. 9. post precationem Danielis assumitur totum tempus vaticinij ipsius Danielis in tempore septuaginta hebdomadarum, quarum sexaginta tres, quando, & quomodo euenerint, vidimus ante, & quisq. videre potest: reliqua septem non sunt memorata, nisi ante, ut ostendat in septem temporibus, in quae veniunt omnia denuntiata in toto libro post ostensum tempus primi Auentus Christi. Quae

rantur cap 10. sunt Adventus Domini tempore Iudicij: item que
cap. 11. tempore Antichristi secundum sententiam Hieronymi
in commentarijs, & patrum. Quod verò caput 12. pertineat ad
secundum Adventum Christi, monet ipse Christus, qui memo-
rat cap. 24. Matthæi, magnam perturbationem, cuius similis
nulla unquam fuerit: abominationem desolationis tunc viden-
dam, dictam à Daniele Propheta. Hic restat, ut videamus de
alio numero illo, Tempus, tempora, & dimidium temporis: item
dies mille ducenti nonaginta. in mille intelligitur tempus, in
ducentis tempora, in nonaginta dimidium temporis. Hoc tem-
pus ponit Daniel ab ablato jugi Sacrificio, & ab inducta abomi-
natione usq; ad eam amotam, & ad liberationem ab Antichri-
sto. Si jam numeres annos (quia dies ponuntur pro anni) à tēpore
quo Sylvester obtinuit pallium rubeum, ac creptus fuit Episcopus
Romanus adorari; inuenies post annos 1290. Vel circa Papatum
debuisse habere finem. habes jam & hic comparata opera cum
temporibus, & tempora cum operibus; ut scias te peruenisse ad
extrema tempora Papatus, & Regnorum Paparum; ut regnet
jam Christus in suo secundo Aduentu, finiatur Propheta, ungatur
Sanctus Sanctorum, Regnum, quod est sub toto celo, detur
populo Altissimi: cap 12. Apoc: habes eadem tempora, & opera.
Ecce jam in Daniele ordinem rerum, & temporum eorum, que
acta, & consecuta sunt à primo Aduentu Domini usq; ad secun-
dum: quæq; & in Osea vidimus cap. primo. qui in secundo, & ter-
tio assumit tempus Papatus, & amotionem perennis Sacrificij
(ut factum est in Daniele) ac peruenit ad nouissimum dierum, de
quo deinceps agit. Conspicientur eadem, & similis quidam ordo
in Isaiâ, Jeremia, & Ezechiele, dum narrant que sunt secundi
Aduentus assumpto primo.

Assumamus jam & separatim, que sunt postremorum tem-
porum, in qua nos deuenimus, quando restituenda sint omnia,
ut ait Petrus Act: 3. Et ne nunc omnia commemoremus, vident
p̄ omnes restitui doctrinam Euangelicam. De Regno Israëlitico
restit-

restituendo dubitant plures: Verum & hoc videamus sequi in
 narratione Prophetica, & promitti. Ait Isaias cap. 2 In nouissi-
 mis diebus preparatus erit mons domus Domini in vertice mon-
 tium. Per hunc montem intelligimus Regnum in Daniele, sub
 quod Regnū, & Legem Dei (ait Isaias) venturas omnes gentes:
 futurum Iudiciū, quando incuruabitur altitudo hominum. Et
 exaltabitur Dominus solus in die illa, cum surrexerit, ut percu-
 riat terram. Micheas assumit eadem verba Isaias: post narrat,
 quomodo futurum sit iudicium, videlicet, ut multe gentes con-
 gregande sint contra Euangelicos: quæ adductæ tanquam mani-
 pulus ad aream tempore iudicij percutientur, & triturbuntur.
 Deinceps autem dabit Christus victoriam contra omnes aduer-
 sarios; quorum Regna venient sub Regnum Christi. Jeremias
 cap. 30. & 31. comprehendit tempora postrema, quando futurū
 sit Iudicium, & idem Dei Regnum. Ver. 5. 6. & 7. monet affli-
 ctiones futuras usq; ad iudicium, & dum peragitur iudicium;
 post ab illis liberari Euangelicos: nec ulla futuras ultra ab ad-
 uersarijs. Et ne in hoc pluribus immorer, quæ Isaias primus in
 ordine Prophetarum proposuit capite secundo; concludit Mala-
 chias in eodem ordine postremus capite postremo, Iudiciū futu-
 rum contra omnes superbos, ut non relinquatur ex illis nec ra-
 dix, nec ramus: ut timentibus Deū oriatur Sol iustitia. qui post-
 quam euerterint impios, multiplicabuntur sub Regno illo, quod
 describit Daniel cap. 2. 44. quòd q; comminuerit superiora Regna
 & cap. 7. 27. inquit. Regnum autem, & potestas, & magni-
 tudo Regni, quod est sub roto cælo, dabitur populo Altissimi. Re-
 gnum eius, Regnum Æternum: & omnes potestates seruient ei,
 & obedient ei.

Ecce quæ proposita fuerunt in Prophetis de primo Aduentu
 Christi, & de his, quæ debuerunt sequi deinceps usq; ad perfe-
 ctum opus secundi Aduentus. Quæ opera secundi Aduentus jam
 fiunt; ac dum fiunt, possumus esse certi nos peruenisse ad finem
 temporum & annorum, quando videmus effici, quæ denuntia-
 ta sunt, & ut sunt denuntiata.

Qui jam putauerunt nullum aliud futurum Regnum Dei
in terris, videbuntur tandem falsi, dum illud restituitur: nec
attendisse verba Prophetarum, Christi, & Apostolorum. Cap. 1.
Act. querebant Apostoli à Christo, an eo tempore esset restitu-
turus Regnum Israel: respondit Christus, non quod non esset resti-
tuturus Regnum Israel: sed momenta temporum ipsos non posse
scire. Petrus autem si non momenta temporum, at certum tem-
pus monet Act. 3. monet ep. 2. cap. 3. promissiones, & opera se-
cundi Aduentus non fuisse producenda, ut multi putauerunt,
vsq; ad diem postremum. 24. horarum: quod per diem intelli-
genda sit aetas, quam exponit per mille annos. Et Paulus Heb.
10. 37. Iacobus. 58. Petrus item Epist. prima cap. primo. ver.
6: & cap. 5. ver. 10. ostendunt afflictiones non perseueratu-
ras semper, sed finem habituras in secundo Aduentu Domini:
qui aiunt Aduentus non tardabit, ut multi putauerunt.
Christus cum exponit suum Aduentum secundum cap. 24.
Math. 13. Marc. 21. Luc. narrat opera illa, quæ nunc fiunt:
prædicationem Euangelij repetitam nunc: prædicationem Euan-
gelij regni in operibus bellicis, in Iudicio, quod peragitur per
gladium, & ignem, & afflictiones: post quas ait futurum Re-
gnum Dei, Regnum illud scilicet, quod fuit restituendum, &
de quo locutus est Daniel cap. 7. ver. 27. & in eo vngendus
Sanctus Sanctorum. Ecce iam summa Prophetia à primo Ad-
uentu Domini vsque ad finem secundi.

Quantum verò attinet ad opiniones aliquorum, qui opi-
nati sunt (ut antè opinio fuit in Papatu) Prophetiam fuisse
completam in primo Aduentu Domini: afflictiones perseue-
raturas vsq; ad finem mundi: secundum tantum Aduentum
futurum in ictu oculi, & talia; ad hæc omnia responsum est in
libro de Prophetia, quæ nunc compleatur, non autem antè: in
libro de certitudine, in quo sunt exposita aliqua, quæ hîc com-
prehendimus: in monitis de postremis temporibus: in responsio-
nibus ad certas censuras factas in meos commentarios in Ge-
nesim:

nesum: in Epistola ad Pegō Navarre, & in alijs quibusdā scrip-
tis. Quorum librorum summa videtur hic fuisse proponenda,
quod prius oportuerit novisse Prophetiam nunc compleri, post
addi interpretationem.

Si iam res ita habet, ut nunc fiant denuntiata in Prophe-
tis atq; res ipsa loquatur, dum conspiciuntur eventa rerum de-
nuntiarum, sequitur, ut interpretatio afferri debeat: & ut
singula euenta, ut euenerunt, ostendantur denuntiata; & ut
fuerant denuntiata, euenisse. Ut autem rectius omnia pate-
fiant, simul ostendetur ratio Prophetica in enuntiandis futu-
ris ducto initio ab ipso Mose patre Prophetarum. Ac eò ma-
gis interpretatio hec est ex eventis educenda, quòd quàm plu-
rima expectantur aperienda, & patefacienda hæcenus exop-
tata in Ecclesia: quorum cognitio aliqua ex parte in interpre-
tatione hac haberi poterit. Narrabo igitur aliqua talia, quorū
patefactio sit desiderata, & desideretur. Dum Ps. 78. dicitur.
Aperiam in parabolis os meum, loquar enigmata à principio:
dum cap. 13. Mate. dictus est Iesus per parabolas locutus ad
turbā, nec sine parabola locutus est eis. ut compleretur illud Pro-
phetæ. Aperiam in parabolis os meum, eruēt abo occulta à jactis
fundamentis mundi. Dum cap. 48. Isata ait Deus. A principio
non in abscondito locutus sum: à tempore, quo fuit ipsa Prophe-
tia, siue Lex, ibi eram. Et cap. 46. Annuntiaui ab exordio no-
uissimum, & ab initio ea, quæ nondum facta sunt: in his indi-
catur, in rebus primis, atq; adeo in fundamentis mundi signifi-
cata esse illa, quæ sunt Euangely, atq; adeo quæ sunt nouissimi
temporis. Quomodo autem id factum sit, & nuntiatum, non
constat in Ecclesia: ergo expectatur, ut aperiatur. Item Rom.
16. 15. Prædicat Paulus Euangelium secundum reuelationem
mysterij à temporibus æternis taciti: quod nunc patefactum
est per scripturas Prophetarū. Col. primo. 26. Prædicat item
Paulus mysterium absconditum à seculis, nunc patefactum
Sanctis. Quæ de Christo erant in mysterio, sunt quidem pate-

facta; Sed quibus, qualibusue mysterijs, & quomodo tectum
esset Euangelium de Christo à temporibus aternis, & à seculis,
non est adhuc patefactum: quod expectatur, & exoptatur, ut
patefiat. Item Eph. 3 9. Prædicat Paulus communionem my-
sterij absconditi à seculis in Deo. & cap. 5. 3 2. mysterium de
Christo, & Ecclesia ait prædicari magnū. Communio est osten-
sa; sed non quomodo, & in quibus mysterijs, & expositis my-
sterijs. quod futurum expectatur. Item Ioan: 1 6. 1 3. ait
Christus. Spiritus Sanctus inducet vos in omnem Veritatem,
& quæ futura sunt, annuntiabit vobis. Omnis Veritas expo-
sita ab Apostolis, non est ostensa, unde sit sumpta: nec qua ra-
tione noverint futura. quod ostendi exoptatur. Item. Col. 2.
1 7. Quæ sunt umbra futurorum, corpus autem Christi, non
sunt adhuc exposita singula, ut cuiusq; umbræ sua sit propria
veritas. quod futurum expectatur. Item patribus omnia in
figura contingebant. Quæ autem scripsit Iacobus Patriarcha
futura, figurata in suis duodecim filijs, adhuc non intelligun-
tur: non quæ omnibus alijs patribus & qui fuerunt ante, &
qui fuerunt post, contigerunt. & hoc expectatur, ut aliquan-
do fiat. Item 2. Pet. 1 0. ait Petrus. Prophetæ de salute futura
prophetauerunt scrutantes, in quod, vel quale tempus signifi-
caret eis Spiritus Christi illam futuram. Hinc quarebat Abra-
ham Gen. 1 5. Quomodo sciam, quando hæc futura sint. Et il-
lud Eph. 3. secundum præfinitionē seculorum extare opus Chri-
sti. Et illud Christi Math. 1 6. 1 3. faciem cæli dijudicare po-
restis, signa autem temporum non potestis? Hic monemur, di-
stinctionem temporum esse cognoscendam in Sacris literis: ac in
primis primi, & secundi Aduentus Christi: quæ adhuc non est
nota: quamq; Abbas Ioachimus, & alij deinceps Prophetica tra-
ctantes, conquisierunt, & perscrutati sunt. Item ordo in om-
nibus, quæ in Sacris tractantur, adhuc non videtur teneri, dū
in omnibus, & singulis illis, ac illorum partibus consequens or-
do non est traditus. Item si in Esdra, & in Daniele. 7. 1 0. &

in Apoc. 5. dicuntur libri aperiendi; ergo aliqua aperientur, que adhuc non sunt nota in qua veniunt hæc omnia, que memoravi, & multa alia. Vnde in Aduentu secundo Domini, & in apertione librorum alia expectantur patefacienda præter illa, que communiter cognoscuntur in Ecclesia. Inde dicebatur Apoc. 2. 25. tene quod habes, donec veniam. cap. 3. Osea tale quiddam significatur. Præter hæc scit quisq; in Sacris literis versatus, quot loca sint, que se torqueant, in quibus hesitet, è quibus non possit se expedire, nec invenire, qui se expediat: que omnia, quando aperti erunt omninò libri, & soluta sigilla, patefient in Ecclesia.

Ob has igitur causas præter alias, videtur interpretatio Prophetica nunc proponenda, dum quæ denuntiata sunt, fiunt. ex quorum cognitione, & perceptione rationis, qua nuntiata sunt futura, datur ingressus ad mystica Mosaiica. Nec impedire videtur, quod aliqui urgent, me sequi allegorias, que sint periculosa; dum que sequar non noverunt. Constat, dum fiunt nuntiata, & tenentur euenta, ut sunt denuntiata; posse haberi interpretationem: & si iubetur Exechiel cap. 17. anigmaticè, & parabolicè loqui; in eventu posse rem teneri parabolicè propositam: atq; per illa, que vidimus, & videmus nunc evenire descripta in Prophetis, erit quoq; ratio, qua animaduerti possint, que nuntiata sunt de atatibus superioribus: ut qua in Daniele, & Osea ostendimus de atatibus in statu populi Christiani à primo Aduentu Domini vsq; ad secundum. Ac de hac re plura dicenda erunt in toto opere. Si jam quæ parabolicè, & anigmaticè denuntiata sunt in Prophetis, patefiant; poterit & per scripturas Prophetarum patefaci, ut ait Paulus Rom. 16. haberi aditus ad mystica Mosaiica. Et quamuis adhuc non viderimus euenta omnia, ut inde perfecta, & absoluta habeatur interpretatio; tamen ut oportuit illa denuntiari, antequam fierent, que statuit Deus; ita dum fiunt, oportet nos esse monitos siue voce, siue scripto,
siue

sue utroque. Quando autem euenerint omnia, & consummatum fuerit mysterium; tunc aperietur arca, atq; plana, & perfecta habebuntur omnia. Interea si nos non damus perfecta; damus tamen posteris in manus, qua vidimus, & tetigimus operum secundi Aduentus Domini: ut qui peruenierint ad perfecta euenta, perficiant ipsi omnia: quæ perfectio dabitur per viginti quatuor seniores, ut ait Apocalypsis, aperiente Christo ipso omnia, qui suo Spiritu nuntiavit omnia. Et hæc dicta sint populo Christiano, quare interpretatio quadam datur, dum sunt nuntiata in Prophetis. Quibus pauca videntur addenda summam de opere futuro in secundo Aduentu Domini, & de certo tempore, quando à nobis datur expositio primi libri Moysi: item de loco, in quo illa datur. Vidimus autè in Daniele, & in alijs Prophetis, nos peruenisse ad tempora, quando vngendus sit Sanctus Sanctorum, & dandum Regnum, quod est sub toto cælo, populo Altissimi, nunc mihi videor oportere quoque ostendere opera, seu historiam generatim eorum, quæ agi debuerunt & debent in restitutione Ecclesia, & Regni Israelitici. Et quamuis id colligi possit ex vniuersa scriptura; tamen hic tantum ex Exodo proponemus summam quandam eorum, quæ facta sunt hæcenus, & restant efficienda. Nam patribus omnia contingebant in figura, ait Apostolus: & quod factum est, est quod futurum est (ait Salomon.) Quo verbo constitutus fuit status populi Dei, & Regnum Israeliticum; eodem verbo restituendum est, ut ait Petrus, agens de eodem tempore nostro: & Paulus ait futurum nunc, ut sint, qui resistans veritati, uti Janes, & Jambres resistenterunt Moysi. Dicamus igitur. Dum completum fuit tempus quadringentorum annorum à promissione facta nouis Prophetis de liberatione nostra à Pharaonibus nouis, quemadmodum tempore Moysi ab antiquo, uti fuit tunc promissio facta Abraha; predicatur Euangelium, atq; in magnum numerum exurgunt credentes, quos nunc, ut tunc Pharaones, interficiunt. Aucta tamen adhuc in
maiores

maio rem numerum credentes, petunt, ut sibi cultus Dei liber
permittatur: promittunt id Pharaones, nec fidem seruant; sed
interficiunt; atq; id sapius est factum, ut omnes vidimus. Nec
potest ultra haberi eis fides: nec ultra possunt capita Euan-
gelicorum apparere ante Pharaones. Vnde parantur tenebrae
magna perturbationis, ut interitio fiat hinc inde populi Dei.
verum fiet, ut non solum, qui sunt Christi cadant multi; sed
& ut primogenita Aegyptiorum moriantur. Interea, qui per-
stant esse Christi, edunt Agnum: per mortem Christi tuti sunt
a morte corporis, ut liberati fuerunt a morte anima: desistunt
facere priuatas coenas; communes faciunt, ut sint tuti per san-
guinem effusum Christi: ut Iudicium Dei conuertatur in An-
tichristos: sint ipsi omnes simul Christi; agant opus simul Chri-
sti, ut regnent cum Christo, nec veniant in interitum primo-
genitorum Aegypti: mergantur Pharaones, & Aegypti, ne ul-
tra persequi valeant populum Dei: cantent autem fidi Christi
canticum Moysi, & Mariae. Non murmurent pro cibo, quia da-
bitur copiosus: perstent pugnare contra Amalech impediens
progressum ad Regnum Christi. nam ut ex Petra fecit prodire
copiam aquarum; ita euertet Christus impios, ac parabit statu
populo suo. Incipiant audire Iethro, ut incipiant constituere sta-
tum populi Dei secundum praescriptum Dei datum Moysi, Pro-
phetis, & Apostolis. Intelligant dum ascendit Moyses in mon-
tem, & dat Deus Legem, & praecepta edendo portenta, & si-
gna terroris; esse tempus Iudicij, ut puniantur prauaricatores
Legis Dei; Lege Dei esse viuendum. Intelligant cap. 21. & 22.
& 23. praecipi praeter alia illa quae nostro tempore debuimus a-
gere, & cauere. Quae autem deinceps narrantur a capite. 24.
vsq; ad finem libri, continet omnia, quae efficienda sunt in sta-
tu populi Dei deinceps constituendo, & retinendo restituta Ec-
clesia Apostolica, & Regno Israëlitico.

Ut verò ad tempus nostrum reuertamur, dum nusquam
seruatur fides a Pharaonibus, non ultra datur locus veniendi in
conspectu

Nota

conspēctum Pharaonum; qui quae iam diu coniurarunt, parant,
ut exequantur, ut aggrediantur loca omnium cultorum Chri-
sti, ecce, qui sunt in terra Gessen inter Aegyptios, Rex Nauar-
ra, & vir illustris eius praefectus Iacobus Segurius Pardelia-
nus, norunt, & vident coniurationes, & apparatus Pharaonū,
& Aegyptiorum: & haec norunt etiam in Verbo Dei. Quod
verò vident iuberi à Deo, & oportere effici, id suscipiunt, &
agunt. Venit ipse Segurius Legatus ad tribus Israelitarum,
ad Anglos, ad Belgas, ad Germanos, ad omnes Euangelium
Christi profitentes, monet de coniurationibus, & apparatus
Pharaonum contra profitentes Christum: ostendit, quid agen-
dum sit, ut liberentur omnes à eade sibi parata à coniuratis
Antichristis. Suggestit illa quae Deus iubet fieri, & opera, quae
perstrinximus Christi in liberatione ab antiquo Pharaone:
suggerit & promissiones, & quae futura sunt in populo Christi-
ano. Dum igitur per hanc legationem ista monita spargun-
tur inter eos, qui veniunt in locum duodecim tribuum Israēl;
visum fuit tempus opportunum, proferre in medium expositio-
nem librorum Moysi: ut quae facta sunt, & fiunt, & futura
sunt cognoscantur tantò antè denuntiata, & praescripta à Deo
per Mosem, & per Prophetas: cognoscant omnes, postquā per-
uenimus ad tempus Christi, & innouationis Ecclesiae, & Reg-
ni Dei, ut antè ostensum est; quanam agantur his temporibus,
quaeq; agenda sint, & expectanda; ne pereamus cum impijs;
sed ut consistere possimus antè Filium hominis.

Agamus iam de loco, in quo primi libri Moysi datur in-
terpretatio. Deus deduxit nos in ciuitatem Bremensem. qua
ciuitas initio praedicationis Euangelij nunc repetita à Christo,
inter primas illam suscepit, retinuit, & conseruauit, ut tem-
pus dat, integrè, & purè. Idq; factum est opere, & diligen-
tia boni, & p̄ij Magistratus. cuius studium fuit, atque est non
solū, ut iustitiam conseruetur in administratione Politica; sed
& ut pura religio in ciuitate retineatur. Progressus autem

Euange

*Euangelij in ea tales videntur fuisse. Primus doctrinā Euan-
gelij puriorem docuit Frater Henricus Sudphanienſis, qui fue-
rat Vitebergæ in eodem monaſterio cum Doctore Luthero or-
dinis Auguſtiniani. Poſtquā autem initia reformationis
Eccleſia feliciter hinc facta eſſent; in Ditmarſiam vicinam Hol-
ſatiæ vocatus ad docendum Euangelium, à ruſticis incitatus à
Monachis, crudeliſſima morte interemptus eſt. Nec diu poſt
eadem illius & quidē in illo ipſo veſtigio, ubi interfectus erat
ille, Ditmarienſes caſi ſunt ab exercitu Regis Dania, & Ducū
Holſatiæ: atq; libertatem priſtinam omnem amiſerunt, mani-
feſto iudicio Iudiciū ſuum oſtendente Domino contra parrici-
das illius Martyris. Interea Bremeniſes dum diſſidia extant,
expectant patienter (dum per certos progreſſus fit Dei opus) tē-
pus, quando patefaciet ſe Chriſtus, à quo, & per quem pacata
dabuntur omnia, & perfecta omnia in populo ſuo, & in Eccle-
ſia ſua. intuetur illud. In ſpe, & ſilentio erit fortitudo veſtra.
nec reſceſſerunt ab expectatione Chriſti patefaciendi, ſuſtinen-
tes grauem, & periculoſam obſidionem, ne cum alijs ciuitati-
bus Germaniæ ſuſciperent certum Interim hominum, dum eſſet
ſuſcipiendum Interim Chriſti. Vnde Chriſtus miraculoſè libe-
rauit eos ab illa obſidione, atteſtans ſe eorum deſenſorem (pra-
ter alia beneficia in ipſos collata) impellendo per flumina in ip-
ſorum ciuitatem tantam copiam Salmonum, ut eorum eſſet ſa-
tietas, & ſaſtidium. Poſt liberatam ciuitatem ab obſidione,
inter alios doctores excelluit Albertus Hardembergicus. is cum
nollet ceteris quibuſdam concionatoribus Vbiquitatem carnis
Chriſti tum voce, tum ſcriptis palam propugnantibus, aſſenti-
ri; cedere hinc tandem coactus eſt ex decreto ordinum inferio-
ris Saxonie. qui citra tamen condemnationem, & infamiam,
ad placandos eius aduerſarios, aliò eum concedere juſſerunt.
Poſt diſceſſum verò eius, cuncti aduerſarij ultro ex vrbe pro-
fugerunt, panico quodam terrore Diuinitus eis injecto. Ac ita
annos plures, quā ſexaginta hæc vrbs habuit lucem Euan-
gelij.*

lij. Hoc autem tempore habet & doctrina, & pietate prædi-
tos concionatores: qui eandem perennem lucem Euangelij reti-
neant, & conseruent. Inter ceteros est Doct̃or Christophorus
Pezelius, de cuius sapientia, & doctrina nil dicam, quæ per
Germaniam, & Galliam & alibi cum summa eius laude cele-
bratur. video ego eius labores, & diligentiam in concionando,
& docendo, & scribendo, & scholam post suum Aduentū ere-
ctam regendo: atque quod maximè requiritur in ministro
Christi, charitatem in singulos, & studium conciliandæ pacis,
& concordia inter disidentes. ut Diuino consilio factum sit,
ut è Saxonia propter Veritatem eiectus, inseruiret huic ciui-
tati, in retinendo cum alijs pijs concionatoribus eandem Veri-
tatem susceptam à principio Catholicam. Est & illud commu-
ne his pijs concionatoribus, ut agant quæ sunt Ecclesiæ, ut in
ipsis sit Ecclesiæ. seruant rationem à Paulo præscriptam Eccle-
siæ. ut in ipsa recognoscantur varia dona, & munera, & dis-
crimina ministeriorum. ut Deus dederit primum Apostolos,
deinde Prophetas, Doctores, & alios varijs facultatibus præ-
ditos: nec vnus in Ecclesiæ sit omnia, ut vnum membrum non
est totum corpus. Sunt verò hoc tempore in certis Ecclesijs, qui-
dam, qui volunt apud se esse omnia: se vnos esse totam Eccle-
siam, quasi eorum vna manus sit totum corpus: neminem præ
se audiunt: & quamuis bona, vera, & salutaria afferas, si à se
illa non prodierint, reijciunt, tanquam in vno ipsorum sit tota
Ecclesiæ: vnus eorum sit ipse Christus. Hec quantum abhorre-
ant à vera Ecclesiæ vident omnes. & sunt qui ea vident in a-
lijs, & reprehendunt, in se autem nolunt recognoscere.

Et dum Papa proponit suas formas iuramenti, sunt passim
Ecclesiastici, & Politici etiam ex profitentibus Euangelium,
qui Papam imitantes cogunt te ipsis, seu in ipsos jurare, aliàs
ejceris è ciuitatibus, & regionibus. obsecro vos, si quis faciat
se caput aliorum, cum sit cum alijs membrum, annon erit id ei-
us, qui non diiudicet corpus Domini? cui ait Malachias. annon

Pater:

Pater vnus est omnibus nobis? an non Deus vnus creauit nos? quare ergo spernit quisque fratrem suum, violando pactum patrum nostrorum? (Apostolorum) Si quis vnus velit sibi, aut in se alios jurare, annon vellet is in nomine suo illos esse baptizatos? annon erit is ex illis, de quibus dixit Christus Marc: 13. Multi venient in nomine meo dicentes. Ego sum Christus? Nec verò solum Christus queritur, esse alios, qui faciant se Christos: Sed & Deus ipse queritur, quòd sint, qui faciant se Deos, dum petunt sibi jurari, quod soli Deo est jurandum. inquit cap. 5. Ier. Filij tui dereliquerunt me: & iurauerunt per eos, qui non sunt Dij. Oro, & obtestor patres, & fratres meos amantißimos, ut attendant, quid queratur Deus de hoc iuramento cap. 4. ver. 2. & cap. 5. ver. 7. & cap. 12. ver. 16. Ieremie. item cap. primo. ver. 5. Sophonia. item cap. 5. ver. 3. & 4. Zacharia. Oro, & obtestor omnes nomen Christianum sibi vendicantes, ut attendant pœnas, quas minatur Deus cap. 13. Ieremie, & in Sophonia, & Zacharia his, qui iurât in homines, quæ soli Deo jurare debent: his, qui volunt sibi jurari, quæ iurantur Deo. quos vocat Deus ibi in Zacharia fures. & in Malachia ait. Nunquid rapore debet homo, quæ sunt Dei, quòd vos rapitis mea? Intueamur omnes vastationem regionis, & interuentionem hominum factam ferro, peste, & fame in Belgico. Et hæc fuerunt antè denuntiata ex Prophetis, quos memorauimus, euentura propter iuramentum factum hominibus, quod soli Deo debuit fieri. Pœna fuit in populo, & in his, quibus iuratum est ut vidimus, & videmus. Pœna, & ultio manet eadem agentibus. quia afflictio itura est de gente in gentem, ab extremo terra ad extremum terræ. Ier. 25. Ut autem hæc deflere debeo in alijs quibusdam, qui ita peccant in membra Christi, in ipsum Christum, in Deum ipsum; quibus tam grauiam minatur Deus, uti quæ videmus in Belgico; ita gaudeo, & gratulor populo Bremensi, & concionatoribus, in quibus non sint talia. Video conciona-

vores parere Ieremia. 13. 18. & Sophonia. 2. Scrutari se ip-
sos antequam veniat super eos ira furoris Domini: querere hu-
militer Dominum: quæ Iudicij eius sunt, operari: querere lu-
stiriam: querere humilitatem, ut abscondantur in die furoris
Domini. Idcirco non faciunt se capita aliorum: non querunt,
ut quisquam in se juret. Contra verò attendunt, cum sint præ-
clara Dei dona in ipsis, quidnam possit esse etiam in quouis al-
io. amicè & cum charitate admittunt consortes eiusdem Fidei:
illos audiunt: dicta expendunt, & examinant, & ut breui
dicam, imitantur illum piùm, & sapientem virum Fabritium
Capitonem, & Martinum Bucerum, in audiendo Martinum
Cellarium. Quamobrem cum repeterent animis suis moni-
ta Petri de Apostolis, & Prophetis; quorum vaticinia de se-
cundo Aduentu Domini deberent residere in memoria: vide-
rent effici opera Christi, quæ ipse narrat cap. 24. Matthæi.
quæ quidem sint Euangelij prædicandi in vniuerso orbe in te-
stimonium omnibus gentibus; non contra venerunt, dum vi-
derunt euenta nuntiata in Sacris libris: atq; veritatem, quam
susceperunt antè de verbo Euangelico magis, ac magis in mo-
numentis Prophetis comprobari, & confirmari; non recusant,
non impediunt verbum Propheticum proponi omnibus. ut fu-
dicium extet omnium, qui conferant denuntiationes Prophe-
tarum cum euentis, & euenta cum denuntiationibus. præfer-
tim dum non audent, quod multi audent, impedire Propheti-
am. quod Verbum Dei vetuit. Nouerunt non esse malum in
ciuitate, quod non faciat Dominus, Amos. 3. Verentur tan-
ta, & tam magna, quæ vident fieri, tribuere fortunæ, & ca-
sui: ne ipsis dicat Deus Leu. 26. Ambulastis mecum in casu;
ambulabo & ego vobiscum in casu: atque percutiam septies,
pluries scilicet, ut videmus fieri. Quamobrem ut in Hollan-
dia, ubi est Academia, cœpit prodire expositio Prophetica, non
obstat Brema, quin habeat suos progressus: quin Iudicium ipsa
requirat de veritate ab omnibus opus Christi facientibus, nec
illud

illud impediētibus. Sunt enim qui impediunt. de quibus
conqueritur Christus cap. primo. Pro: ver. 24. item in Isa-
ia, & Ieremia.

Et hīc volo esse monitos Papistas & Ecclesiasticos, & Poli-
ticos: & item imitatores Papistarum, me non odio partium du-
ctum recognoscere in Verbo Domini errata, & peccata commu-
nia: sed ostendere, dum illa aguntur, per qua aperit Christus
libros, quomodo peccata omnia patefiunt. ut quisq; nostrum, &
ego, & omnes cognoscamus nostra, & prospiciamus nobis, dum
adest Iudiciū in gladio, & igne: adest pestis, & fames, & exi-
tium ciuitatum, & hominum: inuasurum illud tandem omnia
loca, & omnes mortales vsque ad extrema terrarum Ier. 25.
Aduertant, qui sanguinem fundunt, sanguinarios non di-
midiare dies suos. de qua re habuimus exempla insignia in
perturbationibus Gallicanis, & hoc anno non minus insignia.
an verò loquatur Deus cap. 11. Zacharia de illis, an de his ubi
ait. Succidam tres Pastores mense vno, iudicabit Ecclesia. Et
si in omnibus non vident idem contingere statim; nec pecca-
ta alia puniri statim; attendant, quid pronuntiet Christus
cap. 13. Luc: de his, quorum Iudicium producitur, dum Galilaeo-
rum sanguis dicitur misceri à Pilato cum eorum Sacrificijs: &
octodecim viri interfecti in casu, & ruina turris. aduertant
Iudicium cœptum à domo Dei, arsurum in reliquos. aduertāt
Deum per inimicos suos castigare suos, & illos punire per ali-
os. Præter alia, dum capita Ezechielis propono ego mihi ante
oculos. cap. 7. ne miremur, si inuoluimur in tenebris omnium
malorum: & cap. 33. ut cognoscamus, omnes vocari ad emen-
dationem. Quos ergo monitos esse volo in Verbo Domini,
ne existiment hī, me odio partium, & maleuolentia in ali-
quem, peccata, & pœnas indicare, qui benè cupiam his, qui
mihi maledicunt, & his, qui me afflixerunt in Inquisitione,
& alibi. & si odi, odi scientes, & libentes, & gaudentes pec-
care aduersus Dominum, & aduersus Christum eius. Osten-

*di diligentibus Aduentum Domini, nos peruenisse ad tem-
pus secundi Aduentus eius, & Iudicij, quando completur Pro-
phetia, ut sciant omnes, requiri nunc interpretationem, &
expositionem rerum consignificatarum, & nuntiatarum in
Mose, & in Prophetis. iam loquamur simul & Christianis,
& omnibus gentibus de toto Verbo Dei dato in mundo, ac
vero illo comprobato: de omni opere Dei peracto in
suo populo singulis temporibus mundi, que-
madmodum initio fuit constitutum.*

ut omnes tandem credant

Æterno Euangelio,

eig. pareant.





IN SACRA BIBLIA

PRAEFATIO.



MNIBVS nomen Christi profitentibus, cæterisque illud nunc in secunda æterni Euangelij promulgatione, ac in effectione magnorū operum, quæ in Prophetis sunt denuntiata, audientibus, siue Iudæis, siue gētibus quascunque orbis terrarū regiones, orāsque incolentibus: quibus vita proponitur æterna credentibus Euangelio, Dei que verbo, ut non credentibus supplicium, æternaque miseria; gratia, & pax, & salus à Deo Patre; qui cū antea superioribus ætatibus patefecit se omnibus gentibus, in primis verò, ac maximè populo Israëlitico, & Christiano, tum hac postrema per innouatam prædicationem verbi aperiendo adhuc mysteria legis de se, de Filio suo, & de Spiritu Sancto, item de Ecclesia omnium credentium, & temporum, vocat vniuersos se audientes, & sibi parentes in suum regnum, atque in æternam suam vitam; Et à Iesu Christo eius filio, qui suo sanguine expiauit peccata mundi, atque eum reconciliauit Patri in æterno Euangelio; in quo ut antè, ita hoc tempore, aperit diuinas scripturas, & patefecit se vnigenitum ante secula Dei Filium, in principio verbum, in quo creata sunt omnia, qui portet in se omnia, reconciliet Patri omnia, & quæ in terris, & quæ in cœlis sunt; lux & vita omnium credentium omnium seculorum: Et à Spiritu Sancto, quo renati fideles omnium temporum à primo credente vsque ad postremū credentem, ac fortem filiorū Dei nati, sunt compotes regni Dei, depulsis nunc è mundo tyrannis, & Antichristo, & regno satanæ; atque aperta illis in Prophetis, ac in omni diuina scriptura, prophetia & Dei consilio, quod fuit ab initio, nuntiatur. Vt

*Cultus u-
nus, & per-
petuus ve-
rus.*

qui ante crediderunt Euangelio, cognoscant, quanta hoc tempore aucti sint cognitione diuini verbi, Deiq; Patris, & Filij, & Spiritus sancti, atq; muneribus sibi jam ab initio promissis: & qui nuper suscipiunt prædicationem Christi, siue de illa credituri audiunt; intelligant aliquando, quanto ante in errore versati sint & malo; in quam lucem nunc vocentur, adducendiq; sint, qui in uniuerso terrarum orbe residebunt, ut sint regnum Dei, ac Iesu Christi. Et quamuis semper antea debuerit esse propositum homini ad imaginem, & similitudinem Dei creato, cognoscere suum creatorem, & opificem: eum laudare, & eius gloriam prædicare: eum amare, & diligere: ei pio ac vero cultu seruire; tamen hoc tempore quando adest Christus Iudex; atq; nemini jam deinceps relinquitur locus præteritos errores retinendi; omnibus cogitandum est, sibi debere esse statutum, ut nunc demum aut suum creatorem & seruato-rem recognoscant, aut è terris tollantur, atq; in interitum æternum mergantur. Nam initio primo homini ostendit se Deus, ac dedit ei præcepta, & rationem sui cultus, quæ debuerunt omnes posteri retinuisse, & in illis suum creatorem piè coluisse. Verùm ut Adam peccauit, nec perfitit in obedientia; ita impietas in primo filio Adami Cain viguit, & in omnè eius posteritatem propagata est, ut quisque suo arbitratu crederet, viueret, & ageret; cultum diuinum sibi præscriberet, atq; suos certos Deos sibi faceret stercoreos. Hic non repetam superstitiones varias, & multiplices cultus singularum gentium, qui omnibus temporibus fuerunt in toto orbe: non multitudinem Deorum. illud erit potius præsentis instituti, certis rationibus patefacere, falsum fuisse cultum omnium gentium, qui Abeli cultum non retinuerunt, non Sethi, non Enosi, non Enochi, non Noe, non Abraham, non legis Mosaicæ, non Prophetarum, non Christi, & Apostolorum, non postero-
rum

*Falsus
cultus un-
de ema-
natus.*

rum persistentium in cultu Euangelico, ac vita Apostolica: qui tandem non suscipiunt hoc tempore secundi aduentus Domini prædicationem Euangelicam, nec attendunt Propheticam nuntiatam ab initio, nunc aperiri, & patefieri. qui non cognouerunt Patrem, quando dedit legem Mosi: non cognouerunt Filium, quando verbum factum fuit caro: non cognouerunt cum ante Spiritum sanctum, tum hoc tempore recusant cognoscere, quando patefit in apertione Prophetiæ. non cognouerunt, inquam, unum Deum Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum: Patrem, Filium & Spiritum Sanctum unum Deum sempiternum. Nam hinc omnis eorum cultus fuit impietas, atq; eorum Dii vanitas. Et hæc ita esse ostenduntur, quia verus Deus est æternus, & eius cultus sempiternus. Dii gentium perierunt, & cultus impij fuerunt in perpetua varietate, nec quicquam firmum, & constans in illis perseueravit; ut historia docere quenque potest. Sunt plurimæ rationes, quibus apud viros doctos unus Deus ostenditur, quas præteribimus, ac illas assumemus, quas planiores proponit nobis diuinum verbum, vt ille vnus, verus, & solus habeatur Deus, qui crearit coelum, & terram, & omnia, quæ in ipsis sunt. Item ille vnus habeatur Deus, qui nūciarit ab initio illa, quæ essent omnium statuum futurorum in mundo. Item ille vnus habeatur Deus, qui effecerit omnia diuersis in statibus, & ætatibus mundi: qui dederit cultum suum, & legem, in qua consignauit mysteria magna, de se, & de suis operibus: & quem dedit cultum, dederit unum, & sempiternum, atq; legem æternam. Et hæc quidem sumus ostensuri in hac præfatione, quæ magis deinde in tota narratione historiæ diuinæ conspicientur. nunc tantum reuocamus gentes ad meditationem historiæ ipsorum, ut percurrant præterita tempora, quot & quos Deos coluerint, quanta mutatio fuerit cultus, quanta varietas ceremoniarum

Cultus diuinus verus, & falsus unde pateat.

Verus Deus unde cognoscatur.

niarum: qui Dij, & qui cultus aboliti sunt, & ut falsa in i-
 plis omnia fuerunt, ita concidisse, ac euanuisse. Præterea si
 quem cultum habent, considerent, quomodo, ac unde ha-
 beant: quam certitudinem retineant de verbo Dei, in quo
 eorum fides firma, & constans esse possit. In verbo & lege
 data Iudæis, & Christianis, conspicietur Deus æternus,
 auctor, & effector omnium: & in his quæ gessit denunti-
 ata in Prophetia inuenietur verus in omnibus verbis suis.
 Vnde apparebit & creator uniuersorum, & solus verus,
 ac æternus Deus, beatam vitam solus præstans omnibus
 se cognoscentibus, & colentibus. Turcæ, qui profiten-
 tur circumcisionem, illam ducunt aut à Mose, aut aliun-
 de. Si à Mose, habebunt illam tanquam signum, quod de-
 beant esse addicti, & alligati ad agendum, & credendum
 omnia, quæ scripta sūt in lege. Debebūt ergo credere Pro-
 phetis, atq; ut Iudæi, expectare Messiam, ni velint Mau-
 metum fuisse Messiam: verum Prophetis inueniuntur non
 credere, quia narrant Prophetæ duplicem aduentum Do-
 mini. Primum videmus Turcas ut Iudæos non suscepisse.
 Si faciunt Maumetum Messiam, ridebimus, quia Mau-
 metus non fuit occisus à populo suo, ut ait Daniel capit.
 9. de Christo, post cuius occisionem diruta fuerint He-
 rosolymæ. Non fuit occisus luens peccata nostra, ut me-
 morat Isaias capit. 53. & alij Prophetæ: non locutus est
 Maumetus ex ore Dei, quod inde patebit, quod non ver-
 fuerit in annuntiandis futuris; propterea quod euerteretur
 eius falsus cultus, & impium regnum, atq; regnum Chri-
 sti constitueretur æternum. Et ut prætereamus expendere
 singula Maumeticæ legis, illa nihil habet eorū, quæ sunt
 diuinæ legis & verbi. Verbum diuinum id debet habere,
 ut referat, quæ sunt præteriti temporis, quæ præsentis, quæ
 futuri: inueniatur habere in se consignata mysteria diui-
 na, & multa alia, quæ patebunt suo tempore: ut Euange-
 lium

lium Christi continet veritatem, & expositionem omnium, quæ sunt in Mose. Præterea in narratione rerum gestarum primi aduentus Christi, est consignata narratio rerum pariter gerendarum in secundo. Et ut ait Ecclesiasticus, doctrina Christi effunditur, ut Prophetia, in omnes ætates: quod quidem re ipsa patebit, quando soluet Christus signacula libri clausi. Tale nil inuenitur in Maumeto. In Apostolis autem inuenietur eadem ratio prophetica, quæ fuit illis aperta, qui diuini verbi scriptores fuerunt. Si jam Turcæ habent circumcisionem à Mose, primum non suscipiunt priora promissionum, cultum ductum jam ab Adamo, ut sit Dei, & sempiternus. Deinde non retinent reliqua Mosis: non retinuerunt reliqua, quæ verè circumcisi retinere debuerunt. Sin aliunde inuenerunt circumcisionem, erunt in eo numero gentium, qui à Deo nihil habent diuini cultus, & verbi: vnde erunt contemnendi. Veniamus nunc ad Hebræos. Tria præter alia sunt, ob quæ hi reijciuntur, ne iam sint populus Dei: quod negent Christum Messiam, quod rationem temporum, & in his promissionum nolint attendere: quod in uno Deo recusatent recognoscere Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum. Dum agitur de Messia, nolunt aduertere in Prophetis duplicem eius aduentum: in humilitate, & in magna potestate, ut narrat Isaias cap. 42. Aduentum in potestate, & in magna gloria tantum audiunt. Verum oportuit illum prius occidi, ut ait Daniel cap. 9. & Isaias 53. & Oseas primo. Quod debuerit resurgere, ostenditur Ps. 3. in Daniele cap. 9. hebdomada sexagesima secunda dicitur occidi, septuagesima autem ungi, ut cap. eodem Isaiæ 53. exponitur eius mors, & quare sit mortuus, & post mortem quid effecturus: cap. primo Oseæ, eius mors exponitur quoque, ob quam vastata sint Hierosolymæ, & populus à Deo reiectus. At in fine capituli magnus futurus

Verus cultus desit in Hebræis.

rus nuntiatur dies, hoc est secundus aduentus Israelis Messia Filij Dei. Non repetam gentes vocatas in populum Dei, non ægritudines sanatas, & alia omnia, quæ scribuntur de primo aduentu; atq; eos reiiciendos è populo Dei, qui non audissent Prophetam illum. qui verus in his, quæ nuntiavit extiterit. Deut. 18. Illud mirum videri debet, Deum sæpe castigare populum suum, nec tamen eum rejicere, nisi dum negatur Messias missus. aliàs. n. perseuerat misericordia eius in suum populum, in seculum, in generationem, & generationem: vt sæpe repetitur in Psalmis, & in alijs diuinis scripturis. Item verbum non deficit in generationem, & generationem, Psal. 77. 9. Item opera, quæ narrantur de generatione in generationem in populo Dei. Psal. 145. item regnū, & administratio, Psal. eodem. Item populus perseuerat, vt 2. Reg. 7. 24. dicitur. Confirmasti populum tuum Israelē vsque in seculum. Nec pudet Hebræos non videre adhuc suum errorem, dum misericordia Dei erga se non conspicitur: non habent promissiones ultra, nullum sibi sit verbum: non extant opera Dei, vt ante, in ipsis. Permanserunt post Christum semper sine regno, & statu publico: sunt sine patria vagi, & exules, sine firmis sedibus: non obtinent agros tanquam non participes humanæ societatis. Ac jam præterierunt. 1500. annis quibus ita sine statu fuerūt, nec adhuc adducuntur, vt credant. Aut verbū Dei est falsum, dū nō præstatur misericordia, non adsunt promissiones, non sit verbum, non extant opera insignia aliqua, nō regnum & publicus status, non sedes propria: aut Hebræi non sunt jam populus Dei. Illud esse non potest, vt verbum Dei sit falsum: ergo Hebræi non sunt ultra populus Dei. Et si sunt reiecti, ne ultra sint populus Dei, ergo id evenit, quod negarint eum, quem misit Deus, Messiam. Mirum est & illud valde, tot viros doctos fuisse inter Hebræos, nec aduertisse ratio-

rationem temporum, quæ significatur in Mose, & in Prophetis, & quæ consignata fuit apud suos doctores antiquos in varijs mysterijs, præsertim in decem enumerationibus, quas vocant Sephiroth. In quibus præter alia status Ecclesiæ, & operis Dei in populo suo ab initio mundi ad finem vsque consignatur. Decem circuli ponuntur, qui & putei dicuntur, in quibus eadem signantur, quæ in puteis Abrahami, Isaaci, & Iacobi, & dicuntur putei, quod in ipsis intelligatur verbum copiosum certis temporibus datum Ecclesiæ. Quod aperuit Christus mulieri Samaritanæ haurienti aquam ex puteo Iacobi. Ducuntur autem lineæ à circulo ad circulum, & ad circulos, vt sint tanquam canalia, quæ confluant à puteo in puteum, & in puteos. donec omnia confluant in postremum circulum, seu orbem Melchut. In quibus puteis, seu fontibus significatur, vt dixi, verbum Dei solemne, & copiosum datum certis ætatibus Ecclesiæ, & populo Dei. In canalibus autem cursus, ab vna ætate in aliam eiusdem verbi, quando oportuit persistere in verbo Dei solemniter dato vsque dum aliud in alia consequenti ætate dabatur: seu idem, repetebatur, & augebatur promissionibus, explicationibus, denuntiationibus, gratia, & Spiritu: item prædicatione, & effectationibus rerum tum promissarum, tum denuntiarum. Ergo in primo orbe partim nigro, partim albo signatur ipse Deus, vt indicat nomen illud Ensoph in se ipso absconditus ab humanis sensibus: siue etiam tempus deinde ante promissionem, in quo vigerunt tenebræ super faciem abyssi, Spiritu tamen Domini incubante super aquas. In altera parte alba idem Deus significatur, se per creationem rerum, & Ecclesiæ, & per opera, & per verbum suum patefaciens. Et hîc primum apparet Deus Creator omnium: Patrem se ostendit Adamo, Abelo, Setho; dat eis suam legem, se vnum Deum

*Typus
cum tertio,
& secundi
cali tum,
Ecclesia
ab extre-
mo celo
ad extre-
mum cae-
li. Deut.
4.32. Psal.
120. 7.*

Deum adorandum semper præcipit: se ferre coronam diuinæ maiestatis, se primam personam in diuinis, ut aîst theologi, esse declarat. Vnde primum Sephiroth dicitur Cether, hoc est, corona. Secundum ad dexteram dicitur cochma: & significat Iehouam, qui coeptus est inuocari ab Enocho, & à suis posteris. Tertiū est bina ad sinistram, in quo prudentia, & intelligentia significatur prophetiæ, quæ patuit in Enocho. Ac in Cochmā Filius, in Bina Spiritus Sanctus unum cum Patre sunt indicati. Et in hoc tempus tertium ante promissionem Abrahæ, & ante legē venit quoq; tempus Noë, & iudicij magni peracti per inundationem aquarum, cuius iudicij simile futurū esset in tertio statu mundi, qui est Spiritus Sancti, quando antecessit primus status circūcisionis datus Patri, & secund° baptismi tributus Filio. Vnde quæ sunt temporis Enoch, confluent & in Sem filiū Noë, ac eius semen. Quartum Sephiroth infra ad dexteram signat primam ætatem, in qua fuit lux promissionum: quæ ætas respondit primo diei, quando dictum fuit, sit lux. Vbi se aperuit gratia, & misericordia Dei erga nos iustificatos fide in promissionibus de beata, & æterna vita factis Abrahæ, & omnib° credentibus. Quintum ad sinistram dicitur Gebora, maiestas, & potentia; quando dedit Deus legem Mosi, eiecit gentes post percussum Pharaonem, in quorum locū posuit populum suum, dedit statum publicum. Sextum attulit gloriam regni Israëlitici, in quo videntes, & intelligentes Prophetæ complexi sunt Christū in vtroque eius adventu, narrantes, & nuntiantes opera eius in constituenda Ecclesia, & publico statu, ac regno in vtroque aduentu. Septimum exhibet Christum Deum, & hominem: ac in eius morte, & resurrectione, victoriam peccati, & mortis, & inferni. Continet pariter victoriam martyrum, & laudem de Veritate Euangelica ab ipsis defensa constituto statu

tu publico Christianorum. Et dum Tipheret, in quo signatur tempus Prophetarum, ponitur in medio, & Naza, in quo signatur tempus aduentus Christi, ponitur ad dexteram, quod contra debere fieri videretur, dum Christus lux mundi venit in medio temporum, & est ipse, qui ambulat inter septem candelabra aurea; existimo factam fuisse eam commutationem, quod Christus in primo aduentu venerit in humilitate. Qui dixit, dormiui, & somnum cepi: & idcirco, vt Deus absconditus venerit in Naza ad latus, atque in Prophetis fuerit conspectus Deus præpotens, quique conspicietur re ipsa tandem in secundo aduentu, simul lignum vitæ, & tetragrammaton, afferens populo Dei sabbarismum, & vitam æternam. Octauum videtur proponere primum caput Apocalypsis. In quo contra Papam factum Antichristum maximè tempore Caroli magni; atque contra Romanam Ecclesiam peccantem, vt peccauit Salomon, venit Christus ambulans inter septem candelabra aurea, cuius solius laus futura est summi pontificatus, qui & solus erit Rex Regnum, & Dominus dominantium. Nonum incipit aperire fundamenta Prophetica, & nunciare regnum Dei instare, ad quod parare se omnes debeant. Decimum est ipsius regni, in quo dominabitur vnus Christus omnibus, qui in terris persistent. Sunt hi Sefhiroth, vt dixi, tanquam putei, seu fontes magni: lineæ ductæ ab vno Sefhiroth in aliud sunt tanquam canales ab vno fonte in alium fontem excurrentes. Ita tres primi Sefhiroth ducuntur in septem per sua canalialia: in primo cognoscimus Patrem, in secundo Filium, in tertio Spiritum Sanctum. In aliis septem, septiformem, quem vocant Spiritum Sanctum à Patre, & Filio manantem. Per quem Pater, & Filius egerunt omnia in septem aetatibus coepta prima ab Abrahamo propter lucem promissionum. nam tempus prius datum fuit tenebris, quod lux

& promissio solemnīs nondum fuisset facta. Et quia Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, sunt vnus Deus; in septem operibus Spiritus sancti simul ostenditur Pater & Filius, & mutua opera trium, in vnoquoque trium, Vnde in quarto Sephiroth iterum significatur Pater, in quinto Filius, in sexto Spiritus sanctus, tamen in opere vnus tres intelligantur, vt in Abrahamo, Isaaco, & Iacobo: vt in arca, & duobus Cherubinis indicatur, item in septimo ostenditur Filius cum Patre & Spiritu Sancto: in nono Spiritus Sanctus cum Patre & Filio, qui in decimo mansionem, & sedem habent in populo suo deinceps semper. Vnde noui cœli, & noua terra adest præsente Deo nobiscum: nouus status mundi creatur: fatum deest. Quoniam qui supra fatum est, adest: atque septem gubernatores erratici in hoc cœlo aspectabili cessant certas mutationes afferre in terris: superiores gubernatores septem septiformis Spiritus iam agent omnia in Ecclesia, ac regno Dei. In quibus erit ipse Deus cœlos nouos, & terram nouam, vt dixi, afferens semini Abrahamæ. De quibus cœlis & noua terra vaticinatus est Isaias cap. 65. Ergo habemus in hac figura statum mundi ab initio vsque ad finem temporum. Ac vt prætermittam, & sinam alios contemplari in hac eadem figura cœlestia & super cœlestia, atque adeò ipsum thronum diuinæ maiestatis; prius oportet in ipsa statum mundi cognoscere. Quo cognito his postremis temporibus in apertione Prophetiæ, erit aditus ad cœlestia, & super cœlestia. quod mihi video datum hoc tempore munus, illud vt Deus dat, exequor: & quæ ad meum institutum faciunt, tantum assumo ex his decem enumerationibus, in quibus continetur etiam summa & huius præfationis, & omnis meæ interpretationis in sacram historiam. Hunc ergo statum mundi in his enumerationibus consignatum, aperuit Deus Adamo dato ei suo verbo. Quod verbum
duce-

ducebatur ad Abelum, & Sethum. Et quamuis semen per quod conterere debuit Deus caput Serpentis, patefactum fuisset in Adamo, & Abelo, qui offerebat pecudes, & item Setho; tamen Enofo nouum factum fuit verbum de nomine Iehoua, seu Iesu inuocando. Item hæc patuerūt. Enocho, qui accepto nouo verbo Prophetico, susceptoque Spiritu Sancto nuntiavit futura etiam postremorum temporum, & status Spiritus Sancti. Ac in Noë confirmatum fuit verbum, aliis ante factum, peragente Deo suum iudicium, quod esset etiam figura, & admonitio iudicij futuri in constituendo statu Spiritus sancti. Hæc significantur in tribus primis Sephiroth. In quibus aliqui Hebræi cognoscentes Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, concurrerunt ad Baptismum, vt baptizarentur in nomine Patris, & Filij & Spiritus Sancti. Quartum signat verbum factum Abrahæ: & in canalibus status totus promissionum ab Abrahamo vsque ad Mosem. In quinto significatur lex data per Mosem: & in canalibus status populi Dei à Mose & Iosue vsque ad Samuelem, & Reges, & Prophetas. In sexto significantur Prophetæ quatuor, qui dicuntur maiores, & duodecim minores, & verbum Dei ad ipsos factum: atque tempus deinceps in populo Dei vsque ad Christum. In septimo habemus primū aduentum Christi, eius prædicationem, & Apostolorum, & tempus ab Ecclesia Apostolica vsque ad libertatem adeptam profitendi, & prædicandi liberè Euangelium sub Constantino Imperatore, siue vsque ad Papam restitutum per Carolum magnum in suam tyrannidem. Hoc tempore præter verbum Euangelicum, & Apostolicum, præter Apocalypsim, extiterunt multi Prophetæ, vt narrant acta Apostolorum. Extitit deinde Hermas, de quo meminit Paulus in Epistola ad Roma-

nos- Extitit Methodius, & alij, quorum Prophetia in euentis apparet fuisse Dei verbum, vt præmittam magnum numerum Doctorum, qui Græcè, & Latinè verbum Dei sūt interpretati. In octavo tempus à Carolo magno vsque ad tempus Abbatis Cirylli, & Ioachimi, & decretalis papistici constituti in populo Christiano. Tempore Caroli magni Rabanus Monachus præceptor eiusdem Caroli scripsit librum de cruce, quæ tum fuit spreta à Papatu: qui liber & propter Prophetiam, quæ in eo inest, & propter magnam de Filio DEI doctrinam, cognoscetur à spiritu sancto scriptus, & verbum Dei tum factum ad Ecclesiam, & populum Christianum. In nono tempus ab illis nouis Prophetis vsque ad hæc nostra tempora. Quo toto illo tempore præter duos Abbates, quos dixi, extiterunt plurimi Prophætæ nuntiantes omnia, quæ nos nunc vidimus in secundo aduentu Domini fieri. Thelesphorus in suo libro multos collegit. Habemus præterea fratrem Robertum præter alios retinentem morem antiquorum Prophetarum. Habemus Sauonarolam alterum Eliam nuntiantem adesse secundum aduentum Domini, & illa, quæ vidimus euenisse pertinentia tum ad prædicationem Euangelicam, tum ad restitutionem regni Israëliti per virgam ferream. Quæ autem opera, & quam copiosum existat nunc verbum Domini in Melchuth, apparet, & apparebit quotidie magis. Ecce iam misericordia, & opera, & regnum, & verbum Dei in populo Christiano à tempore Christi, & deinceps vsque ad postrema tempora, & ad secundum aduentum Domini, in generationem, & in generationem. Quod verbum probatur verum Dei verbum in euentis ipsis, vt monuit Deus in Deut. Atque ex vero verbo Dei probantur reliqua vera. E septimo iam fõte videmus effluxisse Hebræos, atq; ductos extra fontes, et alueos patrum: ingressas autem gentes in Dei populũ: a c

Hebræi e-
gressi è po-
pulo Dei
ne sint I-
srael &
ingressæ
gentes.

bum nullum deinceps extitit Hebræis à Deo; quod in generationem, & in generationem extitit Christianis: extitit status, & opera Dei in eisdem à Prophetis descripta. Vnde constat Hebræos à tempore Christi fuisse semper extra cultum Dei. Hoc autem tempore in apertione Melchuth vocantur omnes & Hebræi, qui exierunt ex Israël ne essent Israël: vocantur & gentes omnes, quæ exierunt è cultu Dei iam à Cain, nec vnquam ingressæ sunt, dum verbum fuit factum Abrahæ, Mosi, Prophetis, Apostolis, Doctoribus, ac Prophetis in populo Dei Christiano. Hebræi inquam, & gentes omnes vocantur iam in regnum Dei, in quo Spiritus Messiaë Christu Iesu, qui est verus Deus, incumbet super omnes credentes eiectis non credentibus, & se non suscipientibus. Nunc est postremum hodie, postremum tempus, tempus iudicij, vt qui non sunt Christi, nullum sint habituri locum nec in terris, nec in coelis: atque Sabbatismus relinquatur populo Dei. Quamobrem nos qui fuimus in cultu Dei ducto ab initio mundi, & à primo homine cum omnibus, qui verum cultum Dei retinuerunt; vocamus omnes mortales in eundem Dei cultum, vt idem verbum Dei audiant. Atque interea nos testabimur de vno Deo Patre, Filio, & Spiritu Sancto: de vno saluatore humani generis Christo Iesu cum omnibus, qui ante nos fuerunt. Nam is solus verus Dei cultus apparebit, qui vnus semper fuit ab initio, tametsi variè propter mysteria propositus: vnus Deus, qui ab initio sit inuocatus & semper deinceps à verè pijs; vnus saluator, per cuius semen conterendum esset caput serpentis. Dij gentium non fuerunt semper inuocati: non eorū cultus fuit sempiternus. Nec Maumetus fuit, vt Filius Dei ab initio, nec semper ille, vt hic coletur. Ergo debebunt omnes, qui iam permansuri sunt in terris participes regni Dei, conuertere se tandem ad suum creatorem, & patrem

*Tempus
postremū
sabbatist
mi.*

omnium : induere Iesum Christum, in quo per fidem formantur filij Dei : suscipere Spiritum Sanctum, per quem perficientur in se omnia, quæ ad eos, qui cum Deo Patre, & eius Filio æternitatem in cœlis adepturi sunt, pertinent. Ac vt superioribus ætatibus hæc fierent in omnibus credentibus, Pater qui in statu promissionis, & legis declarauit se præpotentem Deum Creatorem, & Dominum vniuersorum, condidit Ecclesiam, quam in Filio suo per Spiritum Sanctum voluit esse sanctificatam : Filius in prædicatione æterni Euangelij exhibuit, & præstitit se liberatorem, & seruatorem mundi suscepta carne nostra, vt caput fieret Ecclesiæ. Spiritus Sanctus vt semper peregit omnia in omnibus piis, ita nunc potissimum in satisfactione Prophetiæ præbuit se effectorem omnium in omnibus, dum constituitur regnum Israëliticum : inuocatur Ecclesia Apostolica ; induitur ipsa bysso : ornatur tanquã sponsa viro suo. Atque inde debuerunt, & debebunt omnes credentes, & hæc magna suscipientes cum gratias agere Deo immortalis, ac recognoscere munera, & dona Patris, & Filij, & Spiritus sancti; tum hæc prædicare, de his testari apud vniuersum mundum, ac omnem posteritatem. Vnde patres sub lege etiam effusione sui sanguinis, & animæ, non solum amotione præputij testati sunt de Deo Patre, deque eius operibus in ipsis; de Filio missio à Patre testati sunt profitentes aquam baptismatis : ac cum eodem Filio pro veritate Euangelica, quam prædicabant, & docebant, tuenda, & promouenda, sustinuerunt quæuis incommoda, & afflictiones & supplicia, & mortem. De Spiritu Sancto testati sunt quoque Apostoli, & martyres, testati sunt tota ætate sexta noui Prophetæ illa omnia, quæ nunc sunt, nuntiantes futura in secundo aduentu Domini in Spiritu. Testatur & nunc maximè, qui cognoscunt Christum per eundem Spiritum prædicare nunc iterum Euangelium : parare sibi vbique terrarum, & gen-

tium, tot, quot videmus credentes: tanta perficere in profitentibus Euangelium, & in aliis, quanta visa nunc sunt fieri, & in prædicatione verbi, & in perturbationibus armorum: sistere credentes ad dexteram, non credentes ad sinistram: retinere illos exercitos in graubus afflictionibus, vt ipsorum testimonium de æterno Euangelio sit probatum: seruare hos ad certum tempus, ad certam horam, & momentum, in quo patefiat eorum mendatium, qui verbum Dei sanctum, ac illius opus negauerunt. Quãobrem hoc postremo tempore etiam adducti in postremum discrimen, & perturbationem rerum omnium, persistere debebunt in confessione de vero cultu Dei, quemadmodum qui paulò ante instaurarunt prædicationem Euangelicam, testati sunt de verbo Dei, ac de æterno Euangelio sustinentes omne genus mortis. Nam si omnes sancti, & ministri, præsertim diuini verbi semper antè id fecerunt, & in promulgata, & data lege, & in prædicatione, ac susceptione Euangelij: oportebit & nos hoc tempore, quando renouata prædicatione Euangelij loquentem audimus Spiritum Sanctum, atque operantem videmus quæcunque tãtò antè prædixerat in Prophetis; nullis cruciatibus deteritos adiungere testimonium nostrum testimonio patrum: testarique de his, quæ locutus est, & egit nunc Spiritus Sanctus: vt ab illis testatum est de Patre, & Filio; atque fiat vnum illorum, & nostrum testimonium, vt Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, vnum sunt. Atque tandem perfectum existat testimonium sanguinis in vna Ecclesia Catholica totius mundi. Vt conspicuum futurum est testimoniũ Patris, & Filij, & Spiritus sancti. qui tres vnum sunt, & ita cognoscendi in eadẽ Ecclesia. Ac vt in circũcisione patres testabantur de his, quæ legibus & ceremoniis sibi fuerunt tradita, quæque per ipsos egit Deus: patres item in baptismate de his, quæ egit, & locutus est Dei Filius; similiter & nos de his testabimur, quæ locutus est, & egit per

*Testatur
populus
Dei omni-
um eta-
rum ver-
bum Dei
verum in
his, qua
nuntiauit
omnibus
etatibus.*

Spiritum sanctum Christus in ipsius secundo aduentu in Spiritu. Quò Prophetiæ credatur, quemadmodum creditum est legi, & Euangelio: credatur & Christo secundo ad nos venienti in Spiritu, vt creditum est, quando venit in carne. Præterea vt testati sunt patres in circumcissione, & in baptismo, ita nos pariter hoc tempore aperta Prophetiæ testari debemus omne Dei verbum verum: Deum præstitisse, & effecisse omnia omnibus temporibus, quæ promisit in omni diuina scriptura populo suo, & sub lege, & sub Euangelio. Debemus simul & afferre, quæ promisit nunc, dum aperitur Prophetia, Deus: vt illi post promissa præstita ostensa, morebant, quænam ab eodem denuntiabantur futura. Nam inde dum Deus verus apparebit, etiam multa de Deo demonstrabuntur. Ac vt quæ dicimus, simplicioribus patefiant, exemplis videntur exponenda. Promiserat Deus Abrahamæ, vt præteream promissa Adamo, & aliis quæ præstita conspiciuntur omnia ætate septima, se eius semini daturum terram Chanaan, & aliarum multarum gentium. Post 400. annos vocat Mosem, ait, vt fuit promissio. cap. 15. Gen. se iam præstaturum quæ promisit Abrahamo, & Isaac, & Iacobo. Promittitque sæpe Deus Mosi, & populo Israëlítico, vt licet videre in libris legis, eadem; insuper nuntiat & quæ mirabilia per ipsos Israelitas effecturus sit, & quæ bona eis daturus. Postquam autem quæ promisit Deus, Abrahamæ, Mosi, populoque Israëlítico & in Aegypto, & in deserto, fuerunt præstita; recenset illa Iosue in fine. 21. cap. & 34. quomodo omnia fuerint peracta - & populus fatetur, ac testatur. Vnde dictum est cap. 23. Deus pugnavit pro vobis, expulit gentes à facie vestra, quòd non exciderit verbum vnum ex omnibus optimis, quæ locutus est Dominus Deus vester super vos: omnia euenerunt vobis: non excidit ex eis verbum vnum: Hæc dicta, & conclusa sunt constituto statu pub-

tu publico populi Dei. Interea aduerte hęc, quid nuntietur capite eodem 23. Si filii Israël transgressi fuerint pactum Domini, futurum est, vt expellantur è terra illa opima data sibi à Deo. quod memoria retine, & factum videbis & in captiuitate Babylonica, & post Christum euersis Hierosolimis, & nunc in nostra seruitute Antichristica, vt præteream alia tempora Iudicum, regum, & ducum Israëlitarum. item sub Papatu sæpe punitum populum Dei, præcepta eius violantem. Nam hæc nuntiata sunt futura in eodem populo Dei, & facta vidimus. Veniamus iam ad statum regum. Salomon postquam ædificauit templum, promissa à Deo assumit ipse quoque, & perfecta ostendit cap. 8. tertij lib. Regum. Primum ostendit versu. 20. quæ promissa fuerant Dauidi Patri suo de templo ædificando per se filium, fuisse præstita: deinde versu 56. ait Benedictus Dominus, qui dedit requiem populo suo Israël iuxta omnia, quæ locutus est: non excidit verbum vnum ex omni verbo eius bono, quod locutus est per manum Moysi serui sui. Et hæc concluduntur de statu constituto, & firmato regni Israëliti: in quibus dum ante promissa ostenduntur præstita, in templo significantur futura de Christo, ac eius Ecclesia. Accedamus ad captiuitatem Babylonicam, ducto in seruitutem populo Israëlitico longè à Patria illa opima, perfectum est, quod in Mose sæpe denuntiatum fuerat. & quod cap. 23. Iosue dicitur. Et erit sicut venit super vos omne verbum bonum, quod locutus est Dominus Deus vester vobis; sic adducet Dominus super vos omne verbum malum, donec, disperdat vos è terra optima ista; quam dedit vobis Dominus Deus vester, cum transgressi fueritis pactum Domini Dei vestri. Unde post captiuitatem peccatum suum confessi sunt Israëliti dicendo lib. primo Esd. cap. 9. à diebus patrum nostrorum fuimus in delicto magno vsque ad diem hanc: & pro-

pter iniquitates nostras traditi sum^o nos, reges nostri, & sacer-
 dotes nostri in manum regum terrarum, in gladium &
 in captiuitatem, & in rapinam. & in pudorem vultus se-
 cundum diem hanc. Vbi hic dicitur, à diebus patrum no-
 strorum fuimus in delicto, verbum Dei ostenditur verum,
 atque habuisse semper suum euentum eorum, quæ denun-
 ciata fuerant sæpe in Mose, & in Iosue. Quòd semper po-
 pulus punitus sit à Deo per impias gentes, quando à fœ-
 dere, & præceptis Dei recessit. Vt videmus in libro Iudi-
 cum, & in libris Regum sæpe euenisse, & in captiuitate
 Babylonica, quam nuntiarunt Prophetae, & Ieremias. Cu-
 ius vaticinium de ea seruitute ostenditur suum euentum
 habuisse in fine librorum Paralipomenon. Nobis, qui au-
 diuimus prædicationem Euangelicam, & non secundum
 eam viximus, ait Deus in Ezechiele cap. 33. cum sanguine
 comeditis, & oculos leuatis ad immunditias vestras, &
 sanguinem funditis, nunquid terram hæreditate posside-
 bitis? item steteritis cum gladiis vestris, & fecistis abomina-
 tiones, & quisque vxorem proximi sui polluit, nunquid
 terram hæreditate possidebitis? iam per trucidationes, æ-
 gritudines, & pestem expellimur è terris, nec aduertimus.
 At tandem cum Daniele cap. 9. fatebimur peccata nostra,
 fatebimur verum Dei verbum. Nam dum hæc nuntiarunt
 Prophetae de populo Israëlitico sui temporis, simul nun-
 tiarunt eadem, & similia peccata posterorum, & Christia-
 norum: similem captiuitatem, & similem liberationem in
 primo, & secundo aduentu Domini, atque iudicium futu-
 rum, & Dei regnum. Progrediamur ad Christum. Vt præ-
 teream historiam Machabeorum, prædicat Christus Euan-
 gelium, & ait, legem & Prophetas vsque ad Ioannem Ba-
 ptistam Prophetauisse: statum circumcisionis, legis, &
 vmbrarum ibi finem habuisse: iam generatim omnia, quæ
 scripta sunt in Mose, & Prophetis de liberatione, ac salu-
 te,

te; habere in se Christo sua euentia, & veritatem. Inde inculcabat Iudeis, vt legerent Mosem, & Prophetas, qui de se locuti essent: in suam mortem, & resurrectionem, reuocat generatim quæ denunciata sunt in Mose, & in Prophetis. Et cum aliàs id fecit ante sæpe, tum quando duobus discipulis euntibus in Emmaus interpretabatur, quæ in omnibus scripturis sanctis de se extabant, exorsus à Mose, & Prophetis. Quæ interpretatio non fuit exposita ab Euangelista. Quia vt existimo, in ipsa debuerunt fuisse aperta & quæ ad eius secundum aduentum pertinebant. Quæ quidem ante suum tempus non debuerunt promulgari vulgò. quemadmodum & dum prædicat suum Euangelium ipse Christus, & operatur, denuntiat simul, quæ sunt sui secundi aduentus: obscure tamen, & parabolis dum loquitur populo, aperte autem quando separatim loquitur cum Apostolis: vt sæpe monemur in Euangelistis. Missò autem Spiritu Sancto in Apostolos, atque illis, & Paulo patefacto mysterio Euangelij, quod continebatur in diuinis scripturis; etiam veritas patefit vmbraarum, & ceremoniarum, quæ continebantur in lege, vt & Paulus inquit in fine Epistolæ ad Romanos. Itaque denuntiantur, & promulgantur præstita, quæ promittebantur in Mose de Messia: quæ in omnibus sacrificiis, & ceremoniis: & simul quæ adhuc denunciabantur in Mose, & Prophetis futura in secundo aduentu: & toto tempore inter primum, & secundum hunc aduentum, proponuntur expectanda. Nam illa assumpserunt, & docuerunt Apostoli, ac pariter monuerunt posteros omnes de his, quæ debuerunt expectari. Quæ ratio obseruata est in omnibus diuinis scripturis: vt cum essent promissa præstita, atque ostensa, & confirmata præstita; simul denuntiarentur, quæ adhuc, & iterum promittebantur, erantq; expectanda. Vt præstitis per Mosem, & Iosue, quæ præmissa sunt Abraham, proponuntur ab iisdem futu-

ra. Alata captiuitate Babylonica, quæ fuerat ante denū-
 tiata futura, perſcribuntur quoque in Prophetis, quæ fa-
 cturus fuit Chriſtus in duplici eius aduentu, vt diximus.
 Hinc Apoſtoli præter prædicationem Euangelij denun-
 ciant futura, quemadmodum & ipſe Chriſtus, qui dixerat
 de ſuo Spiritu mittendo, ducet vos in omnem veritatem,
 & quæ futura ſunt nuntiabit vobis. Atque ſeparatim tra-
 didit Deus Eccleſiæ Apocalypſin, in qua aſſumuntur præ-
 terita, & exponuntur futura deinceps omnibus ſeculis, ta-
 metſi in Moſe & in Prophetis hæc quoque contineantur,
 vt docemur in ipſa Apocolypſi. Iam verò cùm adſit ſe-
 cundus aduentus Domini, in quo agat ipſe, quæ denun-
 tiata ſunt à nouis Prophetis ſexta ætate tota, & tandem à
 Hieronymo Sauonarola: quæ denunciata ſunt ante in A-
 pocalypſi; quæ ab Apoſtolis; quæ in Euangelio ab ipſo-
 met Chriſto; quæ in Prophetis; quæ in Moſe; noſtrum
 eſt quoque hoc tempore hæc animaduertere in ſacris vo-
 luminibus tantò ante prædicta: atque in ipſorum effeci-
 one, & euentu recognoscere præſtita; futurumque ſtatum
 mundi intueri in his, quæ nobis in tota Prophitia promit-
 tuntur: Deo noſtro ſuam laudem dare, ei gratias agere,
 quas debemus ſemper, quemadmodum faciebat Moſes,
 Iofue, Salomon, Eſdra, & populus liberatus è captiuitate
 Babylonica, quemadmodum fecit Chriſtus Ieſus, & ſui
 Apoſtoli. Et quoniam ab exordio nunciauit Deus no-
 ſter nouiſſimum, & ab initio nondum facta, vnde cõpro-
 betur ſolus, & æternus Deus, vt monemur in Iſaia cap. 46.
 vbi ait ipſe Deus. Recordamini priorum, quæ ſunt à ſe-
 culo quia ego Deus. Ergo ab initio ipſius Geneſeos oport-
 ebatur repetere verbum Dei, & ibi nouiſſima tempora, &
 quæ nunc ſiunt, oſtendere prædicta, denunciata, & pro-
 miſſa fuiſſe: atque deinceps perſequi totam diuinã ſcri-
 pturam, & vbique in ea contemplari omnia promiſſa ſin-
 gulis.

*Deus ve-
 rus cogno-
 ſcitur ex
 omnibus
 præſtitis,
 quæ nun-
 ciauit ſe-
 per, & ab
 initio.*

gulis aetatibus denuntiata, & significata, & repetita. Atque haec effecta, & praestitata, quaeque suo tempore. Quae dum agentur, simul assumemus testimonium Patrum in circumcissione, qui de Patre, & eius lege, & promissis testati sunt: assumemus testimonium Apostolorum, & aliorum, qui in baptismo testati sunt de Filio, & de eius sancto Euangelio: assumemus testimonium tum eorum, qui tota aetate sexta nuntiarunt ea, quae nunc fiunt, tum eorum qui nunc in repetita praedicatione Euangelij, ac in his, quae simul ferro agit Christus, testantur de Spiritu sancto, & de euentis simul omnium, quae denuntiata sunt per eundem Spiritum, ac Dei verbum in tota Prophetia. Oportet enim quemadmodum in Ecclesia testatus est de se Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, qui tres vnum sunt; similiter Ecclesia, quae est vna in circumcisis, & baptizatis aqua, & baptizatis Spiritu & in statu Filij, & in statu Spiritus Sancti, testetur de vno Deo Patre, Filio, & Spiritu Sancto per ea quae in lege, Euangelio, & Prophetia sunt nobis denuntiata; deinde haec in ipsa Ecclesia, effecta, & praestitata. Nam haecenus facta sunt in parte, quae denuntiata sunt in tota Prophetia. Nuncautem cum sint tempora restitutionis omnium, quae locutus est Deus per os omnium Sanctorum suorum Prophetarum ab initio, etiam de omnibus pariter denunciatis effectis testabitur simul deinceps vniuersa Ecclesia. Hinc cogit nos Deus cap. 48. Isaie nuntiare, quae ipse nuntiauit iam ab initio: ac vrget nos, inquiens. Et vos non annunciabitis? Vnde duo haecenus proposita sunt, quae contemplabimur in hac praefatione, quaeque tractantur in omni diuina scriptura. Illa, quae sunt legis, & Euangelij, ac ipsius Dei se ostendentis in suo verbo: item illa, quae sunt Prophetiae nuntiantis omnia tempora: quaeque Deus in sua Ecclesia, & populo singulis temporibus secundum verbum a se denunciatum effecerit. Et

quoniam plurima, quæ sunt diuinæ legis, & æterni Euāgelij mysterio sūt tradita, & futura parabolis certis & exposita, vt de æterno Euāgelij mysterio tradito sæpe meminit Paulus: & de rebus futuris iā ac initio per parabolas expositis monet Matthæus cap. 13. & Psa. 78. Si illa duo erunt demonstranda; videretur & simul in hoc ingressū in interpretationem, aperienda aliquo modo ratio, quæ sit parabolarū, & mysteriorum in sacris literis, & vnde ducta sit primum. Illud quidē cōstat, mysteria fuisse abscondita apud Deū ab initio, vt ait Paulus: patefieri autem per reuelationem, per expositionem, & aliqua demonstratione, effectu, & euentu rerum. Vnde vera ostēditur Prophetia in euentu rerū prædictarū, hic Christ⁹ quæ agebat, monebat, esse recognoscēda in Mose, & in Prophetis. Apostoli itē monebāt, posteros, vt attēderēt, quæ nā de se nūtiassent Prophetæ, vt & inde haberetur cognitio, et expositio prophetiæ. Per euenta ergo habebitur expositio Prophetiæ, & ratio interpretationis, quæ quidē habetur & per reuelationē. Vti habuit Dauid, Apostoli, & multi alij: sed nunc loquimur, & agimus nos de expositione, quæ habetur in euentis rerū denuntiarum, quæ quidē si haberi debeat vniuersa, oporteat nos peruenisse ad postrema tēpora, quando fiunt, quæ nuntiata sunt futura postremis temporib⁹: quando cognoscetur cōfilium Dei, vt dicitur in Iere. ca. 23. & 30. fiunt autē iam illa quæ nūciata sunt futura postremis dieb⁹: ergo possum⁹ percipere quæ, & quomodo denūciata sūt futura in tota propheta per postrema pcepta recurrēdo ad prima: atq; inde inter ptationē generatim habere. Nec illud impedit, quò min⁹ aliqui habeant, dū magna multitudo ignorat, siue potius nō attēdit. Quomodo verò ego, quæ nūc scribo, habeā, & an præter euenta requirātur adhuc aliqua ad intelligēdū; nō est, vt hic nūc quærat; sed vt quæ offerimus Ecclesiæ; in euentis cognoscantur, & examinētur: atq; de ipsis iudici-

dicium fiat. Constat enī quādo fiūt aliqua, siue multa nū-
 tiata in verbo Dei, vt sint sēper aliqui, qui illa nūciata ad-
 uertant. Vt Fabricius & quidam alij aduerterūt, & scriptis
 nos monuerūt. Ergo ita dicamus. Si nunc est aduentus ille
 Domini, de quo loquitur ipse Christus cap. 24. Mat. & fiūt
 illa, quæ ibi nūciata sunt. Si est tempus iudicij, dies sunt vl-
 tionis, vt cōpleātur ōnia, quæ scripta sunt, Luc. 21. atq; dies
 hos sentiamus vltionis, nō solū audiamus: Si sunt tēpora
 restitutionis omniū, quæ Deus locutus est per os omniū san-
 ctorū suorum Prophetarum ab initio, vt ait Pet. Act. 3. atq;
 hæc iam diu agi coepta sint; ergo euēta possunt cognosci
 rerū prædictarū; ac ratio aduerti parabolarū, & ænigma-
 tū, vt vocat Salomō, & Ecclesiasticus, & qui scripsit Psal. 78.
 Dum autē in euētis cognoscūtur parabole, siue similitudi-
 nes, siue ænigmata, p̄ quæ à prophetis nūtiata sunt futura;
 datur aditus ad penetrandum abdita mysteria, quæ sunt in
 Mose, & alibi, vt vbi ducta sit ratio primū cōsignandi fu-
 tura, & abscondita, percipiatur. Ait enī Pau. Per scripturas
 Prophetarū patefactū esse mysterium Euangelij. Ita ergo
 ostendētur, quæ sunt diuini cultus, & ipsius Dei; item quæ
 sunt Prophetiæ, si quæ mystice fuerint dicta, & per parabolas
 nūtiata, simul perquisita sua certa interpretatione, assu-
 memus cum his, quæ sine misteio, & parabolis fuerint
 iussa, & exposita. Quod vt fiat, oportebit in interpretando
 quæ sunt generatim tradita in verbo Dei notare rationem
 mysticæ, & parabolicæ interpretationis, siue mysticæ tan-
 tum dicamus. Quia utroq; modo possumus dicere. Nam
 sæpe in sacris literis vno nomine mysterij omnia, quæ te-
 cta fuerunt, & opus habent expositione, & patefactione si-
 gnificantur. Et Christus distinguens mysteria à para-
 bolis ait, inducet vos in omnem veritatem, & quæ futura
 sunt, annuntiabit vobis. De hac distinctione, seu
 distincta interpretatione agemus in argumento in Ge-
 nesi, Nunc in hac præfatione, in qua summam rerum

complectimur, retinebimus nomen vnum mysterij. Et cum ita agendum sit, videndum est quoque quam via nobis incedendum sit: an ab his, quæ euenerunt postremis diebus, quando complentur omnia, quæ scripta sunt; ducendum sit initium, colligendo singula, quæ euenerunt nostris temporibus; notando, & recurrendo ad antecedentia, & superiora vsque ad prima principia operum Dei in mudo: an à primis, & vniuersalibus assumendo cursum, & progressum rerum vsque ad postremum. In Prophetis quidem ratio illa, quæ ducit initium à singulis demonstrandis, videtur magis esse quærenda. Quod ibi à quouis, animaduersis euentis, effici poterit. In Mose autem contra quæ complectitur vniuersa, præsertim in initio librorum, & ubi ducuntur initia mysteriorum. Quamobrem ut ratio quædam generatim habeatur in initio mysticæ interpretationis, dum ab initio diuinæ scripturæ ordine nunc ipsam interpretationem; assumemus iterum illa, quæ proposita sunt de Deo, ac eius cultu, de quæ rebus nunciatis, & euentis. In quibus considerandis, aduertemus vbinam primū ratio illa se aperiatur mysticæ interpretatiōis: atque deinceps in interpretando sigillatim ipsas diuinas scripturas notabimus pariter, quæ mysticæ Pater de se, de Filio, ac de eius æterno Euangelio, & de rebus futuris consignauit ab initio in his, quæ creauit, in primis patribus, in lege, & circumfione: quæ Filius de se, de Patre, de Spiritu Sancto, & de rebus futuris præter apertam rerum demonstrationem, parabolie, & Propheticè dilexerit in Euangelio, & baptifmate aquæ ac spiritus: quæ Spiritus Sanctus de se, de Patre, & de Filio in tota Prophetia locutus est; & egit ipse, & per ipsum Pater, ac Filius tū omnibus ætatibus ante, tum hoc tempore, hæc propè omnia ordine quemadmodum continentur in sacra historia, persequentes. Nunc igitur dum contemplamur exordiū rerum propositarum à Mose

*Triaprin-
cipia, qui-
bus osten-
ditur Deo
Pater, Fi-
lius, &
Spiritus
Sanctus.*

inter-

interpretatio mystica, quam sequimur, videtur maximè ex ea demonstratione pendere, qua probatur, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus vnus Deus ex tribus principiis. Quòd Deus creauerit coelum, & terram: effecerit omnia in coelo, & in terra toto cursu temporum: nuntiarit ab initio, & semper quæ fuit facturis omnibus seculis, de his rebus breui dicere oportebit. Primùm vt initio ob oculos statuamus, quæ in verbo Dei, in omnibus diuinis scripturis contineantur, atque omnibus hominibus proponantur; deinde, vt hinc ostendatur, quòd & ab omnibus conspicietur diduci, & aperiri ratio ipsa mysticæ interpretationis, quò tandem vera interpretatio appareat, & verum testimonium nostrum de Patre, & de Filio, & de Spiritu sancto probetur, verùmque ab omnibus cognoscatur testimonium, quòd Pater, Filius, & Spiritus sanctus dant in coelo. Non jam ergo solum, vt ministri legis fecerunt: non solum vt ministri Euangelij ad credendum Deo Patri, eius Filio, ac Spiritu sancto, inuirabimus omnes ex eo quòd Deus dixerit, & quòd verbo Dei credendum sit; sed etiam necessariis argumentis conuincemus quoscunque ratione præditos quantumuis impios, vt cogantur fateri Deum esse, Deum creasse mundum, prædestinasse omnia verbo suo aeterno, atque fecisse omnia in mundo: esse Patrem, esse Filium, esse Spiritum Sanctum, tres esse vnum Deum. Nam ab initio conduxit Deus vsque ad septimū diem, ad septimam aetatem, ad sabbatum omnes homines inter tenebras, & lucem: vt ex fide, & per fidem salui fierent credentes. voluit. n. vt optimus, & sapientissimus, & potentissimus Pater familias, vt sibi & verbo suo crederetur, qui omnes in incredulitate conclusit, vt omnium miseretur. Nūc autem in crepusculo septimi diei incipimus videre, & tenere multa ex his, quæ promissa sunt: rationem operum Dei intueri, & causas ante ocul-

d tas suo-

tas suorum consiliorum prospicere. Quamobrem concludendum est nobis, qui lucem incipimus intueri aduentantis diei Christi Iesu; adesse iam diem lucis perpetuæ, & plenæ, atque tenebras priores sex ætatum incipi expelli: & quæ fide credebantur ante, oculis nunc plurima incipi videri, ac manibus teneri. Quare nemo mirari debet, si quæ fide alij ante de Deo susceperunt, dicamus nos deinceps, futurum, vt certa etiam cognitione teneantur: quod quotidie magis, ac magis fiet in fidelibus, & in Ecclesia Christi, quatenus paulatim augebit aurora lucem: atque sol septima die se attollet, vt occupet totum Orizontem, lucidissimumque tandem meridiem afferat populo Dei. Cùm igitur quæ dicebamus de Deo, necessariis conclusionibus demonstrabuntur in expositione Prophetæ, etiam aperietur historia diuina creationis mundi, & eorum, quæ gesta fuerint in mundo: consilium DEI in administratione mundi: ratio tractationis verbi Dei in sacris voluminibus; vt historia vniuersa ab omnibus percipiatur præsertim operum Dei in creanda, formanda, & perficienda Ecclesia vna Catholica sponsa Christi, ac conducenda in æternam gloriam. Mysteria multa patefient: atque aditus dabitur ad maiora quotidie aperienda in sacris Biblijs. Lex, doctrina Apostolica, & Prophetica fiet plana omnibus in innouata Ecclesia Christi: ac tandè in omnibus gentibus qualis, quantusque sit Iesus Christus Dei filius, liberator, seruator, ac Dominus noster & in cœlis, & in terris, patefiet. vt cap. primo Epistolæ primæ Petri nuntiatur futurum in secundo aduentu Domini. Cùm autem hæc, & multa alia tractanda, & cognoscenda sint in interpretatione Prophetiæ, illa quæ nunc proposuimus, breui exponamus, quibus vnus Deus, Pater, Filius, & Spiritus sanctus, ostendatur: Christus Iesus Saluator mundi ab omnibus cognoscatur: verbum Dei verum appareat in omnibus,

bus, quæ denuntiata, & promissa sunt. Ac dum hæc in hac præfatione confirmabimus, aliqua petemus, quæ nunc datur nobis, comprobanda deinceps in tota diuina scriptura. Ex quibus ratiocinabimur, & concludemus initio, quæ futura sunt manifesta omnibus in fine. Id verò agimus imitantes rationem tractationis Propheticæ, in qua initio proponuntur postrema futura, tanquam certa, perfecta, & conclusa. Et quamuis hic omnia firma quæ proponuntur credenda, & suscipienda sint: quòd necesse sit verum esse, quòd Deus fatur; veruntamen possumus & nos quædam firma, & certa proponere, quòd eorum probatio, & demonstratio, afferenda sit deinceps, quæ demonstratio ex eo confici debet, vt singula ex omnibus patefiant, omnia ex singulis, dum totum verbum Dei, omnia effecta in mundo, & mundus cum omnibus rebus in ipso creatis ab oculos proponuntur: Vnde oportuit nos peruenisse ad postreman ætatem mundi, quando conspiciuntur omnia effecta, quæ nuntiata sunt in omnibus diuinis scripturis singulis ætatibus, atque ad finem contendimus huius corpori mundi, mundanique status. Quamobrem qui patienter lecturus interpretationem Propheticam in diuinas scripturas, suscipiet, quæ sibi promittuntur probanda deinceps vsque dum ad finem interpretationis perueniatur; eum existimamus concessurum, sibi illa, quæ probanda proposuimus, fuisse demonstrata in hac præfatione, quæ quidem etiam per se non sine firmis rationibus incedet munita. Iam verò vt Deus esse demonstretur, id vt dicebamus, ex creatione mundi, atque omnium, quæ sunt in mundo: ex Dei verbo, ex administratione mundi, ex effectione, ac operatione omnium, quæ peracta sunt in mundo ab eius initio ad finem vsq; cõficietur. nō enim creat mūdā, qui non est: non fatur omnia, quæ effecturus est, qui non

est: non operatur omnibus temporibus omnia, qui non est: necesse est ergo eum esse, qui creauit omnia: prædixerit futura: effecerit omnia, quæcunque locutus sit. At ostendendum est mundum à Deo Creatum. Ostendetur id quidem, si prius verbum Dei, quod datum fuit populo Israëlítico, & Christiano, demonstrabitur ab initio & semper denuntiasse, quæ in mundo acturus erat Deus omnibus temporibus: si illa fuisse statuta, quando mundus crearetur, siue etiam ante mundum: si actiones futuræ in mundo in ipso mundo ostendentur impressæ, & iam tum destinatæ omnes. Quòd iam verbum à Deo datum fuerit populo Israëlítico in deserto, quando egressus fuit ex Egypto, non videtur necesse esse, vt demonstretur, cum (vt ostenditur Iosue 2. 11. & 9. 24. Iudit. 5. 22.) & ipsæ gentes populo illi infestæ, & inimicæ testatæ sint. Quod tamen verbum datum per Mosem, & per Prophetas, per Apostolos sit verbum Dei, in sacra historia aperietur, atque aliquas rationes, nos hîc afferemus. Quòd verò denuntiata fuerint omnia in verbo Dei, quod dixi; comprobandum est ex comparatione rerum denuntiarum, atque euentuum. Quare si ostendentur, quæ sunt status mundi omnium temporum, ea fuisse in verbo Dei proposita: & ordine, vt futura erant, atque euenerunt, exposita: manifestum erit, fuisse illud Dei verbum, & re s illas à Deo perfectas. Ostendentur autem hæc in interpretatione Prophetiæ, quæ est in vniuersa scriptura diuina. Vbi patefiet consilium Dei in æterna eius prædestinatione, qui vt pater familias, siue Rex aliquis sapiens, fructum sapientiæ, & consilij sui capit ex laudibus, quæ sibi tribuuntur ab his, qui domum totam, siue regnum vident prudenter administratum: omnia in eo ad optimū finem perducta: ac vt fuerunt prudenter prouisa, & deinde sapienter in omni actione, & operatione administrata, sic fuerint ad absolu-

*Verum
verbum
Dei probatur
ex effectis in
mundo. &
hac verè
opera Dei
ex Dei
verbo.*

absolutionem; perfectionemque perducta. Similiter Deus non inferior homine, consilio optimo ostendetur ab initio omnia futura prouidisse, quæ acturus erat in omni mundi administratione; atque immutabili fato statuisset: quale principium, & progressum rerum, & statuum vellet esse, iam tū firmo decreto pariter stabiluisse; ac ut omnia prouidit, & statuit; sic ad exitum perduxisse. Interea autem dum res peraguntur, fecit Deus, ut bonus pater familias, qui secum primum consultat, & deliberat; aperit deinde quædam vni ex filiis, quædam aliis, ut sibi videtur: in opus deducit & seruos varia munera singulis dispartiendo. Suo tempore tandem finis quidam conspicitur optimorum consiliorum, atque prudentis administrationis. Tunc omnes vulgò vident, & laudant consilia, & præclara opera, ex quibus optimus status sit constitutus. Etenim postquam fabricauit Deus mundum, & creauit hominem, multa, & magna huic aperuit. Verum quia in Deum peccauit Adamus, priuata fuit eius posteritas diuinis muneribus, ac cognitione magnarum, & diuinarum rerum, beatoque statu. Reparaturus autem Deus beatum statum hominis, e quo deiectus fuerat; quicquid acturus fuit in eo reparando, atque feliciorum restituendo, iam ab initio decreuerat, & statuerat. Interea aperuit consilium suum quibusdam piis: ut Abel, Seth, Enos, Enoch, Noe, Abrahamo, Mosi, Prophetis, Apostolis, nouis Prophetis, siue interpretibus Prophetarum vsque ad Lutherum. Reliquis autem ex toto populo singula singulis temporibus fuerunt exposita. Omnia autem, ac propè totum Dei consilium vniuersis generatim patefiet in statu constituto regni Israëlitici. Quod tempus est illud, de quo dicitur in Ieremia cap. 30. In nouissimo dierum intelligetis consilium eius. Antequam autem peruentum sit ad hoc tempus, summè expetuerunt homines penetrare ad con-

filium Dei, & scire progressum rerum futurarum, & finē:
 vt ait Petrus Epif. 1. cap. 1. nec quisquam suspicari potuit,
 nisi illi, quib⁹ Deus patefecit. Vnde interea scripsit Enoch
 de constitutione regni, & beati status piorum, vt signifi-
 cavit nobis Iudas Apostolus. In septem promissionibus
 factis Abrahæ continetur summa omnium, quæ deinceps
 in populo Dei erant futura: continentur omnia in Genesi
 tota, in libris legis, in historiis, in Prophetis, in Euange-
 listarum & Apostolorum monumentis, in Apocalypsi. Si
 non nouerunt homines causas, propter quas consilia Dei
 non sint affecuti toto tempore sex ætatum mūdi, illas nos-
 se poterunt in Prophetia aperta, Ac vt aperuit Deus con-
 silium suum seruis suis singulis temporibus, per quos, &
 per populum suum multa quoque egit; similiter per impi-
 os peregit quàm plurima, quò omne eius consilium pers-
 ceretur: vt in historia, Prophetica videbimus. Quod iam
 maximè expetiuerūt homines, cognoscere Dei consilium,
 & institutum, quod pertinet ad beatum statum piorum: ad
 sapientiam, potentiam, bonitatem, & iustitiam eiusdem
 Dei commendandam in administratione mundi; id omne
 cognoscetur, & aperietur in Prophetia. Sed vt ad perfe-
 cta consilia Dei veniamus, ad actiones, & opera, seu ope-
 rationes: vt statuit, & decreuit, & denuntiavit Deus omnia
 ab initio, sic vniuersa perfecta ostendit, vniuersa diuina
 scriptura. Quæ summam, & breuiter hic complectemur,
 exposituri illa quidem in sacra historia tota. Quod pri-
 mum tempus appellatum fuit vulgo legis naturæ, Petrus
 vocat priscum mundum, & mundum impiorum. Quod
 tempus deinceps fuit promissionis, quod legis, quod Pro-
 phetarum, quod Ecclesiæ Apostolicæ, quod mulieris in
 deserto agentis tempore Antichristi, quod nouorum Pro-
 phetarum, quod nunc prædicationis Euangelij, quod-
 que consecutorum est deinceps, omne ab initio denun-
 tiatum

tiatum est futurum. Denuntiavit item Deus omnibus,
 & singulis his temporibus se omnia acturum, quæ erant
 consecutura: atque quouis horum temporum, & statuum
 omnia, vt fatus est, peregit Deus. Quod affirmamus per-
 spicuum futurum in sacra historia, quando erit aperta
 Prophetia: in qua ostendetur certa lege, ac mensura crea-
 tum à Deo fuisse mundum: atque secundum rationem
 creati vniuersi constituta iam tum, dum mundus crearetur
 tempora, & ætates, seu secula futura mundi. Item quæ ab
 initio mundi huius aspectabilis debebant fieri opera, &
 actiones singulis ætatibus, ac seculis secundum rationem
 fabricati mundi, illa, vt post dicemus, iam dum fabrica-
 retur, siue antequam fabricaretur mundus, statuta pari-
 ter fuisse, & distincta, quænam, & qualia futura essent.
 Quamobrem si ostendetur, vt destinata fuerant ab initio
 tempora, & ætates: opera & actiones omnium, & singu-
 lorum temporum, sic deinde euenisse vniuersa, & singula:
 si ostendetur, non ab initio solum fuisse propositum con-
 siliium Dei, atque denuntiata omnia tempora & quæ o-
 mnibus temporibus facturum erat Deus; verum eadem cer-
 tis temporibus, & ætatibus fuisse repetita, dum certò or-
 dine singula singulis ætatibus nuntiat, & efficit Deus; at-
 que noua sua mysteria aperit populo suo deinde vniuer-
 so: si ostendetur Deus hæc suis certis temporibus effecisse,
 & aperuisse per seruos suos populo suo vniuerso; qui ser-
 ui fuerint diuersorum seculorum, & temporum; fuerintq;
 illi quidem multi & diuersorum locorum, & linguarum, vt
 fuerunt temporum: si ostendetur dum noua aperuerunt
 serui Dei populo à Deo ad se vocato, singulos eadem, quæ
 alij aliorum locorum, & temporum tractauisse, atq; omnes
 idem æternum Dei consiliū nuntiasse, & comprehendisse o-
 mnes eadē opera, quæ effecta fuerāt ante se, & post se fie-
 ri debebant, tametsi variis rationibus, ac diuersis vti fue-
 rint in

*Conclusio-
 nes de ve-
 ritate ver-
 bi Dei.*

rint in his, quæ sibi mandabantur, exponendis: si ostendatur postrema hac ætate septima, in quam ingredimur, omnia, vt statuta, decreta, & denuntiata ab initio fuerunt; vt singulis ætatibus, & à diuersis fuerunt sæpius pariter denuntiata, sic euenisse: si ostendatur initio hæc postremam ætatem fuisse propositam, atque omnia, quæ in ea nos facta vidimus, & visuri sumus; ac omnes seruos Dei Prophetas in hanc reuocasse finem operum Dei in hoc mundo: vtque ab initio, & omnibus ætatibus quæque fuerunt prædicta, sic visa fuisse à nobis peracta, & perfecta: si ostendatur huius ætatis nostræ non factum vnum, aut alterum, aut quædam aliqua; sed septuaginta & plus annorum cōtentiones propter verbum Euangelij in toto populo Christiano propè innumeræ; bellâq; gratia vbique, tantæ perturbations, quantas nullum autem seculum vidit, nec vllū post visurum est, ordine narratæ per Prophetas millibus annorum antequam fierent; item stratagemata, consilia, coniurationes, mores, cogitationes hominum: si ostendatur status varij in populo Dei variarum ætatum, ac eorū distincta opera: si postremus regni Israëlitici descriptus, & cōstitutus suis legibus millibus annorum ante: si hæc omnia inquam ostendentur à Deo statuta, denuntiata, & perfecta & ab initio temporis, & in progressu temporis, & in fine temporum; quis non fatebitur esse verbum Dei, quod ita omnia denuntiarit perficienda à Deo? quis non confirmabit fuisse omnia opera Dei, quæ ita sint prædicta, & destinata ab initio, & semper; atque vt fuerunt prædicta, sic fuisse omnia perfecta? quis erit adeo amens, ac sensus communis expers, qui non sentiat Deum esse, qui ita omnia disposuerit, statuerit, iusserit, effecerit, cum non nisi à Deo existere potuerint? Sua diuinatione barbaræ gentes adductæ sunt, vt diuinitatem esse crederent. quæ autem clarior, quæ amplior diuinatio esse potest, quàm v-

niuer.

vniuersorum ? at hanc conspicias in sacris voluminibus. Quod maximè expetendum fuit à diuinitate præter cætera, vt omnia ita denuntiarentur, & efficerentur quemadmodum memorauimus; id est à Deo præstitutum: nec ab vlla creatura præterquam à Deo potest effici. Vnde Deus hinc probat se esse Deum, qui nuntiauerit omnia ab initio, & deinceps quæ fuit factururus: & vt nuntiauit, ita effecerit. Atque hæc cum alibi in diuinis scripturis, tum maximè in Isaia cap. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. & 48. inculcat Deus, quòd hinc cognoscatur verè Deus. Inculcabat sæpe & Christus Apostolis, vt attenderent, quæ eis nuntiabat futura, quòd inde credere debuissent, se esse Filium Dei, vt gentes crediderunt Deum esse, vt dixi, ex diuinatione, atque vt nuntiauit Deus ab initio & deinceps postrema, ita affirmat in eodem Isaia, & inculcat pariter, se quæ nuntiauit, perfecisse omnia omnibus sæculis. Qui iam credunt sacris bibliis, illis hæc firma sunt, nec de Deo dubitant, qui autem non crediderunt contineri in sacris litteris verbum Dei, cum tempora postrema ostendent euenta omnium, quæ denūtiata sunt ab initio, & omnibus sæculis fuisse consecuta; cogentur necessario fateri verum verbum Dei fuisse: & Deum esse, qui fecerit, quæ nuntiauit. Nec reuocabo nunc lectorem ad Iosue, ad populum Israëliticū, qui confessi, & testati sunt Deum præstitisse; quæ Abrahamo, Isaaco, & Iacobo, quæ ipsis promiserat: nec ad Salomonem, & populum qui idem testati sunt: nec ad populum, qui fuit captiuus in Babilonia, quique testatus est illa sibi contigisse, quæ minatus fuerat sibi Deus per suos Prophetas iam à Mose, & Iosue: nec recensero alios præterea patres, & Prophetas omnes, qui in libris Iudicum, & Regum leguntur obtinuisse à Deo omnia sibi promissa, & ostensa: nec memorabo quæ Christus promissa præstitit: nec quæ Prophetæ tempore Apostolorum nuntiarint,

& vt nuntiarint, euenerint. Nec repetam ab Abbate Ioa-
 achimo vsque ad Lutherum omnes, qui hæc, quæ vidi-
 mus, & videmus his temporibus, & visuri sumus scripse-
 runt futura. Nam hæc omnia, & alia multa patefient in
 ipsa historia sacra. In qua videbuntur omnia fuisse denū-
 tiata à principio, & deinde singulis ætatibus, vt denunti-
 ata fuerunt, sic euenisse; & perfecta fuisse omnia. Si jam
 hæc ita se habent, duo prodeunt nobis testimonia certissi-
 ma de Deo, eius verbum, atque eius acta, seu operationes
 in mundo. Nam verbum, quod ita, vt diximus, nuntia-
 uit omnia futura, necesse est, esse Dei verbum, cum omnia
 ab illo pronuntiatata, ea ratione qua nuntiata sunt euene-
 rint, & perfecta sint, quæ sunt omnium seculorum. Qua-
 re omnes credere verbo Dei in sacris biblijs exposito de-
 bebunt: & quicquid narratur de Deo in illis, vt firmum
 ac ratum suscipiendum erit ab omnibus. Operationes au-
 tem, & facta, quæ sicuti denuntiata sunt, extiterunt; ope-
 ra, & facta Dei necessariò erunt. Ergo necesse est, vt is sit,
 qui loquitur, quæ acturus est; atque agit, quæ est locutus.
 Quamobrem cogentur omnes tempore apertæ Prophe-
 tiæ fateri, Deum esse, quando hæc omnia patebunt. Re-
 stat tertium testimonium ex tribus, quibus demonstratur
 Deus esse: mundus scilicet, atque omnia, quæ sunt in mun-
 do à Deo creata. Quæ si creata sint à Deo, necesse sit, De-
 um esse. At ea ratione ostendit Prophetia mundum, &
 omnia quæ sunt in mundo fuisse à Deo creata, quòd ope-
 rationes, & actiones omnes, quas perfectas ostendimus à
 Deo in toto cursu temporum mundi, simul cum creatione
 mūdi, & omniū quæ sunt in mūdo, fuerint creatæ, & factæ
 apud Deū non secus ac ipse mundus extitit aspectabilis o-
 mnib°. Nam probat & aperit ipsa Prophetia per Dei ver-
 bum factas fuisse apud Deum siue per actas omnes actio-
 nes, & operationes mūdi, quādo creauit Deus mūdū. Quod
 eodem

eodem verbo, quo facta sunt omnia in mundo, factus fit quoque mundus: & quo verbo extitit perfectus mundus, eodem extitisse omnia, quæ facta videmus in cursu temporum mundi. Et si minus verbo credas, quod pio viro est firma demonstratio; affert Prophetia certissimam demonstrationem mundi à Deo creati; quòd ea ratione sit creatus, vt in eo omnia futura tempora, actiones & operationes ætatum, ac temporum mundi fuerint in eo impressæ: atque mutationes, ac varietates statuum, quæ extiterunt in populo Dei, secundum rationem vniuersi creati euenierint quod infra exponetur: vt qui operatus est omnia omnibus temporibus; necessariò inteiligatur creasse mundum, & qui creauit mundum, eundem, omnia in mundo effecisse, necesse fit, vnde fit, vt per mundum, per cœlum, & terram, per ea, quæ in ipsis creata existunt, exponantur, & nuntientur futura, quæque sunt Ecclesiæ omnium temporum, & statuum. Vbi aperietur & ratio interpretationis mysticæ, ac Propheticæ. Vt etiam quæ ipsius Dei sunt, significentur, & indicentur per illa, in primis, quæ Deus creauit, egit, & locutus est. De qua re non pauca indicia dabimus in cursu huius præfationis. Et in Mose, ac aliis authoribus sacris certa habebitur cognitio, & patefactio. Nunc institutum sermonem prosequamur. Ergo ex his, quæ assumpsimus, mundus cum omnibus creaturis accedit testis, quòd Deus sit, à quo est ipse, & omnia, quæ in ipso sunt, creata. Itaque est vnus Deus solus, à quo solo mundus simul cum omnibus, quæ in mundo sunt, verbo sunt creata, & effecta. Et quoniam verbum fuit ante mundum & per illud dictum, & effectum fuit, vt existeret mundus cum omnibus, quæ sunt in mundo, & quæ fieri debuerunt omnibus seculis in mundo; primum testimonium apud nos est verbum: in quo percipimus & quæ per ipsum creata, & effecta sunt, accedere quoque testimonia. Quæ

quidem testimonia cū simul testentur, ac non intelligis verbum diuinum nisi pronuntiatum: & hoc non intelligis pronuntiatū nisi in effectione mundi cum omnibus rebus creatis, & in actionibus, ac operationibus omnium seculorum mundi; vnum testimonium ex tribus percipis. Et quia tria cognoscis, tria quoque testimonia intelligis. Vt manifestum sit, vnum esse Deum, cuius verbo creata sunt omnia, & effecta omnia, nec alius possit esse Deus. Quia nullus alius præter Deum nostrum fecit cœlum & terram: & qui non fecit cœlum, & terram, non est Deus, ait Ieremias cap. 10. nullus alius nuntiat ab initio futura, & qui non nuntiat ab initio futura, non est Deus, disputat Isaias cap. 48. nullus alius effecit præterita, perficiet futura, quæ vult, & nuntiat, disputat ipsemet Deus cap. 46. Isaiæ. Ergo qui non effecit præterita iā ab initio, nec polliceri potest de futuris, non est Deus. vnus autem solus per suam historiam. Hæc ostendit se præstitisse. ergo is vnus solus est Deus, solusque adorandus, qui in vno mundo, in vno verbo, in vna operatione perpetua se vnum Deum declarauit. Hæc omnia conspicientur in sacra historia, quando erit Prophetia aperta: vt conuincantur omnes impij fateri vnum Deum, & solum, qui creauit cœlum, & terram, & qui omnia deinde in his fecerit verbo virtutis suæ. Cū ostenditur vnus esse Deus, qui omnia creauit, & nuntiauit, quæ erat factururus in mundo: & hæc effecta extiterint, vt probabitur in vniuersa diuina scriptura, demonstratur quoque in vno Deo, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus. Et hic primū videmus illud vnum testimonium verbi Dei, creaturarum, & operationum Dei; & hæc tria cū omnino coniuncta debuerint intelligi, distincta quoque apparere. vt aliud sit verbum, aliud res creata, aliud operatio, & actio. Vt tres res trium sint testimonia, quemadmodum simul vnum testimonium vnus erat. Nam res creatæ referunt

runt Patrem, à quo sunt creatæ: verbum in diuina scriptura Filium, qui est vita omnium: operationes Spiritū Sanctum, à quo sunt effectæ. Quatenus enim distincta hæc sunt, signa existunt trium. Etenim in mundo, & in omnibus creaturis posuit signum suum Deus, quòd Pater sit & Creator omnium. Ratio autem omnium formarum in mundo à Filio donata est: vt vis & operatio in singulis à Spiritu Sancto. Nam si complexum cœlorum intuitus fueris, videbis illa tria principia vbique & simul, & semper esse (nec inuentum illud de priuatione habere locum inter prima principia) vt mundus ipse, & quæ in cœlo sunt lumina, constant sua materia, & forma, & proprio motu, siue facultate, siue operatione. Quæ sunt pariter in terris & in aquis omnia, & singula sine his tribus principiis nunquã inueniuntur. Nulla planta extat, quam non videas constare sua materia, & forma distincta ab aliis, quæque simul non sit donata sua quadam vi propria, seu facultate, ac operatione. Idem videbis in reliquis creaturis, & maximè in homine. Vt quæque à Deo Patre omnium cognoscere debeas creatæ: omnia à Filio suam obtinere naturam, & formam: à Spiritu Sancto suam vim agendi, & operandi. Et quicquid est in vniuerso, esse Dei Patris: & quicquid est formarum, esse Filij: quicquid virtutis, ac operationis, esse Spiritus Sancti. Atq; omnia esse ex ipso Deo, in ipso, & per ipsum: esse inquam, & viuere, & moueri: existere, & vigere, ac operari omnia & singula. Quemadmodum autem in quavis re creatæ, formata, & perfectæ singulari, & vna cognoscis tria, sic potes nouisse, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum vnum Deum, nec solum in rebus singulis, sed & in vniuerso: in vniuerso, & in quaque re. In cœlo, & terra perseverantibus cum omnibus in se creaturis omnibus seculis: in omni verbo à Deo factò hominib⁹: in omnibus effectis in toto cursu temporū mundi. In qua-

nis re singulari tria habes indicia Patris, Filij, & Spiritus Sancti vnus Dei. Hinc quoniam in rebus creatis insignitus est earum creator, formator, & effector, ipse Deus, ipse Pater, Filius, & Spiritus Sanctus: item quæ agunt, & præstant in Ecclesia, sæpe in creaturis signantur. Vnde quæ dicimus de vno Deo Patre Filio, & Spiritu Sancto, magis in Ecclesia, & in diuina scriptura, & in operibus Dei præsertim in Ecclesia peractis, intelligi nunc volumus, quam in aliis creaturis, quamuis sempiterna Dei virtus, ac diuinitas in his, quæ creata sunt, debeat quoque intelligi, & cognosci. Quamobrem hæc videantur in Ecclesia, in diuina scriptura, in opere Dei in Ecclesia. Atq; simul adhuc exponemus superiora dum contemplabimur creationem, formationem & perfectionem Ecclesiæ; quod verbū Dei fuerit singulis ætatib⁹ mundi: quæ opera extiterint omnibus temporibus. Nam Deus, qui creauit mundū propter electos, se ipsum, suam virtutem, & vim magnam suis tantum in sua Lege voluit exponere: atq; per ea, quæ apud ipsos, & in ipsis egit. Vnde intelliguntur deinde eius opera, & facta, & virtus in cæteris gentibus. Atque aliqua de gentibus peracta sua voluntate, & opere narrantur in sacra historia, vt earum quoque omnium Dominus, & Deus, & operator in ipsis, & administrator totius mūdi, ac iudex cognoscatur. De qua re dicetur in Daniele. Nunc illud tenemus docti in ipsa Prophetia, Deum per illa, quæ egit in creanda, & perficienda Ecclesia, voluisse ostendere, se creasse cælum, & terram, & omnia, quæ in ipsis sunt: atq; effecisse omnia in cælo, & in terra, dum mundus durabit. Quod patebit nobis in aperta Prophetia. & Paulus monuit, qui ait, multiplicem sapientiam Dei in creatione, & administratione mundi patefieri per Ecclesiam. Et ob hanc rationem Ecclesia subibit nomen, & locum cæli, siue mundi, in qua Pater eius creator cognoscitur. Diuina

*Ecclesia
subit no-
men cæli.*

na item scriptura venit in nomen coeli: in qua cognoscitur verbum, quo tota informatur Ecclesia, atque huius administratio assumit operationes, & ordinem vniuersi: vt in eadem & Spiritus Sancti opus cognoscatur. Quia raione autem & diuina scriptura veniat in locum coeli, & Spiritus Sanctus tanquam in motu coelesti operetur omnia, post dicetur. Est enim necesse hæc cognoscere. Quia Prophetia explicat historiam sacram non literis solum; sed & rebus res signat, nominibus nomina, operationibus operationes, vt alibi distinctius dicetur, tu autem aduerte hinc prodire mysticam interpretationem. *Opera Dei in Ecclesia cognoscenda in primis.*

Nunc vt instituiamus percurramus, tempora, & status mundi, præsertim in Ecclesia DE I. Vt in hac vidiemus Dei opera: item rationem diuini verbi secundum hæc tempora, & status Ecclesiæ. Vnde conclusiones iterum adducuntur de Patre, & Filio, & Spiritu Sancto: post comparata Ecclesia cum coelestibus, ad ea, quæ sunt vniuersi mundi, reuertemur. Vt in omnibus, Deus omnipotens, & magnus Pater cum Filio, & Spiritu Sancto cognoscatur. In initio post peccatum Adæ fuit Deus homines, fatanam persistentes audire, suo arbitratu, viuere: ac seruauit semen sanctum in quibusdam sibi parentibus, vt illud excitaret, atq; in rempublicam seu regnum, & Ecclesiam deduceret. Interea vt se Dominum, mundi, & vindicem peccatorum omnibus omnium seculorum, & temporum futurum declararet; in duxit diluuium aquarum super omnes incolentes orbem terrarum. hoc tempus omne vocauit Deus tenebras quod descriptum inuenies in sacra historia. Petrus vocauit mundum in priorum. post quod tempus suscepit semine sanctum vt illud magnificaret, in illud misericordiam & beneficentiam suam declararet, atq; promitteret, quamnam, & quanta esset ei præstaturus futuris seculis. post ex eo femine coegit rempublicam & populum sibi proprium elegit, qui suis institutis & legibus

viue-

viueret, fibique inferuaret vero, ac pio cultu. post dedit iudices, dedit reges, dedit Prophetas, qui nuntiarent, & narrent aduentum Filij sui: quæ, & quanta is agere deberet in expiandis peccatis nostris: quæ, & quanta in restituendo regno Israëlitico. Atque magnum ante primum Domini aduentum dedit exemplum in populo suo iustitiæ, & iræ suæ contra peccatum: vt historia Machabæorum docet. Post venit in carne Dei Filius, egit, quæ historia Euangelica narrat. Post separauit eos, qui ad suum regnum pertinerent à regno Antichristi, donec rediret idem Dei Filius iudicaturus orbem, & constituturus regnum Israëliticum, post mittit interpretes Prophetarum, nuntiatoresq; magni Iudicij, & innouationis orbis. Tandem secundo venit Dei filius, prædicat in suis membris iterum Euangelium æternum, antequam iudicet regnum Antichristi, & impios. Vt qui crediderint, salui fiant, ac deducantur in ipsius regnum. Non credentes autem, & impij perdantur: constitutæque statum regni Israëlitici perpetuò duraturi vsque dū per eundem Dei filium deducamur in cœlum, in quo quidem regno Israëlitico secundum legem Dei solū, atque instituta viuatur, abolitis omnibus humanis legibus Pæpæis & inuentis. Hæc sunt summatim, quæ egit Deus in mundo, & in Ecclesia sua quoque & ab initio proposuit & nuntiauit futura. Sed prætermisso nunc tempore ante Abrahamum, tres status consideremus, circumcisionis, & legis: baptismatis aquæ non sine Spiritu, & Euangelij: Baptismatis item Spiritus, & Prophetiæ patefactæ. In primo statu proprium opus conspicitur Patris: in secundo Filij: in tertio Spiritus Sancti. Vnde in primo statu circumcisionis Deus Pater, & Creator omnium prædicatur, & inuocatur; promittit beatum statum Abrahamo, & eius femini: educit populum suum ex Egypto: constituit rempublicam, ac liberum statum: dat leges, instituta, & ceremonias: dat duces

Tres status distincti in populo Dei.

duces plures suo populo : multa, & magna per eos, & per alios agit : dat regnum, & reges, ac operatur in his plurima : Prophetas mittit complures præter ordinem sacerdotum constitutum. Ex illis certos vocat ad scribendum futura. Reiectis autem regibus, & regno dat iterum duces, atque exercet populum suum variè, vt retineatur in officio. omnia agit signis, & portentis admirabilibus. In secundo statu venit Christus Dei Filius, prædicat Euangelium suum æternum : apparet verè Dei Filius signis item, & portentis admirabilibus : vt etiã se ipsum excitarit è mortuis mortuus volens, ac libens, vt per suum sanguinem effusum lucrentur peccata mundi. Ostendit se esse semen illud, in quo benedicendæ sint omnes gentes ; se esse vnam illam victimam, per quam expianda sint peccata : se esse veritatem omnium, quæ vmbriis quibusdam, & ceremoniis consignata fuissent in lege. elegit Apostolos, qui prædicarent nomine suo Euangelium gentibus quoque. In quo Euangelio veritas, quæ fuit in ceremoniis adumbrata, exponitur sine tegumentis Spiritu Sancto donato. Constituta deinde Ecclesia Apostolica dedit Apocalypsim, vastauit Hierosolymas, sanguine suorum martyrum parauit tandem populo suo regnum, & statum liberum. Hinc ablato iugis sacrificio, Ecclesia Christi non apparuit in publico statu, latuit in desertis, vixit in pauperibus, & abhorrentibus à statu Papæo. Ac dum tyrannidem firmavit Antichristus suo decretali, & magistratu Papæo, seu Ecclesiastico, mittit Christus nuntios sui secundi aduētus in spiritu. qui moneant instare tempus sui iudicij, inuouationis omnium, restitutionis iugis sacrificij, doctrinæ Euangelicæ, Ecclesiæ Apostolicæ, regni Isiaëlitici, & omnium, quæ narrantur in Prophetia. In tertio statu, qui est Spiritus Sancti venit secundò Dei Filius in Spiritu : prædicat iterum Euangelium in membris suis : adest Spiritus Sanctus à Pa-

f tre

tre, & Filio. Pòst prædicationem quadraginta annorum uocat credentes ad parandum regnum Israëliticum ad constituendam innouatam Ecclesiam; ad confirmandum statum spirituales in omnibus terris semper duraturum deletò statu Papistico, & omnium tyrannorum. Atque peracto iudicio, quod cœpit à domo Dei, perditisque impiis, & non credentibus Euangelio, aperit Prophetiam, & mysteria abscondita, quæ latebant in diuinis scripturis. Reliqua sua magna vi peragit, quæ narrantur in historia, quam contemplantur in sacris bibliis. In his tribus statibus videmus diuersum opus Dei. Nam alia videmus operatum Patrem in primo statu, alia Filium in secundo, alia Spiritum Sanctum in tertio. Videmus nomine Patris sancitam legem, nomine Filij prædicatum Euangelium, nomine Spiritus Sancti patefactam Prophetiam. Pater autem vocatur Deus in diuinis scripturis, item Filius, item Spiritus Sanctus: ac Deus vnus dicitur. Ergo cum tres sint, vnum Deum tamen cognoscimus. Quia in Patre erat Filius cum dabat Legem, atque Euangelium continebatur in Lege, & Messias promittebatur ductor, & seruator populi sui. loquebatur Spiritus Sanctus in Prophetis. Dum autem prædicauit Filius suum Euangelium, prædicata fuit & Legis veritas in eo. Atque vrgebat Christus, Patrem in se esse, & operari omnia: simulque prædicauit Spiritum Sanctum: docuit neminem nisi renatum ex aqua & Spiritu sancto posse ingredi in regnum Dei. Promisit se illum missurum: Spirituique Sancto tribuit, vt per ipsum institueremur, & perficeremur in omnibus, quæ ad cognitionem rerum diuinarum, & ad opus nostræ salutis pertinerent. Spiritus Sanctus in statu tertio prædicauit iterum Euangelium, dum aperuit Prophetiam, dum per ipsum habuerunt suum euentum omnia, quæ per ipsum antedemuntiata fuerant: patefecit mysteria Legis: portat secum nobis Patrem, & Filium, à quibus nunquam recedit

nec separatur: vt vbi ipse fit, fit Filius, & Pater. Ergo tres quidem opere ipso conspiciuntur, vnus taem̄ est Deus. Quòd nūquam vnum inuenias, in quo non fuerit simul alius, & tertius. Hæc adhuc conspiciuntur in septem ætatibus mundi, quarum operationes tributæ sunt Spiritui Sancto: quòd is egerit omnia in populo Dei, & quando initum fuit pactum cum Abrahamo, & eius femine: & quando Lex dabatur: & quando Prophetæ loquebantur, & scribebant: & quando Euangelium promulgabatur: & quando doctores disputabant, & fecernebantur à regno Papæo, qui pertinerent ad regnum Christi: & quando nuntiabatur instare secundus aduentus Domini, & tertius status mundi: & quando iterum tandem prædicatum est Euangelium, & peractum iudicium Dei, & constitutus status Ecclesiæ innouatæ, & regni Israëliti. Ac cū hæc omnia tributa sunt Spiritui Sancto in Prophetia, Patri simul tamen, & Filio tribuuntur. Quia Spiritus Sanctus, qui ab vtroque manat, perficit omnia, vt Pater, & Filius per Spiritum Sanctum perfecerunt omnia. De qua ratione dicetur distinctius cap. pr. Geneseos. Quæ iam concludenda sint ex his, patet. Propter diuersum opus Patris in circumcisione, Lege, & Synagoga: diuersum Filij in baptismo & Euangelio, & Ecclesia Apostolica: diuersum Spiritus Sancti in aperta Prophetia, & in Ecclesia Catholica vbiq̄e obtinente; | necessariò cognoscendus est Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus. Dum autem coniungit Pater in opere suo opus Filij, & Spiritus Sancti filius assumit in suum opus Patrem, & Spiritum Sanctum: Spiritus Sanctus quæ Patris & Filij sunt operatur: dum inquam operatur Pater, operatur Filius, & Spiritus Sanctus: dum Filius, Pater, & Spiritus Sanctus: dum Spiritus Sanctus, Pater, & Filius, cogimur fateri vnū DEVM, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum. Nam

Septem ætates mūdi ducta prima ab Abrahamo.

Unus Deus, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. Pater, Filius & Spiritus Sanctus, vnus Deus.

dum opus est vnus, est & duorum, siue trium: & vbi est opus cuiusque trium, est ibi quisque è tribus. Cùm iam in vno opere, sit opus trium, in vno erunt tres. Quòd autem Pater miserit Filium, non sit ipse missus: Filius sit missus, & cum Patre miserit Spiritum Sanctum, qui non miserit, sed tantum sit missus, nihil dicam: quia Theologi satis multa differunt de hac distinctione. Cùm iam illa, quæ exposui de Ecclesia, & eius administratione ostendat Deum Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, vt dixi; idem concludendum est ex ratione verbi Dei in diuinis scripturis: quòd personæ in illis omnibus ita sint distinctæ, vt tres in vna, vnã in tribus inuenturus sis: vt & hinc concludas, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum vnum Deum. & vnum & verum Deum Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum. Nam vt in creatione rerum Pater sine Filio, & Spiritu Sancto nil creat: Spiritus Sanctus sine Patre & Filio nil efficit: sic agit Filius vt vidimus in statu secundo. Atque idem præferat in se diuina scriptura fieri, in qua est verbum Dei literis consignatum. Hæc quidem propè vbi-que vnã sententiam, & in eadem tres nobis affert. nam nullum est è sacris voluminibus, in quo dum exponitur vna sententia, siue argumentum ad vnum tempus, & ad vnã rem pertinens, quin & tria tempora trium statuum, siue tempora septem, septem ætatum, & quæ sunt horum statuum, & ætatum significentur. In interpretationibus quod dico conspicietur obseruari ab omnibus autoribus sacrorum voluminum. Exemplum sit hîc psalmus tertius: qui dicitur continere querimoniam Dauidis fugientis conspectum Absolonis filij sui. Queritur enim, quòd filius, & multi, qui non debuerunt, à se defecerint, contra se armaverint. Rectè quidem, & omnia quæ in eo psalmo dicuntur, ad factum Dauidis referuntur. Interea tamen, quia status primus continet, quæ sunt secundi; illud proprium Christi

*Verbum
Dei refert
Patrem,
Filium, &
Spiritus
Sanctum,
siue di-
stinguit
trium sta-
tuum ope-
ra.*

Christi dicitur. Dormiui, & somnū cepi: excitatus sum, quia Dominus suscepit me. Item quia status primus continet, & quæ sunt tertij, additur. Non timebo decem millia, & quæ sequuntur. Si repetas totum Psalmum tempore Christi, videbis eadem contigisse Christo, quæ Dauidi. Nam & contra Christum dices multiplicatos hostes, & multos confurrexisse. Primùm filios, Iudæos scilicet, item gentes, & ita omnia interpretaberis de Christo. Sed illud postremum, non timebo millia, & quæ sequuntur: quamuis Christo, & Dauidi tribuas, propriè tamen inuenies dici de secundo aduentu Christi. Quia nunc quidem multitudo populorum, & regum, nil possunt obtinere contra Christū. Coepti enim sunt percuti in maxilla, qui vocant Evangelicos hæreticos, atque percutientur omnes negantes secundum aduentū Domini. Dabitur autem salus populo Dei, & omnibus Evangelicis Christum suscipientibus. Quare si hoc tempore repetas psalmum, vna erit interpretatio, quæ tres continebit, verbi causa, prædicante nunc Christo Evangelium suum in suis membris, statim confurrexit Absolon, hoc est Papa, & alij principes, qui fuerunt olim charissimi Christo, & Deo Patri, qui illis credidit Ecclesiam, & suum regnum: relicturūque eis hæc erat, si suscepissent suum Evangelium. Nam prædicante Luthero, & aliis, plures cum Papa, & Imperatore facti sunt vexatores, & carnifices Evangelicorum. Tota Gallia, Hispania, Italia, & alij alibi contra Christum in membris suis concionantem concitati sunt, vocantes omnes prædicationi credentes, hæreticos, vt vocabant Iudæi Christum, atque iterum Christum in membris suis crucifigentes. qui Christ⁹ tamen in suis membris excitabitur, vincet & percutiet Papatum: percutiet in maxilla, puniet cōtumelias, & maledicta, & mendacia conficta contra Evangelicos: dabit his suum regnum, & credentibus. Sententia ita erit vna, &

triplex, vt præteream mysteria, in quibus quaerendum erit: quæ ratio sit Dauidis ad Christum, ad eius primum aduentum, & secundum, vt quæ exponitur psal. 89. Quæ Christi ad Dauidem, & talia. quæ summè-necessaria sunt in aperienda Prophetia, & in retinenda vera Analogia in interpretatione mystica. Quæ maximè se aperit in hac, quam dixi, triplici, & vna interpretatione eiusdem loci. Vt alij, ita Paulus vsus est hac ratione ternæ interpretationis cap. 4. Ep. ad Heb. atque simul ostendit eam intelligendam esse in Mose, & Dauide interpretando verba illa. Si ingredientur in requiem meam ait. primum significari requiem, quam obtinuit populus Israëliticus, per Iosuem: deinde quam adepti sumus omnes credentes post resurrectionem Christi. quod tempus vocauit cap. 3. diem Hodiernum: tum requiem futuram in Sabbatismo. vtitur & in verbis illis interpretatione triplici. Et requieuit Deus die septimo ab operib⁹ suis, ac assumit primam interpretationem ex cap. 14. Num. ibi enim interpretatur Deus ipse requiem, quam promittit se daturum populo suo. reuocat item verba illa Paulus ad tempus Christi: & propriè illud requieuit ab operibus suis testimonio Pauli reuocatur à Dauide ad tempora nostra. Triplicem interpretatione ostendit Paulus in tabernaculo, vbi cap. 9, ad Heb: agit de primo, & de secundo tabernaculo: atque ibi quoque cognosce rationem triplicis interpretationis ductæ à tribus statibus. Itaque tota diuina scriptura est conscripta, vt in his, quæ sunt status legis, coniuncta sint, quæ sunt status Euangelij, & status apertæ Prophetiæ: in his quæ sunt Euangelij, quæ sunt legis, & terrij status: intertium statum conducatur, quæ sunt legis, & Euangelij: vt nunquam intelligas Patrem sine Filio, & Spiritu Sancto: Filium sine Patre, & Spiritu Sancto: Spiritum Sanctum sine Patre, & Filio, atque capite pri. Geneseos

hæc

*Triplex
interpre-
satio sape
requiritur
in verbo
Dei.*

hæc apertius conspicientur. Similiter interpretationem mysticam consequeris in pluribus; si in verbo Dei attendes quæ sunt trium statuum consignificari in quolibet eorum. Interdum secundum rationem septem ætatum exponuntur, quæ sunt sacræ historiæ. Vt quæ sunt status promissionum Abrahamæ, legis, Prophetarum, Euangelij, ac Ecclesiæ Apostolicæ, mulieris ductæ in desertum, nouorum Prophetarum, ætatis, in quam nunc ingredimur, septimæ veniant in vnum opus Spiritus sancti. Atque quæ fuerunt vnus harum ætatum conducantur in reliquas: in singulis quæ aliarum sunt, inueniantur. Vt in prima fuit secunda, & aliæ, dum dicitur cap. 17. Gen. Et tu pactum meum custodies, & semen tuum post te in generationes eorum. Et vt exemplum apertum afferam, fuit quarta in prima, & prima in quarta. Quia dixit Christus. Abraham vidit diem meum, & gauisus est. fuerunt in prima omnes, dum dicitur, in generationes eorum, & prima in omnibus, præterea quæ fuerunt vnus ætatis proponuntur, & exponuntur sæpe per ea, quæ sunt alterius; quemadmodum in his, quæ sunt vnus status sæpè proponuntur, narrantur, & exponuntur per illa, quæ sunt alterius. Veluti per liberationem ex Egypto, & Pharaone narratur liberatio nostra ab inferno, & Satana tempore Christi, & Apostolorum. liberatio à tyrannis, quando libertas Romæ & alibi fuit parta Christianis: liberatio à Gothis, & Attila, quando conditæ fuerunt Venetiæ: liberatio nostra nunc à Papatu, vt videmus cap. 20. Ezechielis in Psalmis multa nostri temporis exponuntur per illa, quæ egit Deus cum populo suo in Egypto, in deserto, in obtinendis regionibus impiorum: vt videbimus Ps. 78. & 29. & 105. Ioannes in prima Epistola exponit vnum cultum piorum, qui vnquam fuerunt, & erunt, secundum cultum datum in verbo D E I prima, secunda, tertia

Interpre-
tatio sæpe
requiritur
secundum
rationem
septem æ-
tatum

tia, quarta, quinta, sexta & septima ætate mundi. Atque
 hîc videmus, quemadmodum diuina scriptura, dum stat^o
 Ecclesiæ memorantur in vna vnus status sententia, assu-
 mat tres sententias status legis, Euangelij, & apertæ Pro-
 phetiæ: siue status Patris, Filij & Spiritus Sancti. Simili-
 ter in opere septeno Spiritus Sancti secundum verbum
 D E I datum in singulis septem ætatum Ecclesiæ, as-
 sumat septem sententias ad verbum factum septi-
 es toti Ecclesiæ: & easdem sæpe ad vnâ reuocet, at-
 que vnâ in septem deducat. Vt dum locutus est,
 Deus in tribus statibus mundi, & verbum tribuitur Filio,
 simul intelligas locutum Patrem, & Spiritum Sanctum. Et
 dum septies locutus est Deus per Spiritum Sanctum Ec-
 clesiæ, intelligas, quæ locutus est Pater locutum Filium,
 & Spiritum Sanctum; quæ Filius, Patrem, & Spiritum Sã-
 ctum: quæ Spiritus Sanctus, Patrem, & Filium. Hinc in-
 telligas quoque diuinam scripturam venire in formam
 cœli, & in rationem luminis solis, & astrorum: atque quæ-
 admodum hæc, referre eum qui est lux inaccessibilis: qui
 creauit cœlum, & astra: locutus est verbum suum in diui-
 nis scripturis. Nam vt vnus mundus, vnum cœlum, quod
 nobis vnum Deum qui vbiq; est, & omnia illuminat, ostē-
 dit; est totum in omnibus suis partibus, partes in toto; nec
 vlla pars fecedit, quin in toto, & in omnibus partibus con-
 spiciatur: Verbi causa, nulla stella lucet, quin eius lux in
 totum cœlum inque omnes eius partes se extendat, fera-
 tur, & circumspiciatur: sic in diuina scriptura, quæ & ipsa
 dicitur cœlum, & domus Dei, quod in illa sit expansum,
 & expositum cœlum, ac omnia quæ sunt in mundo; quic-
 quid scripsit, & ex posuit Spiritus Sanctus per ministros
 Dei, id sic se habet, vt stella in cœlo, Pertingit totum com-
 plexum cœli Dei, vt nihil vno tempore, vno in loco, vna
 in re scriptum sit, quin respiciat, siue pertineat ad omnia
 tempo-

*Diuina
 scriptura
 venit in
 formam
 cœli. Et
 verbū in
 ea datum
 quous re
 pore fertur
 in omnia
 tempora.*

tempora, omnes status, omnia omnium ætatum. Hinc illud est temporis futuri. Postremis diebus instabunt tempora periculosa; erunt homines sui amantes, auari, & idē præsentis: tu autem affecutus es meam doctrinam, & idem præteriti, sicut Ianes, & Membrē. Et si septem ætates intuitus fueris, quæ lux promissionis lucebat patribus in toto statu legis, eadem ferebatur in credentes Christo deinceps: Similiter, quæ sunt aliarum ætatum lucere his videbis, qui ante fuerunt, & his qui post futuri sunt. Ut hinc concludas certa ratione, diuersam lucem verbi, & gratiæ, & certa ratione eandem, Et quæ facta, & dicta sunt per Spiritum Sanctum in septem ætatibus mundi, facta, & dicta quoque esse per Patrem, & Filium secundum eam rationem, quæ exponetur cap. pri. Gen. ut si sit verbum, & opus Patris, & Filij & Spiritus Sancti, sit Pater Filius, & Spiritus Sanctus. Si vnum est verbum, & opus, sit Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus vnus DEVS. Hinc tu potes cognoscere, & quinam apocryphi, & qui non apocryphi habendi sint libri. Spiritus enim sanctus facit illos non apocryphos, qui veniunt in idem cœlum, atque lucem suam ferunt in omnia tempora, significantes nobis Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum; atque alia. Quod non inuenies in apocryphis. Hæc omnia erunt aduertenda illis, qui historiam sacram cognoscere voluerint, & mysticam interpretationem inuenire. Nam in his aperitur quoque ordo tractationis historiæ mysticæ. Et hæc non assequemur sine luce Prophetiæ. Impii qui legerunt sacra volumina, & hæc non nouerunt, ac destituti fide inuenti sunt, contempserunt verbum Dei, & reiecerunt. Hebræi qui non nouerunt Filium Dei, nihil perceperunt de primo aduentu Christi: priuati sunt cognitione veritatis, quæ continebatur in vmbri ceremoniarum: priuati sunt Deo Patre, ad quem nemo habet accessum nisi per Filium: pri-

*Regula,
qua distinguas libros non apocryphos ab apocryphis.*

uati sunt his omnibus, quæ putabant se consecuturos per Messiam descripta in Prophetis, magna illa quidè, & admirabilia: priuantur nunc nostri, qui respuunt Prophetiam promissionibus Abrahamæ, quæ in libris Mosis, in Euangelio, & in vniuersa Prophetia continentur; quæque nunc præstanda proponuntur. Abbreuiare volunt ipsi brachium Domini; negant illa per quæ voluit Deus probare se vnum Deum: gratiam pro gratia respuunt, vt Iudæi: qui nullum aliud volebant esse Euangelium præter Legem. Nam nunc cum data sit lex, datum Euangelium; nolunt aliud esse quod Deus daturus sit nobis, cum tamen Deus ita semper egerit ab initio, vt accreuerit singulis ætatibus sua dona: sitque illa tandiu aucturus, donec deducti erimus cum Christo in æternum suum regnum in cœlo. Peruertunt iidem, vt dicitur in Ieremia capi. 23, Verba Dei viuentis, Domini exercituum, DEI nostri: Patris scilicet, & Filij, & Spiritus Sancti, dum aiunt. Prophetia Domini non memoretur vltra. Prophetia Domini sit cuique verbum suum. Priuantur maximis, & præstantissimis bonis: priuantur, ne obtineant hoc tempore duplicia de manu Domini signata in bonis conduplicatis Iobo: inueniuntur destituti etiam ea cognitione Euangelij, quam sibi propriam vendicant. Non enim satis est intelligere nudam historiam eorum, quæ dixit Christus; sed oportet nouisse, quæ Christus, quæ Apostoli docuerunt eorum, quæ in vmbri legis signabantur. Vnde & quomodo, & qua ratione a lege sumpta sint. Christus, & Apostoli veritatem quidem docuerunt eorum, quæ in vmbri legis tegebantur; sed non aperuerunt vnde ex lege singula duxerint, & qua ratione. Quod id opus fuerit Spiritus Sancti patefaciendi hoc tempore omnia in innouata Ecclesia. Non cognouerunt deinde Prophetiam quæ est in Euangelio, & in monumentis Apostolicis. si quæras qua
ratione

ratione factū sit, vt cū accederet Christus ad prædicationē præter Apostolos habuerit mulieres, quæ illū sequerentur vsq; ad mortē, & post mortem, ad eum vngēdū accesserint: si quæras quod nam mysteriū sit vnctionis pedum, & capitis Christi per Magdalenam: quodnā Simonis leprosi: quodnam sit illud Euangelium Magdalenæ, quod prædicādum esset in memoriam eius in toto orbe, hæsitabunt, nō intuentes Prophetiam. Si quæras quisnā ordo sit in reb² narratis ab Euangelistis, nil dicent præter principium prædicationis, & finē, quando mortuus resurrexit Christus, & cōscēdir coelos. At si admittant Prophetiam, poterūt cognoscere ex tot, tantūsq; rebus, quas egit, & locut⁹ est Christus, Euangelistas illas se legisse, in quibus texeretur quoq; historia secūdi aduentus, in quib⁹ digeretur ordo rerum futurarū, quas videmus hoc tempore effici. Et si proportio, & comparatio est inter coelum, & tempora, & opera in mūdo peracta, & inter Dei verbum; non vident, dum aiunt Ezech. 12. Prolongabuntur dies, peribit omnis vsio; dum aiūt, Ier. 23. Prophetia Domini nō memoretur vltra; Prophetia Domini sit cuiq; verbum suū; se perinde agere (vt omittā peruerti à se verba Dei viuētis, Domini exercituum, Dei nostri) ac si decurrant tēpora mundi, auferendo ætatem septimam: abscindāt eam partem cœli, quæ est à Capricorno ad alterum Polum; siue dicas, à circulo Capricorni, seu ab eo loco, quo magis descendit Sol ad circulum Capricorni: tollant opera Spiritus Sācti aliquando in Ecclesia: tollant Ecclesiam Catholicā, sanctorū cōmunionē: perturbent, & inuoluant totum opus Dei destinatum ab initio, atque magna sapientia in suas partes distinctum, de qua re queritur Christus Prouer. primo inquiens. Et cessare fecistis omne consilium meum. Cū item septima ætas sit finis operum DE I in mundo; cognitio rerum diuinarum magna, & multiplex sit danda in Ecclesia;

pia simul magna Spiritus, sanctitas, & innocentia, vitaq; spiritualis tunc futura; hæc omnia reiiciuntur ab his, qui tempus apertæ nūc Prophetiæ negant. Item cū Prophetæ, & Apostoli, in tractanda doctrina sibi à Deo data, atque in describenda vita filiorum Dei, intuiti sint ætatem Sabbatismi, & secundum formam Ecclesiæ coopertæ bysso, & sanctificatæ à Patre in Filio per Spiritum Sanctum, tradiderint doctrinam, & rationem vitæ omnium filiorū Dei: atque iidem Prophetæ, & Apostoli conformarint vitam suam ad eandem formam; videntur tollere quicquid Prophetæ, & Apostoli docuerunt, & præceperunt: aut non intelligere, ac ignorare quomodo, & qua ratione sint exposita: aut etiam minus se conformare ad vitam futurā in sanctorum communione, dum sabbatismum populi Dei futurum non cognoscunt. Prætereo commemorare eos non attendere, quānam sibi loquatur Christus hoc tēpore: se negare Christum adesse: vt queritur ipse Deus in Isaia cap. 65. & 66. in Ieremia quinto: non videre quānam sibi agenda, & fugienda sint hoc tempore magnarum perturbationum: non prospicere omnes hæreses, quibus replentur nunc plurimæ Ecclesiæ, in aperta quam negant Prophetia, tollendæ, & euellendæ. Hæc & multa alia incommoda sequuntur eos, qui contendunt in primo aduentu Domini completam fuisse omnem Prophetiam. Vt autem ad institutum sermonem reuertamur, in sacris voluminibus passim in vna sententia tres sæpe inueniuntur, & tres in vnam coalescunt: siue etiam vna in septem diducitur, & septem in vnam reuocantur. Quod aduertere potes in Psal-

In Ecclesia mo 37. vt in verbo quoque Dei, quemadmodum in opere
patescit Pa- cognoscamus Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum.
ter Filius, Sed & in Ecclesia creata à Deo, & in qua operatus est De-
& Spiritus us, & dedit verbum suum, cognoscere quoque oportet Pa-
terus San- trem, & Filium, & Spiritum Sanctum. Ac Pater quidem
ctus, cognos-

cognoscitur, qui eam e se creauit, Filius, qui eam in se formauit, Spiritus Sanctus, qui eam per se perfecit sponfam Christi, & Dei filiam. Nam Pater inuocatus est in circumcissione: semen filiorum Dei in Filio Dei quærebatur: ratio habita est in generationibus vsque ad Christum, ac enumeratio familiarum diligenter conseruata. Vnde & à Luca vt Christi generatio, ita filiorum Dei reuocatur ad Patrem. De qua ratione Dominus dabit in Ecclesia quibus voluerit, & quando voluerit, vt plura dicantur. Sed in primis videamus nos hic, quomodo formauit eam in se Christus. Christus quidem venit in medio temporum, Dei Filius, factus homo. Ex ipso enim qui est imago Dei inuisibilis, imago substantiæ Patris, homo extitit, creatus ad imaginem, & similitudinem Dei. Et cum habuerit homo ab ipso, vt sit filius Dei, vt gerat imaginem, & similitudinē Dei; vt hauriat spiritum, & vitam, quæ in ipso est, æternā; voluit Filius Dei & humanitatis particeps fieri, atq; in se assumere omnes credentes ab Abrahamo vsque ad Apostolos: deinde ab Apostolis reliquos futuros in se ipsum contrahit, ac in omnes dispertit suam perennem vitam: complectitur omnes in se in vnum corpus tanquam membra. Spiritum suum diducit in omnes ab Abrahamo, siue Adamo vsque ad postremum hominem, vnde dicitur magnus Gigas, cuius cursus sit ab extremo cœli ad extremum cœli: qui omnes credentes omnium temporum, & ætatum tanquam sua membra suscipiat. Et quod dicitur de Spiritu Christi, de semine sancto, in quo formantur, & benedicuntur credentes, idem intelligimus de spiritu Patris, quod fideles, & Ecclesia Christi creata, directa, perfecta, & ornata sit per Spiritum Dei, qui vocat generationes ab initio. Vnde in Ecclesia cognoscimus diuinitatem & magnitudinem Patris, & Filij, & Spiritus Sancti: quod Christus sit heri, & hodie in omnibus generationibus, in omni-

bus omnium temporum, & ætatum credentibus: totum seculum in se ferat & portet: in omnibus seculis operetur Spiritus Sanctus: in omnia creata deducatur eius operatio. Dei virtus in Ecclesia se extendat, diducat, expandat

Cum re, verbo, & opere, cognitum sit Deus, cognoscatur & in administratione mundi, & presertim Ecclesia.

Comparatio Ecclesie & diuina scriptura re ad cælum: & administratio Ecclesie ad concentum mundi.

in omnia, & in omnes omnium seculorum in omni opere, & actione: in variis donis, & muneribus à se in singulis credentibus, & generatim in Ecclesia impressis: vt necessariorum Deus, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus cognoscatur. Quoniã iam Pater, Filius, & Spiritus Sanctus cognoscitur re, verbo, & opere in Ecclesia, videndum est quomodo eodem modo cognoscatur & in administratione vniuersi, ac in ipso mundo. Nam per Ecclesiam multiformis sapientia Dei patefit hominibus, & in rebus reliquis. Quod vt pateat, videre oportet, quæ comparatio sit Ecclesie, ac diuina scripturæ ad cælum, atq; administrationis Ecclesie ad concentum mundi. Ecclesia enim, & quæ sunt Ecclesie ex cælo ipso, & ex his quæ in cælo, & sub cõplexu cœli sunt, & fiunt, exponuntur, veluti vt mouetur totum cælum ab utroque polo, & super suum axem absoluit suas conuersiones in eodem axe signatas à polo ad polum; sic secula excurrunt à suo principio ad suum finem tanquam connumeratis in axe, & cõsignatis mensuris temporum vt spatium, & cursus temporum respondeat spatio, quod est à polo ad polum; & axi, circum quem perficit cælum suas in eodem designatas certas conuersiones. conuersiones, & mutationes statuum cõsignatæ sint in conuersionibus, & motibus stellarum: duodecim tribus Israël in duodecim signis. De quarum rerum cõparationibus dicitur cap. pr. Genesis, & alibi deinceps. Nunc mihi detur, esse comparationem inter Ecclesiam, & cælum, ac mundum ipsum. Nam illam ostendit Prophecia, illa que sæpe vtitur. Vnde cum describitur in Prophecia status vniuersus futurum mundi, describitur ille in expositione Fabricæ, & administrationis mundi: & Fabrica mundi

mundi descripta inuenitur in expositione futuri status mundi. Vnde sæpius inuenies Ecclesiam appellari cœlum in diuinis scripturis: atque res, & operationes futuræ in mundo, & in Ecclesia exponuntur ex rebus omnibus creatis in mundo. Item tempora, & ætates, & secula secundum conuersionem cœlestium sunt demonstrata, vt videbimus capite primo Gene in quarto die & alibi. Dum enim creatus est mundus, & omnia, quæ in eo sunt, & quæ ad eum pertinent; creata simul fuit Ecclesia, & omnia, quæ in ea effici debuerunt eodem verbo DEI, eadem virtute constabilita ab initio omnia. Vt hinc omnes cognoscere debeant, eundem DEVM creasse mundum, quem vident creasse Ecclesiam: eundem Deum fecisse omnia in mundo, qui fecit, quæ ad Ecclesiam pertinerent: eundem constituisse conuersiones, & motus cœlestes, qui statutis temporibus, & ætatibus peregit, & administrauit omnia in Ecclesia. Item qui vocauit, & coegit Ecclesiam, vocasse cœlos, vt essent; qui effecit, quæ ad Ecclesiam pertinebant, perfecisse quæ ad ornatum, & complementum mundi pertinerent; qui tres status, & septem ætates constituit in mundo, motus certos & conuersiones statuisse in cœlis. Deinde qua virtute tuetur, & perficit Deus Ecclesiam suam; eadem sustinere & fulcire cœlum, & terram intelligitur. Et qua virtute palmo mensurat cœlos, terram appendit tribus digitis, molem aquarum vola manus continet; eadem defendit, actuetur Ecclesiam. Item quemadmodum videmus Filium DEI esse vitam omnium fidelium omnium seculorum & locorum; sic intelligimus vitam mundi Christum. Et quemadmodum qui trahens omnia ad se ipsum DEI Filius suscipit in suum corpus omnes fideles omnium locorum, & temporum in terris; sic induit cœlos tanquam vestimentum, & fert, & sustinet totum mundum: atque ipse est vita mundi;

& omni-

*Filius Dei
vita o-
mnium.*

& omnium quæ sunt in mundo. Ac non solum res creatæ quæ oculis cernuntur; sed & spirituales, & supercœlestes creaturæ creatæ, formatæ & perfectæ sunt in Dei Filio, in ipso constant, & perseverant. Quoniam autem omnes res creatæ sunt formatæ in Christo, portantur & sustentur à Christo, estque ipse caput Ecclesiæ, quæ est corpus eius; rebus omnibus mundi signatur nobis Christus in sacris literis. Atque hinc quoque. exurgit nobis ratio mysticæ interpretationis, & cognitio, quare tot rebus, ceremoniis, lapidibus, plantis, animalibus, terra, aqua, aëre, igne, & huiusmodi rebus creatis signatus sit nobis Christus in divinis scripturis: item Ecclesia, quæ est corpus eius. Ut non solum intelligeremus in rebus illis Christum expiationem & oblationem factum pro peccatis nostris; sed & omnia in ipso esse. Ut cum figurarum veritatem per Evangelium intellexerimus, atque maximè per apertam Prophetiam; adhuc maiora quædam in umbris illis percepturi simus, quæ oratione explicare difficile videretur. Ac ita apertis quibusdam mysteriis in alia ingrediamur, ut etiam ad tribunal Dei perveniatur ab his, quibus datum fuerit per hæc, quæ iam vidimus, & novimus, donec super cœlestia omnia à fidelibus conspiciantur. Intelligimus præterea ex multis umbris legis in peccato hominis commaculatas fuisse cæteras creaturas, quæ propter hominem, & in gratiam hominum procreatæ fuerunt. Unde oportuit, ut à quo prodierunt omnium rerum genera, & ipse homo Christo propinquior, quàm reliquæ creaturæ, ut corpus cum capite maiorem affinitatem habet, quàm vestimenta; ab eodem prodiret & peccatorum expiatio. Et per quem, & in quo facta sunt omnia, fieret per eundem & salus & liberatio hominis, ac in Patris gratiam restitueretur. Itaque mortuus est Christus pro peccatis omnium credentium, ac reconciliauit Patri & quæ in cœlis, & quæ in terris sunt. Et

Ratio mystica interpretatio- nis ducta à rebus creatis.

Omnia cum commaculata expiari in Christo.

& de his egit Paulus cap. primo Epistolæ ad col. Hic jam nihil habebunt, quod tergiuerfentur impij cum constabit in Christo Patrem creasse credentes, & Ecclesiam; quod verbo Dei & operibus Dei fiet manifestum in sacris literis & in ipsa Ecclesia, quando Prophetia fuerit aperta. Quæ & patefacit in ipso eodem Filio creatum esse mundum, & ipsum esse principium creaturarum omnium. Ut quantum videmus complexum vniuersi: quæ & quanta in cœlis lustramus oculis: quanta supra cœlos mens docta intelligit; hæc omnia per Filium, & in Filio esse, & consistere cognoscatur. Itaq; Dei Filius ostensus est vita omnium fidelium omnium seculorum; ite in se ferre, & sustinere vniuersum. Spiritus autē Sanctus operari in omnibus fidelibus omnium seculorum. Item secundum rationem ipsius septiformem, intelligemus dispositum cœli complexum, & cœlestes, ac terrenas commutationes. Patrem verò per Filium, & Spiritum Sanctum operari omnia: Ergo qui Pater, qui Filius, qui Spiritus Sanctus facit, ut sint omnia, quæ sunt in cœlis, & supra cœlos, & in terris: qui est vita omnium viuentium: qui efficit omnia, complet vniuersum pertingit omnes eius partes, omnia eius extrema sustinet, & fert omnia, cui tamen non est principium, nec finis, estque ipse principium & finis omnium; necesse est, ut sit Deus. Et quoniam Filius, & Spiritus Sanctus cum Patre ostensi per Ecclesiam sint omnia agere, dilatare se in vitam omnium viuentium, in operationibus omnium, & supra cœlos & in cœlis, & infra cœlos omnibus seculis; necesse est ut Filius sit Deus, & Spiritus Sanctus sit Deus cum Patre. Hæc igitur omnia, quæ proposui de Patre, & Filio, & Spiritu Sancto vno Deo tractantur vbique non solum in nouo; sed maximè, & frequentissimè in veteri Testamento, in Mose, & Prophetis: ut cum aperta fuerit Prophetia, planius & vberius, ut mihi quidem videtur, inueni-

h entur

Concluditur Filius & Spiritus Sanctus, unus Deus cū Patre.

entur exposita in Mose, & in Prophetis, quàm hæcenus fuerit factum in Ecclesia. Ergo in expositione Prophetiæ habebimus illa firma argumenta, quæ proposui de vno Deo Patre, Filio, & Spiritu Sancto: cognoscemus mundum & omnia, quæ in eo sunt, à Deo creata: habebimus confirmata argumentis ea, quæ in Euangelio fide percipienda tradebantur; certi erimus Deum administrare mundum, & parare credentibus æternam salutem, atque beatum statum. Quamobrem vt omnia in vnum locum conducantur, cum videamus omnia opera Dei in terris, & in Ecclesia ab initio effata, destinata, & denuntiata: ac ita deinde ab initio mundi ad finem vsque effecta: idque secundum rationem fabricati, & constituti à Deo mundi, atque reliquarum rerum creaturarum: vt inde nouerimus Deum opificem mundi, creatorem omnium, & effectorem rerum omnium in mundo: atque maximè in Ecclesia cognitus sit Christus formator illius, qui & eandem suscepit in suum corpus, sitque in eadem omnium credentium æterna vita: ferat in se omnes omnium seculorum. Dei filios: indeque pateat, vt Ecclesia, sic mundum, & omnia, quæ sunt in mundo, in ipso met Dei Filio creata; ipsum met portare in se tanquam vestimentum, omnia; esse vitam omnium: cum inquam hæc omnia inueniantur ita esse in Prophetia aperta re ipsa comprobata, cogentur omnes fateri Iesum Christum Dominum nostrum ante secula Filium vnigenitum, in principio verbum, postea verò & hominem natum ex Maria virgine. Vt verò est Dei Filius, necessariò erit & Pater Et quia probatum est ante, Patrem & Filium per Spiritum Sanctum egisse omnia omnibus seculis: & in Spiritu Sancto dari rationem omnium conuersionum, & mutationum coelestium, & omnium temporum, & ætatum & statuum mundi, ac Ecclesiæ: atq; dari causa omnium in his operationum, & mutationum, & innouationis mundi, & con-

& constitutionis iterum Ecclesiæ Dei, & status regni Israëliti in secundo aduentu Domini: quoniamq; ostēdimus Patrem non creare quicquam nisi per Spiritū Sanctum; in Filio nihil formatum apparere, quin virtus adfuerit Spiritus Sancti; cogētur pariter omnes fateri Spiritū Dei Sanctum, vt sentiāt etiam credentes, prædicent, & testentur se à Patre creatos, in Filio formatos, per Spiritum Sanctū perfectos in restauratione, & regeneratione, in virtute, & opere filios Dei. Hæc visa sunt proponenda in ingressu interpretationis historiæ, quam Prophetiā in diuinis scripturis continet; vt viri Evangelici intelligant, à se non aspernanda, non prohibendam esse Prophetiam, vt multi faciunt; oportere hanc assumi, vt possint rectè, & secundum Dei præceptum constituere Ecclesiam, & regnum Israëliticū: vt intelligant nulla alia ratione hæreses, quibus nunc perturbantur Ecclesiæ, posse tolli, nisi dum in aperta Prophetia Spiritus Sanctus audietur docens, & inducens nos in omnem veritatem diuini verbi. Vt Hebræi sentiant tandē, quanto in errore fuerint respuendo Christum: quàm malè intellexerint semper scripturas: & quem, & quomodo habituri sint suum Messiam, & restitutum regnum Israëliticum. Vt gentes, & impij, qui malè de Christo senserunt, necessariis argumentis, & re ipsa adducantur tandē, vt per Christum vnum Deum creatorem omnium, & administratorem mundi cognoscāt: Patrem Deum se habere sentiant: Dominum Iesum Christum Redemptorem & Saluatorem suscipiant: Spiritum Sanctum inuocēt, & petant, per quem perficiantur DE I filij in omni cognitione virtute, & opere filiorum DE I. Vt tandem in ipso aditu esset proposita summa interpretationis, quam ex apertione Prophetiæ afferimus in sacram historiam secundum certam mensuram cognitionis nobis donatæ. In quo opere id videtur esse præstandum (vt initio di-

h 2 ceba-

cebamus) & à me & ab alijs, quos Dominus ad idem, aut manus opus vocabit, & maxime à tota Ecclesia, vt omnia denuntiata à Deo iam ab initio ostendantur præstita; vt verbum vnum non videatur extitisse, quod vt fuit dictum, non etiam fuerit factum, quò tandem omnes, & singuli in toto orbe terrarum sentiant suam vitam deinceps perpetuò esse ducendam in decantandis laudibus Domini, & in predicanda eius gloria, & in adoranda eius solius maiestate. Multa alia potuissent proponi in aditu operis: diligentius status, & ætates mundi exponi; subtilius de Deo, de Patre, & Filio, & Spiritu Sãcto disputari: recenferi mysteria multa, & magna, quæ aperientur nunc in Prophetia: ostendi quantum incrementum accedat Ecclesiæ cognitionis diuini verbi, & donorũ Dei: moneri plura mysteria adhuc in innouata Ecclesia aperienda, quando suscepti fuerint Hebræi, & aliæ nationes in vnum ouile, maioremque semper rerum diuinarum cognitionem futuram in Ecclesia, vsq; dum Deum videbimus in cœlo sicuti est. Potuisset describi status futurus mundi: conferri diligentius complexus cœlorum, & astrorum cum toto statu mundi & Ecclesiæ: cursus, & conuersiones illorum cum cursu temporum, & cum statuum commutationibus: totus item complexus cœlorum cum toto complexu rerum à Deo gestarum in sua separatim Ecclesia: res creatæ item conferri cum Ecclesia, & cum his, quæ peracta sunt in Ecclesia. Quòd horum cognitio necessaria sit in Prophetia propter varias rerum descriptiones. Potuissent rationes variæ recenferi Prophetarum in exponendis rebus futuris: ostendi ordo rerum tractandarum diuersus ab ordine profanorum authorum. Hæc quidem & multa alia potuissent tractari: sed id minimè faciendum duximus. Quia hic summa eorum, quæ dicenda sunt, proponitur, & via certo modo paratur ad illa percipienda. Deinde non nostra; sed

sed qui Iesu Christi sunt, afferimus: atque illa verbis suis magis quàm nostris debemus exhibere. Quantum verò attinet ad interpretationis mysticæ rationem, cuius certa principia in cursu sermonis posuimus, de ea adhuc dicem^r in cursu interpretationis librorum Mosis, & in præfationibus in Salomonem, & in Prophetas, & ubi occurrerit. Dū autem hæc, quæ in hac præfatione exposuimus, & exposituri sumus in sacris bibliis, in medium afferimus; ita volumus ab omnibus accipi, vt dum fiunt, quæ narrata sunt in Prophetis, atque peragitur opus secundi aduentus Domini, oportuerit omnes animaduertisse: me autem nunc pro mea parte proponere, quæ Dominus dedit. Dico autem nunc, dum sumus in ingressu, siue etiam in cursu operum secundi aduentus: atque multa restant perficienda, è quibus magis aperientur scripturæ solutis sigillis: nec dum peruentum est ad illud tempus, quando effundetur Spiritus Domini super omnem carnem, ac erunt omnes docti à Domino. Quod alia aperienda sint, vt ego, & omnes non putemus nos peruenisse ad summam, & perfectam cognitionem, quæ futura est communiter in Ecclesia, nō in vno singulari. Dico pro mea parte, vt indicem nō me solum esse audiendum, dum quisque est audiendus in Ecclesia: non me præbere caput, & authorē eorum, quæ confirmanda sint in Ecclesia suo tempore; sed vt minimus in ciuitate cuius, qui dicat sententiam suam expectans consensum omnium simul exagitatis sententiis omnium dico proponere Ecclesiæ scilicet, vt sit ipsa iudex cum fuerit coacta patefacto Christo.

ARGVMENTVM IN QVINQVE
LIBROS MOSIS, IN QVOS COND-
vuntur omnes alie diuina scriptura.

LIBRI Mosis complectuntur tres mun-
dos, qui & significantur capi. 3. Epistolæ
secundæ Petri. vbi de primo ait. Cœli o-
lim extiterunt per Dei sermonem: item,
is qui tum erat mundus, aquis inundatus
periit. de quo & capite superiore dixit. Et
prisco mundo non pepercit, diluuiò in mundum impiorũ
inducto. de secundo. Qui Verò nunc sunt cœli & terra.
de tertio: sed cœlum nouum, & terram nouam expecta-
mus. De primo agit Moses initio libri Geneseos vsque
ad diluuium: secundum & tertium exponit simul, initio
ducto ab his, quos narrat egressos ex arca, & persequitur
narrationem duplicis mundi vsque ad finem quinti libri.
Primum mundum vocat Moses tenebras, Petrus mundum
impiorum. Secundum vocat Moses tenebras & lucem:
de quo ait Ioannes. & lux in tenebris lucet: tertium vocat
Moses diem septimum benedictionis, & sanctificationis:
Isaias, Petrus, & Ioannes nouum cœlum, & nouam ter-
ram: Paulus sabbatismum. Verumtamen hos tres mun-
dos in vnum reuocat Moses cap: 4. Deut. vbi ait, interro-
ga de diebus antiquis à die, qua creauit Deus hominem
super terram, ab extremo cœli ad extremum cœli. Simi-
liter & David Psal. 19. à summo cœlo egressio eius, & oc-
cursus eius, vsque ad summum eius. Vnde retinebimus
nos distinctionem mundi in tribus statibus, de quibus in
præfatione diximus, & vt sequamur novos Prophetas, qui
fuerunt post Christum vsque ad nostra tempora. In hoc
verò argumento retinentes diuisionem Petri de tribus mū-
dis-

dis, dicamus primum fuisse impiorum, quia mortuo Abe-
lo regnavit impietas, & qui primi pauci inuenti sunt pij,
fuerunt obscuro sine ullo statu publico & magistratu, do-
minantibus ubique impiis. In secundo mundo electum
fuit semen Abrahamæ, quod clarum fecit Deus in tribus Pa-
triarchis, & duodecim tribubus. quibus tandem dedit sta-
tum publicum, & diuinum cultum publicum quoque & li-
berum: ita tamen ut in hoc secundo mundo regnarent par-
tim pij, partim impij. In tertium mundum allato magno iudicio
ingrediuntur tantum pij, iudicatis & eiectionis impiis. Narra-
tio verò Mosis secundum rationem Prophetica ita habet:
ut dum narrat quæ sunt primi mundi tenebrarum, & im-
piorum, consignificet simul tenebras futuras in toto secun-
do mundo usque ad eius finem. Et quoniam tum in primo
mundo semen sanctum seruabatur in paucis, illud descri-
psit quoque Moses, in quo pariter consignificauit semen
sanctum futurum non solum in secundo, sed etiam in ter-
tio. & hæc usque ad diluuium & finem primi mundi narra-
uit, & consignificauit. Dum autem narrat seminarium se-
cundi mundi futuri piorum & impiorum, semen sanctum
constituit in fide Abrahami & posterorum, in quibus pro-
mittitur tertius mundus, in quo regnabit pax & iustitia:
& interea pollicetur regnum, quando semen sanctum cre-
uerit, quo valeat inuadere impiorum regna, & ex se ipso
regnum amplum constituere. Et dum historia crescentis
populi narratur, simul exponuntur populi futuri contrarij
populo Dei, usque ad finem secundi mundi, quando desi-
nent habere locum in tertio: consignificantur & pij fu-
turi in secundo mundo, & tertio, siue dicamus in primo, se-
cundo & tertio statu mundi, distinctis his statibus in circū-
cisione, & in baptismo, & in statu Spiritus Sancti, & ita ter-
minatur narratio in lib. Genes. cōplectente primū mundū
& partem secundi, cōsignificante simul futura in toto secū-
do

ARGUMENTVM.

do mundo & tertio ; siue in reliquo toto statu primo, & in toto secundo, & in toto tertio.

In quatuor autem libris, qui dicuntur legis, dum exponitur constitutio comparati regni Israëlitici, & in eo status Ecclesiasticus, & politicus ; simul assumuntur præterita, & consignantur futura. Et cum hæc sint communia in quatuor libris, Exodus assumit sibi tempus datæ legis, & in sua historia consignificat tempus futurū totius secūdi mūdi, & tertij : siue tempus totū legis, Euangelij, & Prophetiæ aperta. Liber Leuiticus dum exponit sacrificia legalia, fertur totus in Christum ; & quæ sunt sacrificij Christi oblati pro peccatis nostris multifariam, & luculenter tractat, & exponit simul complectens, quæ sunt secundi mundi & tertij ; siue præter primum, secundum, & tertium statum. Liber Numerorum dum bella narrat, & opera in parando, & constituendo regno, ac statu populi Israëlitici, simul quoque fertur ad pugnam verbi, quæ fuit martyrum post Apostolos, in parando regno Christiano : fertur & ad secundam aduentum Domini, atque pugnam verbi & armorum exponit in restituendo diuino cultu & regno Israëlitico futuro deinceps semper illaque simul assumit, quæ perpetua futura sint in mundo, siue in statu tertio. Liber Deuteronomij dum repetit quæ sunt constituti regni Israëlitici, fertur ad tertium mundum, siue ad tertium statum mundi, vt exponat, quæ sunt cœli noui, & terræ nouæ ; seu status Spiritus Sancti per acto iudicio in secundo aduentu Domini.

ARGV.

ARGVMENTVM IN LIBRVM
GENESEOS, SIVE ETIAM IN

alias diuinas scripturas.



CREATIONEM mūdi dixerunt doctores sancti, & Ministri verbi exponi in libro Geneseos: item creationem rerum, quæ in mundo continentur, & præsertim hominis: deque eius casu agi, de propagatione humani generis, de diluuiio, de impiis ædificatoribus turris Babelicæ, de Abrahamo, de propagatione fidelium, ac seminario populi Dei, de vocatione eiusdem populi in Aegyptum, de Prophetia Iacobi, & eius obitu. Verum quoniam patribus omnia in figura contingebant: & quia Psal. 73. & cap. 13. Matthæi dicitur. Eructabo abscondita à constitutione mūdi: aliud argumentum in hoc libro cognoscere oportet: Quod apertum fuerit Mosis, Prophetis, & Apostolis præter illud, quod simplex historia, & litera videatur exhibere: Secundum quod quoque argumentum tractarint Apostoli Euāgelium, quod quidem in figuris librorum Mosis continebatur. Nam dūm dicitur Pater Creator omnium, atque in Filio creatit omnia per Spiritum Sanctum Pater, vt videbimus in interpretatione primi capituli; præter historiā creationis, siue generationis rerum, historia quoque est exponenda eorum, quæ creata, & genita sunt in Christo, quod maxime patebit per Ecclesiam. Item historia eorū, quæ effecta sunt per Spiritum Sanctum abscondita à constitutione mūdi. Quod in vna historia triplex historia extet atq; ex triplici historia vna. Ex historia Legis, Euāgelij & Prophetiæ ducta in vnam perpetuā historiam, Pater,

i Filius,

ARGUMENTVM.

Filius, & Spiritus Sanctus cognoscitur vnus Deus: & ex vna historia tres continente vnus Deus, Pater Filius, & Spiritus Sanctus. Nam Deus magnam de se scientiam tradit in his, quæ agit in Ecclesia omnium temporum. Itaque si intuebimur, quod doctrina Euangelica proponebat, dicemus præter illa, quæ simplex historia narrare solum videtur, agi in hoc libro Geneseos de Christo, & de Ecclesia ac de statu populi Dei ab initio ad finem vsq;: agi de populo Israëlitico & Christiano: assumi statum dictum legis naturæ: tempus, & ætatem primam promissionis, & simul significari alios status mundi, & septem ætates mundi, describendo in Christo primum cultum verum, vnum & perpetuum, qui Deo tribui debuerit omnibus seculis. Sed id adhuc non satis est: oportet & argumentum in libro Geneseos, & in alijs scripturis sanctis intueri, quod Prophetia quoque affert, quod nullus liber à Spiritu Sancto dictatus inueniatur sine Prophetia. Nouerunt quidem Apostoli doctrinam Propheticam, & secundum eam exposuerunt veritatem eorum, quæ in vmbrijs consignabantur. At dum id agerent, non semper monuerunt nos: & si monuerunt aliquando generatim quid ageretur, monuerunt. & si in aliquibus monuerunt, non tamen in omnibus id fecerunt. deinde non compararunt singula singulis in omnibus; non causas addiderunt, & rationes, quomodo omnia, & singula essent comparanda inter se in omnibus, quæ tractauerunt, quamuis in aliquibus ostenderint, quod hoc esset opus Spiritus Sancti tempore Prophetiæ apertæ agere in secundo aduentu Christi. Vnde Apostoli ea exposuerunt, quæ fuerunt sui temporis, & secundi status Filij, consignantibus tamen sua ratione præterita & futura, illa autem reticere voluerunt, quæ quidem nouerunt aperto sermone fore promulganda omnibus ætate septima. Vt etiam Moses, & alij, qui in statu primo nouerunt Mystera Euangelij,
& Pro-

& Prophetiæ: atque ea proposuerunt populo, quæ erant primi status legis, quæque iussi fuerant promulgare. Hoc autem opus apertæ Prophetiæ cœptum est agi, & in publicum conferri per Ioachim: & semper deinceps perstitū est agi vsq; ad hæc tempora, quod quidem perficietur tandem in innouata Ecclesia, & in ætate postrema. Ergo & tertium argumentum erit addendum, in quo summam causæ afferantur eorum, quæ exponuntur: indicentur, quæ cōcludenda sint: proponantur omnia absoluta expectanda in innouata Ecclesia. Hinc dicemus, in libro Geneseos proponi eundem Deum, qui creauit omnia ab initio, effecisse omnia omnibus ætatibus mundi: & Deum, vt voluit se cognosci in creatione mundi, in creatione mundi posuisse ea, quæ euentura essent in mundo. Initio proposuisse omnia omnibus temporibus futura, & distinxisse tempora, secula, & ætates, atq; quæ singulis ætatib^o fieri vellet. Ac primū quidē complexum fuisse secundum mundi, & rerum in mundo creatarum rationes, omnia futura in mundo. Posuisse creationē rerū, quæ signaret res futuras: res inde rebus demonstrarentur vsque ad postremam ætatem. verbo autem suo hæc omnia firma stabilirentur. Primum caput huius libri poneretur, in quo omnes futuræ ætates initio proponerentur distinctæ cognoscendæ ab omnibus postrema ætate mundi. capite secundo poneretur status populi Christiani ad finem vsq; mundi. capite tertio fieret reditus ad primum statum mundi, & deinceps vsq; ad Abrahamum: atque consignaretur simul status impiorum à Cain vsq; ad Antichristum è mundo pulsum. ab Abrahamo vsque ad finem libri significaretur status omniū fidelū vsq; ad finem mundi. Et quod dicim^o de triplici argumentō quarēdo in Genesi, idē intelligēdū est & in omnib^o libris sacris, & in Euāgelio, & in Prophetia triplex ar-

ARGUMENTVM.

argumentū & item triplex interpretatio in omnibus propè diuinis scripturis, quærenda, non solū in libro Geneseos. Verbi causa in libris Mosis est historia diuina, quæ habet suum argumentum, & suam interpretationē: vt littera, & quæ narrantur, percipiantur ab his, qui legunt. Sed interea quoniam ibi sunt vmbra rerum futurarum, & ibi est Christus quoque consignatus, Euangelium simul cognoscendum est in lege: vt etiam secundum rationem Evangelicam aliud argumentum, & mystica interpretatio sit eruenda. Item quoniam & secundus aduentus Christi simul cum primo exponitur in lege, tertium argumentum & tertia interpretatio est quoque in lege cognoscenda nostri temporis, quando Christus prædicato iterum Euangelio, iudicat mundum, & constituit regnum Israëliticum. In Euangelio eadem modo triplex argumentum & terna interpretatio inerit: primū, vt exponatur quid Christus egerit, & locutus fuerit, deinde quomodo illa eadem fuerint consignata in libris Mosis; tum Prophetia, quæ est in Euangelio secundi aduentus Christi erit cognoscenda. In aperta Prophetia hoc tempore primū aduertimus in diuinis scripturis narrationem rerum, quas nunc fieri videmus, & in contentione de veritate Evangelica, & in perturbationibus bellicis, atque hæc eadem videmus fuisse consignata primū in libris veteris Testamenti, deinde in monumentis Euangelistarum, & Apostolorum: & generatim videmus omnia conduci in vnam interpretationem. Ergo quod sit in omni diuina scriptura, facimus quoque in interpretatione libri Geneseos. tria illa argumenta dicemus omnibus debere esse proposita, vt interpretatio, quæ hoc tempore offertur Ecclesiæ à Christo secundo ad nos prædicante, habeatur. Aperitur enim nobis, patres, qui fuerunt ministri verbi Dei in primo mundi statu vsq; ad Christum, cognouisse in his, quæ sibi contingebant, signa-

gnari illa, quæ sunt Euangelij, & quæ sunt Prophetiæ aperta, quamuis alijs vulgò eadem sub vmbrijs nūtiata sint, nec reuelata generatim toti populo, nisi statutis temporibus per Christum, & Apostolos, & hoc tempore per eos, in quibus ipse Christus agit, pugnat, & loquitur. Nouit enim Abraham diem Christi, & gauisus est. Nouit & Moses, & Prophetæ statum secundum Filij: nouerunt & tertium Spiritus Sancti: Apostoli, qui fuerunt medio tempore, quando sol, & lux mundi Christus Dei Filius visus est in mundo, nouerunt omnem veritatem de Christo in eius ipsius luce: & simul ad initium primi status conuertunt oculos, & viderūt lucem, quam vidit Abraham, Moses, & Prophetæ, ex qua luce viderunt & tempora futura, & secundum aduentum Domini: & scripserunt ipsi de rebus futuris, & hæc, quæ dicimus, magis aperientur in primo capite Geneseos. Cùm iam aduenerit secundò Christus in Spiritu, aperietur nobis Prophetia in euentibus rerū denuntiararū: & Spiritus Christi lucebit iterum in mentibus suorum ministrorum. Per quam lucem suscipietur lux, quæ fuit in Apostolis, & in Prophetis. vt interpretatio Legis, & Euangelij & Prophetiæ simul in Ecclesia innouata, & in regno constituto Israëlitico populis, & gentibus omnibus proponatur. quod fiet dum triplex quoque interpretatio, quam dixi, tradetur in lege, triplex in Euangelio, triplex in Prophetia, quia Deus vnus, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus vbique significatur: vt in primo capite Geneseos, & in omni diuina scriptura videbimus. Nam & in rebus creatis, & in effectiōe omnium omnibus temporibus, & in verbo Dei vnus Deus, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus demonstratur. & cùm lex exponat creationē & generationem rerum, & hominum: quæ tribuitur Patri: Euangelium verbum Dei ferat: Prophetia res narret gestas Spiritus Sancti; tamen creationem exponit verbū,

ARGUMENTVM.

Dei, in quo omnia creata sunt, idq; agit per Spiritum Sā-
 ctum. in verbo Evangelico adest opus Patris cum effectio-
 ne Spiritus Sancti: atque Spiritus Sanctus efficit in opere
 Patris, & Filij. vt omninò triplex, vt dixi, interpretatio
 quærenda sit in omni diuina scriptura. Ergo cū in Ge-
 nesi triplex interpretatio afferendā sit, triplex argumen-
 tum proposuimus. Primūm historiam creationis mun-
 di, & hominis: huius lapsum, & propagationem: dilu-
 uium, diuisionem linguarum: Sodomorum interitum,
 propagationem seminis filiorum DEI vsque ad Iaco-
 bi obitum, & Prophetiam deinde rerum futurarum. A-
 liud attulimus argumentum ex doctrina Evangelica &
 Apostolica, & tertium ex Prophetia: vt ostenderetur Ec-
 clesia ducta ab initio vsque ad finem mundi verbo æterni
 Euangelij: ostēderentur & rationes consilij Dei, & eius ad-
 ministrations in Ecclesia. Quantum iam pertinet ad sim-
 plicis historiæ interpretationem, nihil afferemus nos præ-
 ter ea, quæ exposita sunt à doctoribus Ecclesiæ, & minist-
 ris Euangelij quemadmodum & Euangelij, ac Prophetiæ
 historia, quæ literis traditur, luculenter ab iisdem est ex-
 posita. Versabimur ergo dum meditabimur huius libri in-
 terpretationem, quam Dominus nobis pro ratione præ-
 sentis temporis dedit in patefacienda veritate verbi Euan-
 gelici, & Prophetici, quæ fuit in hoc libro consignata de
 primo aduentu Christi, & de secundo: ac simul quæram,
 quantum dabitur, (vt loco exempli proponam mihi quæ
 sūt primi capituli) quid intellexerint Apostoli in creatione
 cœli & terræ, in tenebris abyssum contegentibus, in luce, in
 firmamento, in plantis, in sole, luna, & stellis, in animanti-
 bus, in creatione hominis, in die septimo præter historiam
 creati mundi, & pariter afferemus causas, quæ se nobis o-
 stendent harum rerum, ac aliarum in toto libro deinceps:
 atque

atq; interpretationē verborum, ac sententiarū, quam videbitur subministrare prædicatiō huius temporis, & apertio Prophetiæ, & lux quæ nunc nobis in aurora aduentantis diei Christi lucet. Nam dum fiunt tempore secūdi aduentus Domini, quæ denūtiata sunt in Prophetis; aperitur Prophetia eorū, quæ restant efficienda, quòd verò restent plurima, monet Petrus Act. 3. qui ait in secūdo aduentu restituenda esse omnia, quæ Deus locutus est per os omniū suorum sanctorum Prophetarū ab initio. Si iam aperitur Prophetia ex euentis; patefiūt quoq; quæ sunt mysteria æterni Euāgelij, vt asserit Paulus in fine Epistolæ ad Romanos. qui monet per scripturas Prophetarum patefactum esse mysteriū à tēporibus æternis tacitum, quod ita fuisse cōfirmatur cap. 13 Math. & psal. 73. Vbi dicuntur nunciari occulta in parabolis à iactis fundamentis mundi. Vnde si in primo aduentu aperiebantur mysteria abscondita à seculis per scripturas Prophetarum; etiā in secundo aduentu Domini dum fiunt quæ sunt reliqua Prophetiæ, debebunt aperiri simul mysteria occulta de æterno Euangelio, quod significauit & Petrus Act. 3. aperiri inquam toti nunc Ecclesiæ, vt olim fuerunt aperta Apostolis, quemadmodum promissus est Spiritus Sanctus effundendus super omnem carnem. Vt quod cœptum fuit in Apostolis, perficiatur nunc in om̄ibus ad Ecclesiā pertinentibus. de qua re quoniam Prophetæ noui, siue interpretes Prophetarum post Christū monuerūt, & quidā ex theologis nostri temporis, ego non plura dicam: ac illud retinebo in euentis eorū, quæ scripserūt Prophetæ, patefieri quoq; mysteria de Euāgelio. Et hæc est causa, quare, ego cū de his agā, posueri in scriptione meorum cōmentariorum interpretationem mysticam, & Propheticam: Vnde & hæc quidem mihi videntur & alij potuisse percipere, aut alia etiam præter ea, quæ scripsi ego. Atq; existimo esse alios, qui hæc eadem tene

ant, &

ant, & similia scribant. Vnum omninò noui. Si quis viderit Prophetas, qui fuerunt plurimi ab Apostolis vsque ad Lutherum; notauerit euenta: contulerit cum Prophetis antiquis, quæ illi scripserunt, atque viderit, quæ nunc euenerunt, & eueniunt; videbitur potuisse habere ingressum in interpretationem Propheticam, & mysticam: Et hæc quidem aliqui coeperunt aduertere iam, dum coepta esset prædicatio Euangelij in Germania, & Heluetia. Vt nunc primum initio anni 1584, ego noui, dum amici mihi proponerent libros, in quibus aliqua de his, quæ tracto, de statu nostrorum temporum, & de futuro, essent perscripta. Legi ego commentarios Fabritij Capitonis in Oseam. vbi in præfatione pag. 1. ita scribit. Alius alium in regno Christi docturus, amplius non dicet. Cognosce Dominum: sed à maximo vsque ad minimum eum cognoscent, replente Spiritu terram vniuersam, supèrque omni carne, scientia Dei tanquam aqua largiter effusa. quemadmodum Prophetæ liquidò prædixerunt. In commentarijs pag. 5. ait. Spiritum suum Dominus super omnem carnem effundit. Cuius specimen Hierosolymis accepto Spiritu Sancto in discipulis apparuit: & nos videbimus, vti spes est, in hoc reuelationis Christi aduentu. pag. 67. cæterum hoc tempore reuelationis aliquousque visum recepimus. bonam partem abominationis istius perspectam, cognitamq; habemus: adeoque hæc legentes intelligimus, quæ non tantum in oculos incurrunt & quæ sequuntur. Pag. 68. Reliquis extremum illud dierum nondum reuelatum est. At modo totum instat semel omnibus declarandū, signis per omnia consonantibus. Item ibi. supra opinionem humanæ sapientiæ hoc tempore Dominus abditissima prodidit, & amplius prodet. pag. 55. Reuelato Christo foelicissima erunt omnia: neque vrbes instaurabuntur. quorum enim monumentis, & propugnaculis opus in tanta pace: quæ reuela-

ro Christo florebit. pag 56. initio eandem sententiam habes. pag. 154, cerimonia, & historia legis prædicant futurum officium iudicis Christi, quo fungitur ille, donec tradat Patri. pag. 201. 28. Superiora præterita more Prophetarum vim futuri habent. Pag. 242. finis dierum modo instat, hoc tempore reuelationis. 22. Pag. 268. Patres sub circumcissione expectarunt regnum Christi in fine mundi, dum ipsi gererent umbram futurorū. 269. 270. Ibi habes de regno Christi & Spirituale, & in terris. Pag. 74. & 22. Regnum Christi non est de hoc mundo, quomodo accipiendū Scripsit idem Capito in quosdam alios Prophetas, quos mihi non contigit videre. Martinus Cellarius in libro de operibus Dei circa finem planius exponit, quæ sunt Prophetarum nunc effici, & quomodo perficienda deinceps. Liber ille laudatur à Capitone, qui addit antè præfationem, quam præfationem cuperem ab omnibus hoc tempore legi. Et si sint aliqua, quæ in eo libro nō probentur, plurima tamen, & maximè quæ sunt operis Dei postremorum temporum euentu rerum comprobabuntur. Henricus Efferhen Doctor Theologiæ edidit tredecim Homilias in cap. 35. & 39. Ezechielis. in quibus tractat, quæ sunt iudicij, & postremorum temporum descripta in Prophetis. Argentorati anno LXXI. Ego verò dum fiunt progressus rerum, quos isti viderunt, & quàm plurimi iam incipiunt videre, ne videar diligentior fuisse quàm alij; qui àque video plurimos cupere scire vnde habeam quæ tracto, paucis narrabo. Factum est Venetiis anno 1563. die Dominico, vt cum post meridianum tempus consumpsissem in deambulatione cum sociis, & domum me recepissem, statim aperuerim Biblia: ac occurrit mihi Aggæus. Dum lego primum caput, eccè cor mihi constringitur, & quasi torculari comprimitur cum dolore: ac loquentem audio, qui mihi memorat, quæ egerim multa,

ARGVMENTVM.

& varia antè, & quæ agam, vt perueniam ad peculium, & ad commoda vitæ, frustra ait me laborasse & laborare. nihil me effecturum, omnem operam perditurum, ac faccum sine fundo inuenturum in omnibus, quæ mihi comparare conatus fuërim siue ingenio, siue opere. Oportere prius parare, & efficere, quæ sunt Ecclesiæ, & regni Christi: tum tantummodo ad futura commoda, & quietem lætam. hæc omnia multis modis repetebat, & vrgebat: atque quod mihi separatim narrabat, idem ostendebat generatim euenturum aliis. peruentus ad finem capitis surgo, qui hærebam mensæ totus perterrefactus, non tam propter id, quod mihi euenerat, quàm quòd veniebam tunc è ioco, & risu. vnde veritus sum tum procumbere in genua. Statuo noctu rem expendere: manè precari Dominum: quod facio. mane peractis precibus, peto vt Dominus significet, quid à me fieri velit: tum surgo, & sto. audio vocem ad sinistram cuiusdam mihi inhærentis, mihi qui narret, & obiiciat mea peccata, simulq; statuat me antè iudicem in magno iudicio: vrgeat illa, illorū vim, & pœnam. me verò inuadit horror, & tremor. & dum instat vrgerè vehementer, & vehementius semper, exanimatus decido in mensam, quæ post me erat: tum illico cessat horror: & audio ad aurem sinistram hæc verba. Recordare quicquid facultatis in te fuerit, tibi fuisse datum in ventrem matris. eo die paro me ad lectionem Propheticam, quia multa, quæ non narro, perceperam dum mihi loquebatur de domo Domini. altero die lego quatuor prima capita Osee: quæ intelligo. reliqua video esse percipienda partim ex his, quæ videram, partim in euentis. versor diu in lectione, video in omnibus factis libris inesse Prophetiam. taceo, & omnia mecum expendo. Anno 1565 video in quodam Propheta futuram actionē de re Prophetica per quēdā virū apud Magistratū Venetū.

tunc

tūc me inuadit, timor ne sim ego ille. quæro exire fines Venetos, nec possū ob certa impedimenta. eo in forum Iuliū: retineo apud me consilium meum : scribo commentarios, & pharaphrases in proœmium Physices, vt videar alia tractare, quàm sacra, vt oblata occasione inde euolem. antè tres dies quàm capiar, sentio circum me esse milites, quæ me inuadant. eo die, quo fui captus cogitabam manè in lecto, non esse vltra expectādum, statim esse arripiendā fugam relictis omnibus bonis, ac nemine salutato. ecce dū hac agito postquam surrexi, vocor ad Prætorem: adest capitaneus magnus quem vocant decem capitum; me compræhedit, & ducit Venetias. perductus in aulā decē Capitū video, & audio mira. primū extra me raptus, post in me reuersus, altero die ducor in inquisitionem; ibi mihi ostēditur, & repetita voce significatur quænā sit abominatio, de qua egit Christus, & Daniel, & cū multa viderim, & audierim, quæ alij non viderunt nec audierunt, tantum nunc id dicam, inquisitionem esse ipsam abominationem desolationis. id inquam dico, vt Veneti, & alij prospiciant rebus suis. de hac autem abominatione, & de rebus alij suis locis in interpretando quemadmodum accepi, & noui, referam. Quicquid ergo scripsi in sacros libros hætenus, & verbo nuntiaui, habui ex his, quæ percepi antequàm caperer & ex his, quæ mihi ostēsa sunt in aula decem capitum, in inquisitione, in carceribus multis modis. & cū ante quàm caperer statuissē nihil loqui de re Prophetica, postquam fui captus multis modis mihi fuit ostēsitū me oportere loqui, & scribere. quod & feci, scripta putabā esse seruanda, vt offerem illa Ecclesiæ post sedatas perturbationes communes. Verū quia monitus sum, siue etiam repræhensus, quòd ita statuerim, & contenderūt aliqui statim illa esse communicanda, & tradenda reliquis in tempore, ad quos eadem scire pertineret: quiaque

ARGUMENTVM.

video ego hoc seculum ferre, vt multa prodeant non catholica, siue vix posse prohiberi, ac sæpè prohibentur bona, & promouentur mala: item recordor, cùm legerem caput primum Aggæi mihi fuisse dictum, non esse expectandum annum septuagesimum: antè oportere laborare in his, quæ sunt domus Domini; has ob causas adductus sum, vt antè tempus aliqua ex his, quæ scripsi edam: quod quidem ita facio, vt iudicium omnium sit futurum Ecclesiæ suo tempore coactæ. vt ipsa tandem, & Christus in ipsa futurus sit author omnium, quæ sentienda, & suscipienda sint in populo Christiano. Et dum digressus sum ab instituta tractatione coeptæ interpretationis, illud quoque hic addam: me videre in meis scriptis eadem sæpè repeti, quæ fastidium videantur asferre multis. in qua re peto, vt res, & causa cognoscatur. Volui refecare repetita multis in locis: sed obscuritas residebat, si non doctis, at simplicioribus: deinde cùm agam ego interpretem, & non auctorem alicuius argumenti, cogor vbi videtur difficultas, hanc apertis sententijs, ac verbis tollere: quod contingit sæpè in vno versiculo, vt eadem dicas, & repetas dum alterum, & alterum exponis verbum, non solum in diuersis versiculis, & capitibus. prætereà vtitur sæpè diuina scriptura repetitionibus, vt tu quoque cogaris eadem repetere. Et si quando eadem in aliquo authore repetuntur diuersis verbis, non ita licet interpreti agere plana cupienti reddere omnia. atque illud tandem maximè erit attendendum, quòd quæ sunt temporis iudicij, & Sabbatisimi, non solum repetita esse in omnibus sacris literis: sed & in eodem libro sæpius inculcata. Quamobrem dabit veniam pius lector, si quædam sæpè eadem dicentur. Causæ patefiunt in verbis Domini repetitionum, & quare multifariam, multisque modis locutus sit Deus in Prophetis. Vt autem ad institutum redeamus, dum argumentum fuit ponendum

in interpretatione mystica, & Prophetica, oportuit etiam rationem reddere de hoc genere interpretationis, & noui argumenti: atque ostendere vnde haberetur. Cum ergo de argumento huius libri, & de interpretationibus, quas allaturi sumus in omni propè diuina scriptura, hæc dicta sint; iam de ordine videamus aliqua.

De dispositione, & ordine.

SI in libris profanis est suus ordo, multò magis erit in sacris libris diuinus ordo. distinxit enim Deus in fabrica mundi omnes suas partes cœlestes admirabili sapientia; & secundum earum distinctionem disposuit omnia tempora, & ætates mundi, & quæ fuit factururus in mûdo: atque hunc ordinem primùm proposuit nobis Deus in 1. capite Geneseos in quo assumpsit creationem mundi, rerumque omnium, & omnia quæ erat factururus in mundo ordine. Rursus quoniam non erat patefaciendû generatim omnibus gentibus consilium Dei in omni eius administratione mundi, nisi hoc tempore, et in Ecclesia innouata: mittendusq; erat Spiritus Sanctus, cuius opus esset aperire omnia, & recludere abscondita, & literis consignata, exhibere nobis apertam sententiam primi capitis Geneseos & cæterarum scripturarum; alius extat ordo, dū quæ prima diximus secundum communem ordinem historiæ po poni initio, secundum mysticam interpretationem veniunt postrema. vt quadam ratione prima proponantur, media, & postrema: alia autem ratione assumatur finis, & postrema, in quæ conducta sint prima, & media. idque fit secundum constitutionem cœlestem, & naturam cœlestium: vbi non possis statuere principium, nec finem. quòd vbi posueris finem, possit esse principium: & vbi initium, finis quoque. vt Deum intelligas creatorem principio & fine carentem

ARGUMENTVM.

qui tamēn propter res creatas, & effectas dicatur, & sit principium omnium, & finis omnium: atque idem finis, qui principium, idem principium, qui finis. In primo igitur capite secundum simplicis historiæ rationem prima proponuntur, media, & postrema: secundum autem rationem, & interpretationem mysticam in eadem historia nō possis percipere (nisi Deo separatim demonstrante) prima, nisi finem antè perceperis, in quo omnia fiant aperta priora. Quamobrem in cap. primo videntur ostendi, quæ sunt tertij status Spiritus Sancti, in quem cōducta sint quoque omnia ordine tempora ab initio mundi, cap. 2. secundum mysticam interpretationem & ordinem fieri reditus ad secundum statum Filij Dei, capite autem tertio secundum interpretationem, & ordinem similiter mysticum duci initium operum Dei in homine ab eius lapsu. Igitur his tribus capitibus consignantur futura in hominibus ab initio mundi ad finem vsque: & distinguuntur in tribus statibus, & septem ætatibus: duplici tamen ratione, vt statim dicemus. primus status sit consignatus capite tertio, secundus capite secundo, tertius capite primo, in quo quæ nuntiat ab initio futura omnibus seculis Deus, qui solus est administrato mundi; percipienda sint nunc in statu tertio. nuntiat autem quæ quouis ex tribus statibus, quæ quauis ex septem ætatibus sunt facta. atq; hæc tria capita sint tanquam argumentum omnium, quæ in omnibus diuinis scripturis tractabuntur. & primum distinctio, & ordo eorum, quæ tractanda sint. Quæ autem à quarto capite vsque ad finem libri narrantur; illa in duas partes diuido: in statum tenebrarum impiorum, & in statum lucis piorum. Et hic in vtroque statu generatim sumpto intellige in unum primum impiorum, & mundum secundum partim piorum, & partim impiorum secundum distinctionem Petri in Epistola secunda capite tertio, vt in vtroq; sint consignata

gnatæ septem ætates, & tres status disiuncti, diuersa tamé ratione status, quod hi ad pios tantum referendi sint, qui Patrem & Filium, & Spiritum Sanctum nouerunt & coluerunt, non item ad impios. ac dum septem ætates familiarum Cain narrantur, veniunt eadem, quæ se opponant femini Abrahæ sub circūcissione, & baptismo. à Cain enim vsque ad Abrahamum tempus legis naturæ, seu mundus impiorum describitur, in quo significantur quoque ætates impiorum, & eorum tyrannis ab eodem Cain vsque ad finem sextæ ætatis, & ad ingressum in septimam, & ad interitum Papatus. Et vt pauci pij memorantur illius temporis, Abelus, Sethus, Enofus, Enochus, Noë & horum certæ familiæ, infinita deinde impiorum multitudo omnia loca occupat, & tyrannidem exercet; sic ab Abrahamo describitur status filiorum lucis in femine credentium: quorum numerus ab vno, seu ab vnus fide ducit initium, & paulatim quotidie magis ac magis dilata tur tempore triū statuum, & septem ætatum mundi. vt tandem filij lucis obtineant orbem, & Dei regnum ciecctis iudicio Dei impiis, & perditis.

Argumentum in primum Caput.

QUID A M existimauerunt hoc capite fabricam mundi solum narrari; quidam sub hac narratione consignari prætereà magna mysteria de Deo glorioso: magnam rerum à Deo creatarū contegi scientiam, & occultā legis, siue eam, quæ in omni diuina scriptura latet, historiā. De fabrica mundi nihil nos exponemus: quia fuit illa diligēter exposita à Doctoribus Sæctis, & à ministris Euāgelicis. de mysteriis autē diuinis, quatenus per ea, quæ videntur in creatione vniuersi, & in his, quæ effecit Deus, & Filius eius in Ecclesia, cōscédatur ad

ARGUMENTVM.

ad illa quæ non videntur, ad ordines Angelicos, ad tribunal tãdem diuinæ maiestatis; nil proponam me dicturum, minus verò de naturis rerû creatarum conabor ex hoc capite aliquid differere, nam illud munus nunc tantum mihi est impertitum, vt complectar in historia aperta sacrorum voluminum historiam occultam, in qua patefit consilium Dei in administratione mundi: & opera, quæ effecturus erat Deus ab initio mundi ad finem vsque. quæ quidem cõpræhenduntur hoc capite imo primo versu, & quadam ratione etiam primo verbo, siue etiam, vt sic dicam, prima litera. Quia à primo principio omnium, à Filio vnigenito antè secula qui est domus, thesaurus diuinitatis repetuntur hîc vniuersa, à quo emanarunt, siue in quo effecta sunt. Ac vt quæ consignantur hoc capite ante oculos ponantur atque non neceffe sit simplicioribus singula rererum capita ex longa oratione colligere, in certas partes diuidemus omnia, vt sint proposita omnibus sacram historiam contemplantibus. Primo versu ponitur argumentum quòd de Ecclesia, & de statu politico dicendum sit futuro in mundo à mundi initio ad finem vsque. versu secundo signatur status primi temporis, qui dictus est legis naturæ, qui que totus penè fuit tenebris inuolutus. Vnde appellatur à Petro mundus impiorum, mundus priscus. In septem autem diebus signantur septem ætates mundi: ducta prima ab Abrahamo. sex priores constan tenebris & luce, septima luce tantum, vt tempori legis naturæ datæ sunt tenebræ. In his septem diebus sunt tres status mundi, mundi inquam secundi descripti à Petro. primus status complectitur tres ætates priores, secundus alias tres, tertius septimam. qui tres status signantur & tribus diebus, quemadmodum & omnia secula compræhéduntur vno die. vt prior eius pars existat tenebris intempestæ noctis inuoluta. Id quod fuit tempus legis naturæ. pars deinde fuerit mixta, partim tenebris

bris, partim luce vt sex ætates. pars diei sit tota lux ætate septima. Omnia iam quæ sunt omnium temporum, & ætatū comprehenduntur hoc capite cum creatione mundi, & omnium, quæ in mundo extant. Et quoniam aliqui cupient distinguere sibi, & ostendi has septem ætates, & tres status, & vnum complexum rerum omnium, breui hæc proponam: Vnus complexus temporis exponitur in Esdra lib. 4. cap. 6. sub figura manus Iacob tenentis pedē Esau. Et hic vnus dies cognoscendus est in historia sacra, vt intelligatur illud hodiè, de quo sæpè fit mentio, itē alia. Tres status mūdi distinguuntur circūcisione, baptisate sub Euāgelio et baptisate sub prophetia patefacta. Septem ætates mundi distinguuntur & comūtatione in statu populi Dei, & Dei verbo septies factō eidē Dei populo, vt solemnius temporib⁹ trium statūū. Promissiones igitur factæ Abrahamo à Deo afferūt nobis primam ætatem, lex secundā, Prophetæ tertiam. has tres ætates circūcisio conducit in primum statū. Prædicatio Apostolica quartam affert ætatē. Apocalypsis comparata contrā ortū Papatus, & Antichristi quintam: denuntiatio secundi aduentus Christi per Abbatem Ioa-chimum & alios, sextam. atq; his tribus ætatibus status secundus continetur. prædicatio nunc repetita Euangelij, & apertio Prophetiæ, & mysteriorum legis in septimam ætatem, atque simul in tertium statum mundi nos perduxit. omninò ex verbo Dei septies certa, aperta, & visibili ostensione factō seruis Dei per Spiritum Sanctum, non solum occulta eiusdem Spiritus illustratione mentis ad aliquid secundum voluntatem Dei pronuntiandum, distinguere videntur septem ætates. De primis quatuor ætatibus, non videtur esse dubitatio: quintam possit quis tribuere temporari doctorum, quando orto Papatu, & ortis hæresibus, & Arrio, & Pelagio pugnarunt illi pro Ecclesia Christi. Sed non ostenditur aperta significatio muneris dati: non ostenditur

ARGUMENTVM.

ditur aperta significatio muneris dati, non ostenditur cognitio, & opus Prophetiæ. quare existimamus Apocalypsin datam contra Papatum, quia in ea Ioannes illa capite primo tractat, quæ sunt propria maiestatis Christi. ex quibus possis cognoscere Papam nihil commune habere cum Christo; sed huic accedere Antichristum. Et initio libri proponuntur illa seruis Christi ostendi, quæ oportet fieri citò, hoc est ætate sequenti, ac præsertim quinta, quando mulier amicta sole iam in deserta concesserat. Rabanus Monachus quinta ætate scripsit librum Propheticum, quem ut existimo, non contemnet futura ætas. Sexta æras non potest tribui, ut quibusdam visum est Dominico, non Benedicto, non Francisco, non huiuscemodi alijs. quia non ostenditur certum verbum Dei factum ad hos viros & illa quæ docuerunt & egerunt, contraria sunt & pugnant cum diuinis scripturis. & quoniam in illis Prophetia omninò non ostenditur, quæ in omni verbo Dei solenniter facta apparere debet; Cyrillus ille, qui scripsit Prophetica & Ioachimus Abbates videntur attulisse initium sextæ ætatis. Quia Cyrillo illi dicitur fuisse ostensa tabula argentea ab Angelo: in qua continebatur descripta denuntiatio aduentus Christi secundi, innouatio futura Ecclesiæ, & certa apertio Prophetiæ. Hæc eadem ostensa sunt Abbati Ioachimo ut qui post illos tractarunt Prophetica in suis scriptis retulerunt. deinde illa euenisse videntur, quæ his viris ostensa & denuntiata sunt. Et quauis in Abbate Cyrillo & Ioachimo, & in his, qui secuti sunt, aliqua à quibusdã desiderentur, & in tempore falsi aliqui fuerint; tamen putamus satis ipsos fecisse suo muneri, cum nuntiarunt euentum omnis Prophetiæ instare in secundo aduentu Domini; & quæ generatim erant nuntianda nobis proposuerunt, ut Vbertin⁹ Casaliensis ait de Abbate Ioachimo, ut de Cyrillo qui reuelationem generalem habuerint de rebus futuris, non autem singularium, ac in illis veri fuerint, non item in his quæ

humana cōiectura putarūt se consequi posse. deinde quæ erāt Prophetarū, & omnis diuinæ scripturæ, erāt perfecta omnia expectanda, & cognoscēda, quādo cognosceretur secundus aduentus Domini. Et illud fuit atēdendū, quod tenebræ Antichristi debebant omnia inuoluere & impedire, ne lux luceret apud omnes verbi denūtiati: vt dicebat Christus. credite in lucē dum lucē habetis. quia venit nox, & nemo scit, quō vadat. itē lux paulatim debebat, crescere, vt dictū est in Prophetis, vsq; dū Christus pugnando vīga ferrea cōtinuisset robur, & statum Antichristi. Alia certa ratio est cognoscēdi has ætates ducta ex cōparatione priorum: quia quarta, quinta, sexta debent respondere primæ, secūde, & tertiæ quarta respondet primæ: quia Christus fuit semen illud, in quo benedicēdæ essent omnes gentes, & in quo donandæ essent omnes promissiones: quinta secūdæ, quia in vtraq; constituitur status populi Dei; & in quinta exsurgūt quoq; filij Aaron adolentes incēsū alienū, extollituri dolū Madianitarū, exsurgit falsus Propheta Papa: suis locis hæc ostendētur. Sexta respōdere debet tertiæ, vt in illa incipiāt aperiri, quæ in hac fuerūt occlusa. In signis verò fuit opus Dei in sua Ecclesia, ætate, sexta, cœpto nūtiari secūdo aduētū Domini & innouatione vitæ, in qua prædicatione fuit ingens hominū multitudo cōuersa ad Christū, qui appellati fuerunt Albigeri, quib⁹ fuit magna vbiq; cōtentio cum Papatu. nō obtinuerunt tū illi victoriā, quia adhuc nō erāt cōpleti anni 1260. signati in diebus cap. 12. Apoc. & fuit in Albigen sib⁹ similis captiuitas, quæ fuit Israēlitis captiui Nabucodonosoris. 400. anni fuerūt expectādi vsq; ad secūdū aduētū Domini, vt totidem expectarunt Israēlites à captiuitate illa vsq; ad aduentum primum. In ætatis septimæ initium incidimus nos exētes è fine sextæ, quando Christus in membris suis prædicauit iterum Euangelium, aperit nunc prophetiam: denuntiat verbum

suum, vt significauit se facturum Psal. 88. vbi dicitur. Tūc locutus es in visione sanctis tuis, posuisti adiutorium super potentē, & exaltasti electum de plebe mea: siue etiam ingressi sumus in septimam, quando per doto exercitu Pharaonico coeptæ sunt obtineri regiones, ac ditioes Papisticæ in Belgica, & deinceps in aliis locis. siue tandem quando concilia coepta sunt haberi Euangelicorum, & per hæc Ecclesia Apostolica, & Catholica innouari. Quod prætereà posset quis hîc, & alibi quærere, quare status tres mundi, & septem ætates mundi dicantur, non assumpto tempore antè promissionem, illa videtur esse causa, quòd tum coepta sit solemni Dei verbo constitui Ecclesia, & status populi Dei, & prior mundus perierit per diluuium, vt memorat Petrus; & iam alius esset, qui coeptus sit in Abrahamo: atq; per Ecclesiã patefit multiformis sapientia Dei in administratione mundi. vndè in Abrahamo coeptus est nouus mundus credentibus. Hæc tanquam argumentum posita sint primi capituli, atque aliqua ex parte pro secunda interpretatione petita ex Euangelio. Nam & hæc eadem tempore status secundi, qui fuit Euangelij, sunt memorata ab his, qui Euangelium, & Prophetiam tractauerunt. Nunc ad interpretationem accedamus, quam affert nobis ipsa Prophetia, & ingressio in statum tertium mundi, in qua interpretatione Prophetia cognoscetur & Euāgelium.

CAPVT. I.

IN principio creauit DEVS Cælum & Terram. Triplicem sententiam diximus quærendam hoc in capite, vt in omnibus propè diuinis scripturis. in prima cognoscendus est mundus, & omnia, quæ sunt in mundo à Deo creata. de hac sententiâ satis multa exposita, & dicta sunt à doctoribus sanctis, &

& à viris Euangelicis. quam autem videatur afferre Euangelium, & Prophetia, vt Dominus dabit, contemplabimur. in qua re præter alia de Deo duo proponuntur futura manifesta. primùm omnia futura in mundo fuisse summatim consignata in hoc capite secundum illud Matthæi 13. & Psal. 78. Eructabo abscondita à constitutione mundi: deinde futura in mundo fuisse in ipso mundo impressa cū ipso mundo, quasi in vno corpore concreata, & secundū ordinem mundi distincta, vt necessariò secundum motum, & cursum aspectabilis coeli & mundi debuerint omnia euenisse immutabiliter secundum illud. Donec pertransseat coelum & terra, iota vnum, aut vnus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant. secundum illud Jerem. 31. 36. Si amoueri possunt statuta ista. Dicam ergo narrationem Mosis ita esse contextam. vt in creato mundo consignet, & contineat, quæ sunt futura in mundo. Nam historia mundi & rerum creatarum per se patet antè oculos omnium posita, quæ non literis, sed rebus ipsis loco literarum sit conscripta. vt non fuerit neceffe illam aliter exponere, nisi verbo Dei affirmare, Deum Creatorem omnium. vt sæpissimè fit, & vrgent sacræ literæ. Deum creasse coelum, & terram, cū significatur & effector omnium in mundo, & in Ecclesia sua, & in statu politico. Hinc Doctores multi censuerunt non distinctis temporibus Deum creasse omnia, sed simul omnia perfecisse, vt versu. 4. & 5. sequentis capituli indicari videtur. quod & ob eam causam nos existimamus, quia tunc fuerunt facta, & perfecta vno tempore apud Deum omnia, quæ effici debuerunt in mundo toto cursu temporum. [vnde distinctio temporum & creaturarum videtur propter aliud allata. Nam multa narrantur hoc capite, quæ non possunt conuenire cum narratione rerum creatarum. veluti vbi dicitur, sit lux, quæ vocetur dies, & quæ distinguatur à tenebris, vnde extet di-

Capite primo consignata sunt futura Ecclesia, & status populi Dei.

es, ac nox; ponaturq; primus, secundus, & tertius dies, & quarto dicatur creari sol & luna, & stellæ, & ex his dicatur similiter, effici dies ac noctes, cum tamé antè extiterint dies distincti à noctibus. Hic nisi interpretationem attuleris ex Euāgelio & Prophetia, videntur contraria, & absurda dici: quod antè solem, & lunam, quibus datur effectio & distinctio diei, ac noctis, fuerit lux, quæ effecerit diem, & eum à nocte distinxerit, & à tenebris. atque hæc videmus nos fieri per solem, quod non sit dies, vbi nō sit sol super terrā, & tamen antequam esset sol, dicitur fuisse primus dies, secundus, & tertius. Ratio cur secundus dies nō benedicatur vt alij, vnde habebitur, nisi a veritate Euāgelica quomodo deinde tertio die produxit terra plantas sine sole? ité sexto die dicitur creari Behemoth, & in lib. Iob. ait Deus se creasse Behemothum, & Iobum. quomodo autem tēpore Iobi intelliges creatum Behemotum, qui scribitur creatus cum alijs generibus animantium, cum crearetur mundus? sunt multa in hoc capite, & in omni diuina scriptura talia: vt in Prophetis multa dicuntur de Christo, quæ non possis intelligere, nisi in suis membris. Item de membris narratur plurima, quæ non possis percipere nisi in capite. quare & in hoc capite multa sunt, quæ necessariò cogunt nos interpretatione afferre ex Euāgelio & Prophetia. quod præsertim faciemus, quia ad id etiam nos adducit ratio sacræ historiæ, quæ differt ab historia cōmuni hominum: vt omninò mystica interpretatio, & Prophetica sit nobis in hoc capite vt in reliquis diuinis scripturis inuestigāda. Nam historia cōmunis perficit quod sui est muneris, dū exposita tradit quæ fuerūt acta. Sacra autē non repetit ita, quæ narrarunt, aut narrare potuerūt homines; siue etiā tradit, quæ Deus nuntiat, vt solum præteritorum memoriam afferat, eorumq; quæ geruntur, & gesta sunt, solū nuntiet, quæ nuper velit: sed maximè ex præteritis, & præsentibus (quæ quidem confirmat) atq; ex his quæ mādat, describat ipsa,

narret, & nunciet futura longi, & postremi tēporis. Vnde
 1. cap. Geneseos non solum narrationē affert rerum crea-
 tarum, sed harum historia illa tantum assumit, in quibus
 res futuræ significantur. ac ita conscripta est historia toti-
 us primi capitis, ita totius libri, ita librorū Legis, Euāgelij,
 Prophetarum, & aliorum. Nā Prophetæ exponunt historiā
 suorum temporum, in qua cōtinentur quæ erant primi, &
 secūdi aduentus Domini, status Filij, & status Spiritus Sā-
 cti. Vndē & Euangelistæ, & Apostoli, & Ioannes in Apo-
 calypsi scribunt futura in his, quæ fuerūt sui temporis, illa
 assumentes, in quib⁹ cōsignarent futura. in libris Regum ex
 historia vniuersa, illa narrantur, in quibus significātur futu-
 ra, in libris Legis, Iosue, & Iudicum narrantur quoq; illa,
 quæ sint nuntia rerum deinceps futurarū. in promissionib⁹
 Abrahæ, Isaaci, & Iacobi, quæ pariter erant futura in po-
 pulo Dei deinceps vsq; ad postrema tempora. in his, qui
 antē Abraham fuerunt, reliqua item deinceps atq; adeo
 in ipso Adamo vniuersum genus humanum futurum com-
 prāhensum fuit cum Christo. Et quia ante Adamum non
 fuerūt homines, in ipsis creaturis, ac in ipsa fabrica mundi
 cōsignata fuerunt occulta futura omnium seculorum, vt mo-
 nuit Euangelista Matthæus cap. 13. Et hæc patebunt cum
 in multis locis diuinæ scripturæ deinceps, tum explicatē, &
 distinctē cap. 6. lib. 4. Esdræ. Atq; magis hoc caput cōti-
 nebit Prophetiam; quia cum mundo, & creaturis creata si-
 mul tunc fuerunt omnia, quæ erant, futura in mundo. Quia
 iam mystica interpretatio necessariò est habenda, & futura
 seculorū ostendenda, vt deinceps magis probabimus; illa
 quoq; proponimus demonstranda, quæ & patebūt ex Pro-
 phetis, quando libri erunt aperti: cœlum poni pro Eccle-
 sia: terram pro statu Politico: tenebras pro statu impio-
 rum; lucē pro fide Abrahami; firmamentū pro lege; plā-
 tas pro Prophetis: solem & lunam pro Christo, ac pro Ec-
 clesia Apostolica pro statu populi Christiani: pisces, &

*Cælum
poni pro
Ecclesia
omnium
tempo-
rum.*

volucres pro statu populi Christiani in ortu Papatus: fe-
ras pro tyrannis sextæ ætatis; hominem pro pijs eiusdem
ætatis, & post futuris. de quibus singulis dicturi sumus in
interpretatione capituli, si prius ostendemus cælum poni
pro Ecclesia & pro Ecclesia omnium temporum, in qua
Deus ei se patefecerit per verbum suum omnibus ætatib⁹.
quod se facturum denuntiarit ab initio, vt interpretatio
huius capituli ostendet. Nam Prophetæ ita intellexerunt
locutum Mosem: atque ad eum ita intelligendum nos re-
uocant, dum loquentes statui Ecclesiastico, & politico, no-
mine cœli, & terræ eos status appellant. Primum Moses
cap. 32. Deute. alloquens Ecclesiam nostri temporis, &
aliorum antè temporum, vocat more Prophetico Ecclesi-
asticos, & populum Christianum cælum, & terram: vt in-
terpretatio ostendet. quòd omnia, quæ dicuntur in eo ca-
pite non possint percipi, nisi historię rerum præteritarum
addita fuerit historia nostri temporis. Capite verò 26. Le-
uitici. v. 12. ait Deus. conteram superbiam fortitudinis
vestræ: ac dabo cælum vestrum sicut ferrum, & terram ve-
stram sicut æs. ibi omninò per cælum vestrum, & terram
vestram intelligitur status noster superbus, & robur nostrum.
atque ad odium dicitur cælum vestrum, quòd faciamus
nos Deos: nostro arbitratu velimus agere, administrare,
præcipere, dare legem, vt Deus dedit Mosi, non autem vl-
tra valere legem Dei in populo suo: non ultra nos esse
populum Dei; sed ipsorum. In Daniele cap. 8. v. 10. omni-
nò in cœlo, & terra oportet, vt intelligas statum Ecclesi-
asticum, & politicum. Isaias quoque similiter vt Moses al-
loquens statum populi Christiani huius temporis, ad Ec-
clesiasticos & principes clamat. audite cœli, & auribus
percipe terra. ibi omninò loquitur Propheta hominibus
nostri temporis vtriusque status, vt probabitur. Item cap.
13. 13. ait Deus: turbabo cælum, & terra mouebitur de
loco

loco suo, cap. 24. memorans vastitatem status Ecclesiastici, & Politici in Papatu, ait, cataraclas de excelsis apertas esse, & concuti fundamenta terræ: deinde sequitur. Et erit in die illo visitabit Dominus super militiam cœli in excelso, & super reges terræ, qui sunt super terram. quæ item cap. 51. & 65. idem Isaias de cœlo & terra memorat: quæ 2. Pet. 3. quæ in Apoc. cap. 21. ad statum vtrumque probabuntur pertinere. & vbi cap. 51. Isaiæ ait Deus. posui verba mea in ore tuo, & in umbra manus tuæ protexi te, vt plantes cœlos, & fundes terram; omninò significatur vterque status innouandus per prædicatores, & ministros verbi. In Jeremia cap. 22. clamat Deus, cum minatur interitum statui Papistico. terra, terra, terra audi verbum Domini: cap. 22. Ezech. ita alloquitur Deus Ecclesiam Romanam. tu terra es immunda, & non compluta in die furoris. vnde 3. dicitur. Et operiam cum extinxero te, cœlos, & quæ sequuntur. In Osea cap. 2. in Ioële 3. in Aggeo 2 eadem dicuntur. Itaque videmus Mosem & Prophetas dum loquuntur de statu Ecclesiastico, & Politico, significare illum per cœlum, & terram. Quod item initio huius primi capituli velit Moses sub cœlo, & terra signatos esse status futuros in cursu mundi Ecclesiasticos, & Politicos; probatur ex cap. 4. Deut. vers. 32. vbi ait. interroga de diebus antiquis, qui fuerunt ante te, à die, qua creauit Deus hominem super terram, & ab extremo cœli vsq; ad extremum cœli. quod dixit à primo homine, repetit ab extremo cœli, hoc est à principio mundi, & hîc interpretatur tibi Moses, quidnam voluerit esse signatum, vbi dixit, in principio creauit Deus cœlum & terram. Psal. 19. secundum eandem sententiam dicitur, à summo cœlo egressio eius, & vsque ad extremum egressio eius: vt Ecclesia ducta ab Adamo indicetur vsque ad finem mundi. Psal. 33. atq; illud Psal. 78. & cap. 13. Matthæi. eructabo abscondi-

ta à constitutione mundi; mysticam dant nobis in manus interpretationem, quam afferimus huius capituli, ut in cœlo, & terra uterque status hîc, uti diximus, intelligendus sit. Ostenditur idem cap. primo Apoc. ut interpretatio patefaciet: item cap. 31. Ier. vers. 35. 36 37, ut antè dixi. Præterea possumus quoque ex ipsa tractatione, & ratione tractationis Propheticæ cognoscere Mosè signasse in cœlo, & terra Ecclesiasticum, & Politicum statum in mûdo, qui generatum initio ponat, quæ expositurus sit in distinctione septem dierum, hoc est ætatum mundi. atque simul patebit hoc primum caput Geneseos esse fundamentum totius Prophetiæ Mosaicæ. Nam omnes Prophetæ, qui Mosè tanquam patrem Prophetarum imitantur, cum narrant futura, capiunt historiam, aut factum, aut locum, aut personam, aut rem quampiam præsentem, aut præteritam, in quibus consignent quænam futura velint denuntiare. quòd Mosès primum ex mundo creato exposuerit futura. Testantur Prophetæ Mosè initio suorum voluminum futura nuntiasse omnium ætatum. Nam confirmant Deum ab initio nuntiasse futura omnium seculorum. quæ autem ab initio dicta sunt, sunt quæ hîc Mosès narrat. si hoc capite non nuntiantur futura, ergo falsa protulerunt Prophetæ, at veri omnibus in rebus fuerunt Prophetæ; ergo nuntiat hîc Mosès futura. Si dicant aliqui Deum antè hæc, quæ scripta sunt hîc à Mosè, nuntiasse futura; arguuntur ex eo, quòd omnis rerum antiquarum comprobatio à Mosè iubeatur peti. Si velint per res alias, quàm per verbum res futuras esse nuntiatas, nil firmi afferent, quia verbo suo voluit Deus declarata esse hominibus consilia sua, & voluntatem suam. Si instent per hæc, quæ hîc narrat Mosès, iam à mundo condito Deum signasse futura, debent scire id verbo Dei quoque oportuisse declarari, & significari populo Dei. Si post hanc primi libri, & primi capituli

nat.

narrationem, volunt alibi ab initio nuntiata esse futura, non vident id non ab initio fieri, initium enim est creatio mundi, & narratio creatio nis mundi. Si dicantur deinde Adamo nuntiata futura, & Euæ: si Abel, Setho, Enoso, Enoch, Noë, Abrahamo, Isaaco, Iacobo, & huius filijs, id vltro fatemur. Verum hic agitur de solenni in constituta Ecclesia denuntiatione facta omnibus Ecclesijs omnium temporum, & vniuerso orbi per vium solenni vocatione ad tantum opus vocatum. qui Ecclesiam iussu, & virtute Dei constituens, repeteret principia prima consilij Dei, atque progressionem eius operum, & finem complecteretur. quæ quidem ostenduntur facta in libris Moysis testibus populo Israëlitico, & populis inimicis. Ergo & per hanc confirmationem Prophetarum, quam diximus de Prophetia Moysis, necessario concluditur in hoc capite Geneseos denuntiata fuisse futura in statu Ecclesiastico, & Politico. Et si quæ dicimus, minus firma alicui videbuntur: aut si dubitatio & admiratio in animis residebit; cognoscetur tandem in vniuersa harum rerum tractatione, omnia necessario se habere, vti diximus; atq; consilium, sapientiam, & potentiam Dei omnes admirabuntur. Sed vt ad rationem, de qua paulò ante coepimus dicere, reuertamur; quærendum est, quare Moses, siue Deus ipse in fabrica mundi voluerit demonstrare futura. quem modum & Prophetæ imitati sunt: qui rem, hominem, & factum aliquod narrant, in quo denuntient futura. quo quidè modo Moses vtitur hoc capite. Ac primùm quidem res assumunt, & personas, & facta alicuius temporis, in quib^o, quæ sunt temporum futurorū ostendant. Nam Isaias nuntiaturus prædicationem repetitam Euangelij hoc nostro tempore, assumit historiam regni Achaz. narraturus & perturbationem, in qua armis resistitur coniurationi Papisticae, assumit historiam regni Ezechiae, vt quæ vult, significet, & demonstret. Ieremi-

as assumit historiam regni Zedechiæ. Ezechiel præter cætera historiam regni Ioacim. Daniel è statutis, arbore, & bestijs sumit denuntiationem rerum futurarum. Oseas à Synagoga meretrice & adultera. Ioël à vinea vastata à belluis. Amos ab historia ciuitatum, & regum, & à liberatione Aegyptica. Abdias ab Esau, seu ab his, qui imitati sunt Esau. Ionas à Balena, à qua fuit deglutitus. Micheas à statu corrupto Ierosolymis, & Samariæ. Naum à vastatione Ninivæ. Abacuch ab exercitu Chaldæorum. Sophonias à iudicio Domini. Aggeus à domo Domini. Zacharias ab equis varijs, & cornibus. Malachias in Esau nuntiat reedtionem Ecclesiæ Papisticæ, & in Elia iudicium Christi. Ioannes quoque in Apoca. proponit nobis septem candelabra initio, & septem Ecclesias celebres in Asia assumit, vt magnitudinem Christi nostri ostendat in complectendo in suum corpus omnes credentes omnium seculorum, & sustinendo totum complexum mundi; atq; vt narret totum tempus ab Ecclesia Apostolica vsque ad Ecclesiam innouatam. Quia verò imitantur omnes Prophetæ Mosem patrem Prophetarum; assumunt illi quædã priora, aut præsentia, vt similia similibus, & res rebus exponantur, quæ aliqua proportione inter se conueniant: aut ratione etiam occultiori, quæ aperietur tempore Ecclesiæ innouatæ. Moses autem de rebus futuris acturus, quæ cognosci deberent in toto complexu temporum effecta, debuit materiam sumere, in qua esset ostensurus, quæ effici debuerunt. Priora non potuit assumere nisi ipsum mundum, in quo priores res futuræ in mundo prius significarētur, res deinde priores assumit quidē ad alias futuras deinceps ostendendas: sed prima in ipso mundo oportuit ostendi, vt ipse mundus debebit ostendi à futuris Theologis ab ipso Deo solo eductus, quamuis & nos in mundo ipso ostensuri sumus omnia ab initio fuisse impressa futura:

&

& inde ostensuri quoque Deum Creatorem cœli, & terræ. Quid? quod non solum varia suorum temporum sumpserunt Prophetæ, in quibus significarent futura, sed & quæ hoc capite narrat Moses assumunt, partim, vt commoditate sibi oblata vtantur, vt in rebus antè inuentis, & à Deo ipso propositis nuntient futura: partim vt hoc caput primum Mosis nobis exponant. Nam & illi vsurpant cœlum pro Ecclesia, terram pro statu Politico: inanem & vacuam terram pro statu politico vastato: tenebras abyssi pro homine non regenerato per fidem: diem pro Ecclesia piorum: noctem, pro conuentu impiorum: arbores, ac plantas pro fidelibus, & pro magnis viris vtriusque status: bonis, & malis: fructus pro impiorum cultu: & impiorum, solè pro Christo & Ecclesia, in qua sit Christus: lunam pro imperio publico; stellas pro doctoribus, item pro statibus, & commutationibus varijs mundi: pisces pro Ecclesiasticis: Balenam, pro Papa, & Antichristo: aues secundum earum varia genera pro vario hominum genere, vt alia animantia terrestria: & Beemothum pro summo tyranno & pro Papa: creationem hominis pro fidelium regeneratione in Dei filios: septimum diem pro statu tertio futuro mundi. Cùm verò homines nouerint hanc imitationem in Prophetis, videbunt necessariò hoc loco cœlum & terram poni etiam pro Ecclesia, & statu publico: atque Mosem hoc toto capite signasse futura, & omnes ætates mundi. Quòd nomine cœli vocata sit Ecclesia, multa hæctenus verba fecimus: cur autem id factum sit, & quare nouum cœlum appelletur ab Isaia, Petro, & Ioanne, dicetur cap. 21. Apocalypsis. His positis ostendenda est iam comparatio, & proportio quæ sit mundi, & rerum creatarum in mundo cum Ecclesia, & statu Politico omnium seculorum. vt pateat quàm appositè Ecclesia vocata sit cœlum, & status Politicus terra. vt deinde fiat manifestum, qui fecit omnia in

mundo omnibus temporibus, fecisse quoque mundum; & qui fecit mundum, fecisse omnia in mundo: atque vtraque hæc verbo. Itaque dicimus res futuras in mundo fuisse destinatas futuras secundum rationem, & constitutionem creati mundi: atque earum cursum, progressum, & mutationes secundum motus, & conuersiones cœlestes fuisse statutas. Ac de rebus creatis in mundo, nihil iam dicemus: quia dum singulæ partes capitis exponentur, comparabuntur illæ cum his, quæ sunt Ecclesiæ. agemus verò summam, ac breui de toto complexu cœlesti, ac de eius motu, ac conuersionibus, quo enim complexu extat totū cœlum in omnibus suis partibus, eodem existit cursus tēporum perpetuus. vt mouetur totum cœlum sub vtroque polo, & super suum axem absoluit suas conuersiones; ita omnia secula ab vno principio ad vnum finem confluent. Spatium temporum respondet complexui cœlorum. in tempore autem compræhenduntur, quæ fiunt tempore, & extant, vt Ecclesia, & status Politicus. vt enim tempora respondent cœlo, & motui cœlesti; ita respondet Ecclesia ab initio mundi ad finem vsq; cœlo vniuerso. principium Ecclesiæ polo Arctico, finis polo Antarctico. tempus ab Adamo vsq; ad Abrahamum respondit spatio, quod est à nostro polo ad circulum cancri, quò peruenit sol altius: tēpus ab Abrahamo vsque ad tertium statum respondet spatio, quòd est à circulo cancri ad circulum Capricorni: vt ibi sol altius ascendat; hic infrà nos descendat. vt in Abrahamo patre multarum gentium cognoscatur propagatio duodecim tribuum filiorum Israël, hoc est filiorū Dei credentium: in Mose Magistratus regni Dei, in Prophetis iudicium, & vindicta diuina contrà impios: in Christo lux, vita mundi: in Papatu libido, & seruitus cupiditatum. itē contraria vita deserta incolentium: in nouis Prophetis reuocatio hominis ab Antichristo ad Christum: in se-
cun-

cunda prædicatione Euangelij innouatio hominis creati ad imaginem Dei, vt perficiatur homo filius Dei : atque in eo solo regnet Deus, & agat, vt sola luce Solis lucet Luna. & hæc sunt septem candelabra primi capitis Apocalypsis, septem Ecclesiæ septem ætatum, quæ respondeant septem stellis erraticis, & earum circuituibus. Continetur & spatio illo à circulo Cancræ ad circulum Capricorni tria loca, in quibus sol stare, & metiri tempora dicitur : in circulo Cancræ supra, vbi status primus signatur : in Ariete autem & Libra in medio temporum secundus, quando verbum caro factum est, & in cruce pependit Sol, & lux mundi : in circulo Capricorni infra tertius, quando secundo venit Christus. Hic possumus videre Christum complecti statum Patris, suum, & Spiritus Sancti : currere per duodecim tribus Israël complecti fideles septem ætatum, habitare in ipsis : esse vitam omnium credentium in statu Patris, suo, ac Euangelij ; in statu Spiritus Sancti, & Prophetiæ aperta : ferre tamen interea lumen suum ad Adamum vsq; vt sol non destituit omnino sua luce eos, qui vergunt ad polum nostrum. Hoc mysterium exponitur capite primo Matthæi, & tertio Lucæ. narratio enim Matthæi persequitur semen filiorum Dei, qui in Christo facti sunt filij Dei ab Abrahamo vsque ad Christum, qui venit in medio temporum. vbi tempus respondet mediæ parti cœli, vt tempus Abrahami respondet circulo Cancræ. Lucas autem à Christo nato peruenit ad Adamum, & ad Deum tanquam à medio cœli ad polum Arcticum, & ad DEVM : vt à Patre cognoscas venisse Christum, & in Christo omnes fideles, & totum mundum creatum consistere, & permanere. In Christo cessat Matthæus, & Lucas : nec exponunt reliquum medium cœli : quia cognita media parte cœli, cognosci debet & alia medietas ; de qua ratione dictum est in Matthæo capite primo. Tres enim primæ æta-

tes continent alias tres, & mensurant: vt pars cœli parti cœli respondet: ergo 12. signa respondebunt duodecim tribubus filiorum Israël, hoc est, omnibus credentibus ab Abrahamo vsque ad constitutam innouatam Ecclesiam. stellæ quæ sunt reliquæ extrâ duodecim signa, sunt fideles, de quibus ait Ioannes in Apocalypsi, postquam memorauit duodecim tribus Israël. Post hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat. & hæc tamen turba omnis ad duodecim domos conducatur. Locus autem in circulo Capricorni infrâ signat, secundum aduētum Christi in Spiritu: qui coniunctionem attulit Planetarum, hoc est, quicquid lucis fuit in promissionibus, in lege, in Prophetis, in Euangelio, in doctrina Apostolica, in Apocalypsi, in nouis Prophetis; omne contulit Christus in ætatem septimam: vt spatium, quod restat à Capricorno ad Polum, qui est infrâ nos, sit tempus Sabbatismi, quandiu futurus est populus Dei in hoc mundo. vt expleto eo spatium deducendi simus eó, vnde prodiit mundus, ad Patrem scilicet, vt cum eo, & eius Filio Christo Iesu æternam vitam agamus. Vt iam comparisonem habet Ecclesia, & status populi Dei cum toto cœlo; similiter tempus & commutationes status duodecim filiorum Israël, & credentium comparisonem habent cum motu, & conuersione cœli. Vt enim vnus est motus, & vna conuersio totius cœli vno die peracta; ita vnus dies datur Ecclesiæ apud Deum à suo principio vsque ad suum finem: vt in Esdra nobis significatur lib. 4. cap. 6. Ac vt tempus ipsū distinctione septem dierum posita in septem planetis circumuoluitur; eodem modo septenæ commutationes Ecclesiæ, & septem ætates mundi deducunt omnes fideles ad æternitatem. quæ septem commutationes, & septem ætates comprehenduntur tribus stibus, quibus Christus Dei filius firmat Patre super duodecim tribus filiorum Israël; firmat se ipsum, fir-

mat

mat Spiritum Sanctum. Differentiæ pariter sunt inter cœlū mundanum, & cœlum Ecclesiæ conferendæ in illo septem. Planetæ cursus conficiunt, vt primus suum absoluat 36. annis. secundus 12. tertius duobus : Sol anno, quintus & sextus ferè anno : & Luna mense. Itaque superiores maiorem hominum multitudinem compræhendunt, vt longiori spatio excurruunt : inferiores minorem, quò breuior est illis cursus temporum. In Ecclesia autem factum est contrà, vt eius initium patefactum in mundo ductum fuerit ab Abrahamo ducto ab vno Adamo. vbi vidimus, quandò fuit maxima impiorum multitudo, & apertè pugnantium contrà Deum ; manifestam fuisse Ecclesiam in vno homine, atque declaratam in vno semine. post cœpisse illos tantū diminui, quantum Ecclesia creuit : vt peruenturi simus tandem ætate septima ad Lunam, quæ è se nullum splendore habet : quando nullus splendor futurus sit regni impiorum, & tyrannorum : quandò nullius mundani planetæ lumen, nullum afferet mundanum regnum, & statum hominibus. Sol, hoc est Christus, qui illuxit ætate quarta totus incumbet in Ecclesiam Catholicam : atque solius Dei, ac Christi Iesu erit regnum. Id verò ita fiet, quòd mundanum cœlū, mundanum seculum, mundana terra, mandana administratio, & vita suū cursum confecerit : ingrediatur nouum cœlum, & noua terra, & Dei regnum. Nam dum primus planeta mundanus suam ætatem excurrerat, in eo moriebantur circuncisi pij, & viuebāt primo planetæ super cœlesti, siue potius dicamus superiori virtuti diuinæ. viuebant lumine illo, de quo dictum est. Sit lux, & extitit lux. Itaq; dum excurrerunt ætates septem mundanorum planetarū, in his mundo moriebantur pij, & hauriebant lumina septē dierum, siue septem spirituum, qui astant ante thronum Patris, vt ait Ioannes initio Apoc. & cap. 4. Cursus autem temporum, quibus septem illa superiora mundum æter-

num illustrantia, & apud quæ est æterna vita, illuxerunt Ecclesiæ, in historia sacra poterunt cognosci. Quæ autem ratio sit illorum temporum in superno cœlo, exponent Theologi in innouata Ecclesia. nûc tantum cognoscimus nos peruentos iam esse ad finem mundani status, & vitæ: ingredi autem in statum nouum, vitam nouam, & regnum nouum. in quo non vltra dominabitur impius: solius Dei erit regnum; & vita à septem spiritibus Dei in Ecclesiam manans. Hinc dixit Ioannes se vidisse cœlum nouum, & terram nouam: & primum cœlum, ac primam terrâ abiis, se: sanctam ciuitatem descendisse è cœlo: tabernaculum Dei cum hominibus: Solem. & Lunam esse ipsum Deum ciuitati sanctæ, quæ non egeat alio Sole, alia Luna. Vnde quisque aduertere poterit, comparisonem hanc necessariò fuisse attingendam, non solum quia Moses in fabrica mundi consignet Ecclesiam, & eius statum futurum in mûdo; sed & vt hæc quoque, quæ dicuntur in Apocalypsi, & alibi cognoscantur, vnde sint ducta, de qua quidem comparatione cœli Ecclesiæ ad cœlum mundi & cœlû supernum hæc pauca à me dicta sint. qui erunt in magna luce tertij status plura afferent, & diligentius conferent, quæ sût singulorum planetarum cum singulis ætatibus mundi: & quare tertius, & quintus planeta excurrant vltra viam Solis, & vltra fines Zodiaci: quòd fuisset futurum, vt antè Christum Iudæi à Deo Patre, & ab eius Lege; Papa post, & Papistæ à Christo Iesu, atque ab eius Euangelio deficeret: ostendent quæ ratio sit vitæ mundanæ, & supercœlestis: quomodo illa in impios, hæc in pios diffusa, & ab his apprehensa conuersiones miras faciat: vt credentes super cœlestium vitam, & naturam consequantur, inhærentes autem mundani impiorum mundo, fiant penitus mūdani ad ima mundi deturbati. Hic se aperit magnum mysteriū Filij Dei, qui factus homo homines in se æterno æternos secum
 fece:

fecerit. exempla extant in mundano mundo, quibus aperiat^r mysterium. Ac si quæ nunc perstrinximus, admirabilia aliquibus videbuntur: & si efflagitabitur statim probatio cuiusque rei propositæ, rogamus, vt quisq; patienter expectet, & suo loco quanque rem sibi probari velit. Nam cum cognita fuerit interpretatio petita ex Euangelio, & Prophetia totius primi capitis Geneseos, videbitur ibi descripta hæc, quam narramus, cõparatio cœli, & Ecclesiæ: atq; iam debuit esse perspecta ex his, quæ memorauimus de primo capite Matthæi, & de secũdo Lucæ. in capite quoque primo Apocalypsis: in ornatu summi Sacerdotis Aaronis, & alibi recognoscetur eadem comparatio, vniuersi inquam, & Ecclesiæ; siue vniuersi mundi, & eorũ quæ effecta sunt in mundo. Et dum dicitur fieri cõparatio cœli & Ecclesiæ, intelligitur quoque Christus, qui est caput Ecclesiæ: qui vt fert in se omnes omnium ætatum credentes, vt vidimus cap. primo, Matthæi, & 3. Lucæ; sic portet tanquã vestimentum totum cœlorum complexũ cum omnibus, quæ in ipsis sunt, vt primum caput Apocalypsis docet. vnde fit vt nominibus multarum rerum creatarum signetur Christus in Lege. superat autem comparationem Christus, quæ est cum cœlo mundano, quodd sit ipse Dei Filius, vita æterna, & lux omnium: atque non solũ fit vita omnium rerum creatarum; sed & supercœlestium, & tandem vnum ipse sit cum Patre. Quare & in vniuerso, & in rebus effectis in vniuerso, extat quoq; Pater cum suo Spiritu Sancto, pertingens per omnia creata, & inuenitur in omnibus rebus effectis. Vnde exsurgit alia comparatio Patris, & verbi æterni, & Spiritus Sancti, respondens comparationi vniuersi, & Ecclesiæ, & rebus in omnibus seculis effectis. Sed de hac re dicemus, quando cõtẽplabimur verba illa. In principio creauit Elohim: nunc concludamus, quæ hætenus dicta sunt, & institutam inter-

pretatioem prosequemur. Cùm iam ea comparatio, quam dixi, inueniatur in Prophetis, vt capite primo Ezechielis, quarto Zachariæ, & alibi in diuinis scripturis: atq; nominibus cœli & terræ, & omnium, quæ creata sunt in mundo exponantur illa, quæ sunt Ecclesiæ, & ipsa Ecclesia, vt in toto hoc capite videbimus: cùm multa sint in toto capite, quæ secundum rationem fabricæ mundi non possis interpretari; sed requirant expositionem ex his, quæ ad Ecclesiam, & ad tempora Ecclesiarum trium statuum, & septem ætatum pertineant; necessariò cogemur hîc nomine cœli, & terræ non solum fabricam mundi cognoscere: sed simul omninò fabricam Ecclesiæ omnium fidelium omnium seculorum. vbi nocesse est, & interpretationem hîc afferri ex Euangelio, & Prophetia. quod quidem in omnibus libris Mosis oportet facere, nam quemadmodum in Euangelio quæ sunt Legis, & Prophetiæ sunt cognoscenda; similiter in Prophetia, quæ sunt Legis, & Euangelij cognoscemus vt antè dictum est, & deinceps dicitur. Postquam verò ostendimus nomine cœli & terræ signari generatim Ecclesiam omnium temporum, & statum Politicum, non solum cœlum & terram, & quæ in ipsis extant, iam ex hac nominum interpretatione sententiam colligemus. Quando primùm creauit Deus cœlum & terram cum omnibus, quæ in ipsis continentur, creauit quoque & statuit omnia, quæ futura erant in toto cursu temporum, ac in omni conuersione corporum cœlestium. quæ quidem quoniam efficienda erant in statu Ecclesiastico & politico; idcirco cōpræhensa illa sunt nomine cœli & terræ, vt per cœlum, & terram vterque quoq; status intelligatur. Ita verò effecta, statutaque sunt illa futura, vt omninò ac necessariò essent futura. Et quemadmodum cœlum & terra dum sunt facta, non possunt non esse facta; sic postquam illa dixit Deus, perinde fuerunt, ac si iam essent facta, vt ab initio sunt de-

nuntiata: vt à nulla vi consilium Dei, à nullo euentu possit impediri; aut quicquam aliter fieri, quàm à Deo sit dictū, & prædestinatum. Vnde Prophetæ cum volunt ostendere Deum administratorem, & effectorem rerum omnium; reuocant nos ad hunc locum Mosis: vbi Deus dicitur creasse cœlum & terram. Et quia in creatione cœli, & terræ significantur omnia, quæ omnibus temporibus fiunt in Ecclesia, & in statu Politico; pro creare dicunt facere: vt intelligamus Deum omnia facere in statu Ecclesiastico, & Politico. vnde & septuaginta interpretes verterunt ita: in principio fecit DEVS cœlum & terram. & contra Isaias capite 48: 7. de rebus futuris efficiendis, pro facere posuit creare: vbi ait. Nunc creata sunt, & non tunc, vt reuocet nos ad hunc locum Mosis: vbi dicitur Deus in principio creasse cœlum & terram: atque cognoscamus, vbi dicitur Deus creasse cœlum & terram; creata & effecta omnia in Ecclesia, & in statu Politico in toto cursu mundani tēporis. præterea est locus insignis in Ieremia cap. 10. & 50, vbi Deus ostenditur author omniū in terris, dum dicitur fecisse cœlum & terram, vt patebit ex interpretatione. aperit id & ipse Christus, qui ait, cœlum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt. Quamobrem in cœlo & terra intelligimus simul cœlum hoc aspectabile, & terram quā calcamus, & statum Ecclesiasticum, & Politicum generatim in cursu vniuerso temporum mundi. vnde quia cœlū ponitur pro Ecclesia, etiā quæ sunt cœli ponuntur pro his quæ sunt Ecclesiæ: vt stellæ ponuntur pro fidelibus. Hinc qui docent plurimos veritatem, appellantur stellæ, & hinc dictum est, Papistas adorare reginam cœli, & omnem militiam eius. Hæc loca & multa alia non intelliges in diuinis voluminibus, ni noueris, qua ratione Ecclesia vocetur cœlum. Ex hac interpretatione iterum colligamus quæcunque in mundo sunt facta, à Deo fuisse facta, à Deo fuisse

isse prædestinata : deinde qui fecerit, & administrauerit omnia in mundo, eundem creasse quoq; mundum : quòd ita creatus sit mundus, vt ex sua cõstitutione, & motu fieri iussu Dei deberent, quæ euenerunt omnibus seculis in mûdo, & quæ verbo Dei iussa sunt fieri in mundo secundû cõstitutionem & motum ipsius mûdi ; illa mûdû eodem Dei iussu declararent factû. Ergo duo sunt, quæ de Deo testimonium nobis reddunt : mundus à Deo creatus, & operationes in mûdo peractæ. Sed hæc duo nõ possunt sine verbo Dei plenum, & perfectum testimonium afferre : ergo & verbû accedere debet, quo prædestinata omnia intelligantur, & pronuntiata, & narrata, quæ de mundo, & de mundi operationibus diximus. Ob quam rem primo, 2. 3. 4. 5. & 6. die dicitur Deus iussisse, vt lux existeret, firmamentum, plantæ, Sol, & Luna, & astra: volatilia, & aquatilia, animalia terrestria, atq; homo. Et idcirco loqueretur Deus Ecclesiæ suæ per Abrahamum, Mosem, Prophetas, Christum ipsû: Apostolos, Prophetas novos, siue postremos Prophetas, & Eliam, per prædicatores tandem Euangelicos in secundo aduentu Domini. Ac vt omnibus septem ætatibus mûdi locutus est Deus in mundo, & Ecclesiæ suæ ; similiter intelligitur locutus, & iussisse fieri totum, qui omnes partes præcepit. Ergo dum dicitur creatum cœlum, & terra; necessariò intelliguntur illa verbo Dei creata & effecta. totum enim pronuntiatur dùm dicitur. Deus creauit cœlû & terram: cuius totius partes comprahendûtur deinceps septè ætatibus. Hæ dicuntur iussu, ac Dei verbo creata, ergo & totum, quod est idem cum omnibus illis partibus. ob quã rem oportet hinc colligere, mysticam sententiam trium verborum, quæ restant in primo versu primi capituli. Scilicet. *In principio creauit Elohim:* postquam de cœlo & terra dictum est, vt quæ dicta hæctenus sunt, magis pateant, & Deus nobis magis patefiat.

Secuti autem sumus in interpretando ordinem à posterioribus ad priora; vt prius quid per cœlum, & terram nobis intelligendum esset, exponeremus, deinde verba illa. In principio creauit Elohim, contemplaremur. vt inferueremus his, qui sibi per ea, quæ sensibus percipiuntur, omnia demonstrari volunt. Et Deus ipse ita voluit cognosci, qui mundum hunc aspectabilem creauit, vt in eo se contēplaremur: effecit omnia in mundo, vt his perfectis nunc certam de ipso scientiam haberemus: misit Filium suum ad nos è mortuis excitatum, vt in ipso suam sapientiam, & charitatem ergà nos in medio temporum, & suorum operum in mundo cognosceremus. Vnde dicebat Mosi: faciē meam non videbis, videbis autem posteriora mea. Cognitis ergo posterioribus per Ecclesiam in tribus statibus, & septem ætatibus mundi perfectam, videamus iam priora. principium, in quo creauit Elohim illam, & reliqua omnia. Quoniam in mystica interpretatione quando cœlum signabit Ecclesiam omnium fidelium omnium temporum, & terra statum Politicum; principium signabit quoque aliud, quàm initium temporis, principium scilicet omnium creaturarum, siue primogenitum omnis creaturæ, per quem creata sunt omnia, & quæ sunt in cœlis, & quæ in terris, vt ait Paulus, verbum æternum Patris, quod sapientia appellatur à Salomone in primis nouem capitibus Prouerbiorum: & in octauo declaratur hinc principium signare sapientiam, illum videlicet, quem cap. 30. Filium Dei appellat, ergo hinc principium signabit verbum Dei, quo facta sunt omnia. Et quoniam Patri tribuitur creatio, in verbo Hebræo Bara signabitur nobis Pater, qui omnia creauit, & fecit in principio, hoc est in Filio. quiaq; Spiritus Sanctus agit omnia missus à Patre, & Filio, & per quem Pater, & Filius operatur omnia, in Elohim signabitur nobis Spiritus Sanctus, per quem locutus est mundo in septem ætatibus mundi Deus,

atque administravit omnia: & commutationes attulit in statu populi sui in toto temporum spatio Ecclesie per verbum suum coacta. Iam vero ut omnia, quae in mundo creata à Deo sunt, testantur de Patre creatore omnium: ut omnia, quae effecta sunt toto cursu temporum testantur de Spiritu Sancto: ut omnis diuina scriptura testatur de Filio Dei; sic Dei Filius se ostendit principium omnium, siue in quo omnia: Pater Creator omnium: Spiritus Sanctus effector omnium. & quisque testatur de se ipso, & de duobus: in vno quoque est testimonium vnus, & trium vnus Dei Patris & Filij, & Spiritus Sancti. Atque ut diuina virtus et opus vnus Dei Patris, & Filij, & Spiritus Sancti in se, & in operibus, & in creaturis & in verbo cognoscatur; contēplabimur hæc tria verba. Berescith, Bara, Elohi: contēplabimur in his & literas, non quòd magnam aliquam scientiam in his habeam; sed quia tanquam exemplum se mihi offerunt rerum, quas verbis assequi nequeo: ut quòd oratione videor explicare non posse, figuris quibusdam delineam. Si scientia erit in verbis, & literis, docebunt periti, quibus Deus illam dederit. Nunc quia video paulatim, & statuta mensura Deum aperuisse sua mysteria publicè in Ecclesia, quāuis Prophetis separatim certis temporibus illa copiosè comunicauerit; quaedam initia, & quasie lementa videntur contēplanda mysticè. Capite secundo Geneseos fons dicitur nobis datus, ex quo deinde deducantur flumina, quae totam circudent terram. in fonte illo mihi videtur signari hic liber Geneseos, in fluminibus quatuor libri Legis, quatuor Euangelistarum, & quatuor maiorum Prophetarum. Quia vero nunc versamur in fonte, oportet tunc, qui totam historiam persequor, si non declarare, ac saltem digito indicare etiam scaturigines, & guttas cadentes, ex quibus extat fons, quem describo. Scaturigines autem voco nomina diuina, guttas literas, quibus nominibus signifi-

ficantur diuina, è quibus fons diuinorum thesaurorum, deinde flumina manant, quæ vniuersam terram fidelium cõplent. in primis igitur tribus verbis ostenditur effundi in nos diuina virtus, & Dei opera manare in creatione vniuersorum, & in perficienda salute nostra. Nam in nomine Berescith signatur Filius, in Bara Pater, in Elohim Spiritus Sanctus, vt dixi. & hinc discam in Filio Patrem per Spiritum Sanctum creasse omnia, & effecisse omnia. quod quidem in literis magis patefiet. Sunt enim tres literæ in Bara, quæ eadẽ sunt in Berescith est Beth, qua signatur Filius, & domus. vndè sint ductæ omnes formæ omnium, quæ sunt in mundo, & ipse homo. Nam in Christo inhabitat omnes thesauri diuinitatis, estque ipse caput omnium, primogenitus omnis creaturæ, primus ac nouissimus, & reliqua, quæ memoratur à Paulo. Resch signat Spiritum Sanctum; mediũ à Patre, & Filio ducentem omnia in actum, & opus. in Aleph signatur Pater, fons, & thesaurus, vnde procreantur omnia. Iam verò quia litera Beth est Filij, Resch Spiritus Sancti, Aleph Patris; video in nomine Filij esse literas Filij, Spiritus Sancti, ac Patris: vt cognoscam in Filio esse Patrem, & Spiritum Sanctum: vt in Bara nomine Patris debeo nouisse in Patre esse Filium, & Spiritum Sanctum. Et quia Resch medium locum obtinet inter Beth, & Aleph, video Spiritum Sanctum manare à Patre, & Filio. Iam verò quia distinguitur nomen Berescith: vt Beth intelligatur separatim, quæ litera tribuitur Filio, significatur in Filio, & per Filium esse omnia. Est enim ipse, in quo & per quem omnia, principium omniũ. hinc dictum illud est, principium, & qui loquor vobis. & per Berescith signatur quoque Filius caput Ecclesiæ, primogenitus omnis creaturæ, atque in omnibus primas tenens. Sin aliter distinguas ita Bar Escith cognosces Filium Dei esse, in quo sunt omnes fideles; semen quo nascimur

cimus Dei filij. Sin ita adhuc distinguas Bare Scith, co-
 gnosces Filium D E I, creatorem & effectorem, qui sit fi-
 nis, ac perfectio omnium, primus & nouissimus, princi-
 pium & finis, ω , & ω . qui dum gestat Schin, hoc est tri-
 plicem mundum, Angelicum, coelestem, & terrenum:
 atque adhuc in se assumit electos trium statuum; affert i-
 psum Iod ipsi Tau. hoc est propterea quod assumpsit car-
 nem humanam, regenerauit per suum, ac Patris Spiritum
 credentes, ac filios Dei fecit: in quibus habitet D E V S,
 dum Spiritum Christi habent. Ergo cognoscam caput
 Ecclesiae Christum primogenitum omnis creaturae,
 qui primas teneat in omnibus. Est ergo Beth Filius, in quo
 sunt Resch, & Aleph, Spiritus, Sanctus, & Pater, gestat
 Schin hoc est, quod dicimus, ipse est in quo est Pater, &
 Spiritus Sanctus, gestat & triplicem mundum factus homo,
 atq; triplicem statum mundi. vnde medius est, qui conciliat
 Patrem nobis, atq; eius Spiritum nobis communicat: iungitq;
 nos sibi: facit, vt ingrediamur in suum corpus, participes fa-
 cti sui Spiritus: cõplectitur nos in suum Berescith. Hoc est,
 facit vt vnum cum ipso simus, simus & vnum cum Patre, vt
 ipse ait in Ioanne. In Bara nulla distinctio videtur, nisi i-
 psa simplicissima Diuinitas Patris, in quo sit Filius, & Spiritus
 Sanctus. quae literae Aleph, Resch, Beth, iunctae ita,
 Bara significant creare, & facere, quod Deus creauerit
 omnia, & fecerit omnia. vnde omnia creata, & facta ferunt
 in se signum. primum, quod à Deo sint creata; deinde qua-
 tenus Bara continet literas Patris, & Filij, & Spiritus San-
 cti: tribuiturque creatio Patri, forma rei creatae, Filio,
 Spiritui Sancto vis omnis, ac operatio rei creatae, & for-
 matae; etiam res omnes sigillum quoddam sunt, quo cognos-
 citur Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus. in lingua Hebraea
 maior pars nominum constat tribus literis, vt videantur om-
 nes creaturae ferre in se characterem sui creatoris, &

magis homo. Nam vnus, & idem homo, si erit homo, erit mente præditus, & intelliget: & si erit homo mente præditus intelligens, etiam in eo mentis, & cognitionis conspicietur opus, & virtus. Et si de mente tantum loquar, non dices esse mentem, ni adsit ratio, & ratiocinatio: nec erit ratio sine mente ac ratiocinatione; nec ratiocinabitur, nisi ratio mentis. Si plantam intuitus fueris, non vnum in ea cognosces, quin tria aduertas. ipsam plantam, & ipsius plantæ formam, & vim quandam ei singularem datam operandi. vndè qui describunt plantas, primum ponunt genus plantæ, deinde describunt formam, tum vires recensent. Hæc eadem in omnibus rebus creatis cognosces. Hæc tria principia habes, quæ simul, & semper adsint & in vniuerso & singulis partibus vniuersi: vt vniuersa & singula referendo suum creatorem, eum laudent, gratias agant. Quarè cum contemplor Bara, moneor, vt cognoscam vnum DEVM Patrem Creatorem, & effectorem omnium, sine quo non sit Filius, & Spiritus Sanctus. Etenim vt Deus creauit omnia, in omnibus video imaginem quandam vnus Dei. dùm quamque rem creatam contemplor separatim, aduerto rationes, quibus sua principia intuear, & in illa distinguam opus Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, vt cognoscere debeam vnũ Deum in omnibus rebus, & Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum. intelligo deinde locum illum Isaia. omnẽ, qui inuocat nomen meum, in laudem meam creauit eum, formaui eum, perfeci eum. item illud Pauli: distinctiones facultatum sunt, idem autem Spiritus: distinctiones munerum sunt, idem autem Dominus: distinctiones operationum sunt, idẽ autem Deus. & quamuis variè hæc distinguantur, & tribuantur ab Isaia, & à Paulo propter mutuũ opus Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, nõ tamẽ minus rectè ab utroque distinguui videri debet; sed quæ ratio sit vtriusque, & finis,

est aduertendum. Hæc autè distinctio in vniuerso opere Dei in sua Ecclesia magis se aperit, dum status circumcisionis exhibet populum à Deo Patre creatum: status Euangelij in Filio formatum, & quæque in eo appellatum Dei filiū: status Spiritus Sancti in aperta Prophetia in opus filiorum Dei perducit quæque creatum; & formatum Dei filium. Illud hîc præterea quærendum est, quare primo loco ponatur nomen tributum Filio. quod quidem fieri videtur, quia Pater non cognoscitur, siue ad Patrem non habetur accessus, nisi per Filium. Deinde hic agitur de creatione vniuersorum, per quam cognoscimus Deum: omniaque creata sunt in Filio: & ab ipso, qui est imago Patris, ductæ omnes formæ, quæ conspiciuntur, & quæ oculorum aciem fugiunt: atque in Filio Dei etiam, vt homo, sunt thesauri omnis diuinitatis. Itaque per ipsum Berescith oportet nos aspirare ad ipsum Bara. oportuit ergò ab illo initium ducere, vt perducamur ad Patrem, & in eius æternitatem.

Sequitur post Berescith, & Bara, Elohim. quod est Dei nomen, & nomen plurium. est nomè Dei signans Spiritum Sanctum, qui Patris sit, & Filij, & agat omnia. Dicitur vero nomine plurium, vt existimo, propter septem opera septem ætatum, quæ à Patre, & à Filio per Spiritum Sanctum efficiuntur: seu quia mittitur à Patre, & Filio, & perficit opera septem ætatum: seu quia vt de vno Patre dicitur qui est, & qui erat, & qui venturus est, propter opera trium statuum, & propter alia, quæ dicemus paulò post; ita de Spiritu Sancto dicitur, & à septem spiritibus, qui astant ante thronum Dei, propter opera septem ætatum, & propter alia. In qua re nunc præter cætera debemus cognoscere, omnes fideles esse regeneratos per Spiritum Sanctum Patris, & Filij in omnibus ætatibus mundi: atq; esse idem oleum in omibus statibus, idem opus Sacramentorum in omnibus ætatibus mundi, secundum illud Pauli.

patres

patres nostri eandem escam spiritualem ederunt, & eundem potum spiritualem biberunt. quia de omnibus ætatibus mundi dicitur. & dixit Elohim .est enim idem apud Deum dicere, ac facere, vt videbimus. estque ipse cibus quotidianus, & panis cœlestis, & spiritus bonus, quem dat Pater petentibus se. Ac ex his, quæ effecit, & locutus est Deus, ac Dei Filius per Spiritum Sanctum in tribus statibus, ac septem ætatibus mundi, cum cognoscimus sapientiam, potentiam, & misericordiam Dei in administratione mundi, & in liberatione nostra à morte; tum creationem, & administrationem rerum cœlestium, & eorum, quæ supra cœlos extant; Deumque ipsum contemplantur illi, quibus auditus datur ad ipsum etiam tribunal Dei; vt sancti viri significarunt. de quibus rebus non est nostrum differere. quare referam me ad meum munus, ad historiam exponendam sacram septem ætatum, ac trium statuum. cuius tamen historiae initium prius in literis, & in tribus primis verbis contemplantur. Dum enim in Berescith cognoscimus Filium Dei; cui datus est secundus status, cognoscimus & in Bara Patrem, cui assignatus fuit primus status, vt Spiritui Sancto tertius. Et quia Pater non est sine Filio, & Spiritu Sancto: atque Filius non est sine Patre, & Spiritu Sancto; in statu Patris inuenitur opus Filij, ac Spiritus Sancti: & in statu Filij opus quoque Patris, & Spiritus Sancti. Quiaque Pater & Filius agunt omnia per Spiritum Sanctum; cum in statu ipsius Patris, & Filij, tum in toto cursu omnium ætatum extabit opus Spiritus Sancti. Cum enim in statu tertius fuerit Spiritus Sancti, reuocabitur eius opus omnium ætatum in vnã septimam. Et hæc quidem omnia videtur mihi signata in literis, & nominibus tribus primis. Si enim literæ Aleph, Resch, Beth, bis repetitæ in Berescith, Bara, vt tres stent ad dextram, aliæ tres veniant ad sinistram, ac ita disponantur. Aleph, Resch, Beth,

Beth, Resch, Aleph; extabunt sex ætates, ad quas accedet Elohim, qui constituat septimã, qui tres illi status, & septẽ ætates conducentur tandem in vnum statũ tertium, atq; in vnam ætatẽ septimã. Cũ enim primæ tres literæ Aleph, Resch, Beth, signent secundum statũ, eadẽ repetitæ primũ, ductæ deinde in hũc ordinẽ. Aleph, Resch, Beth, Beth, Resch, Aleph, signatur in ipsis sex ætates. Hic Aleph repetitũ signabit primã ætatẽ promissionis, & sextã nũtiantẽ tẽpus adesse vt promissa præstentur, atq; Dei Regnum detur fidelibus. duplex Resch ætatẽ datã Legis secundam, & quintam sub Papatu. duplex Beth ætatẽ tertiã Prophetarũ, & quartam Euangelij nuntiati. in septimam ætatẽ ingreditur Eloha. cuius nominis litera Aleph proponit nobis Patrem, Lamed Dei Regnũ, seu Deum regnantẽ in nobis. Vau Filium, He Spiritum Sanctũ. In Elohim nomine plurimerit Regnum Dei in hominibus cum Angelis, vt restitutus sit Paradisus per Elohim. Atq; tunc cognoscetur duplex aduentus Christi in duplici Beth. quorum primus descriptus fuit ab Euangelistis, secũdus à Prophetis, ducta Prophetia, & Euangelio in vnam sententiam, in quam ingreditur & Lex, & omnis interpretatio. item omnis promissio præstabitur, & promissorum denuntiatio ducetur in effectiõnem, & euentum. est enim eadem litera Beth. quia dũ prædicat Christus, simul prædicat primam prædicationem, quam prædicarũt Apostoli, & secundam, quæ nũc in prædicatoribus fuit repetita. in qua re cognoscimus eundem Dei Filium, qui prædicauit tum in carne, & prædicat nunc in Spiritu: & tum cũ primũ prædicauit, assumpsit & prædicationem huius temporis cum Prophetia; vt Prophetia nunc assumit Euangelium. vt interpretatio in Euangelistas docebit: cognoscetur idem Spiritus in duplici Resch. qui duxit in desertum populum Dei per Mosẽ, & scripsit Legem, atque deduxit populum Chri-

Christianum in nouum statum sub Christo. cognoscetur idem Pater in duplici Aleph, qui promisit Abrahamæ, & eius semini; & promissa adesse nuntiauit in nouis Prophetis. Si ex his tribus literis repetitis constituas primâ in duplici Beth rotam, ita. Beth, Beth videbis hanc rotam cõplecti in se Prophetiam & Euangelium. quòd hæc inuoluuntur inter se in vnam sphæram. cuius concursiois cognitio erit necessaria in amouendis multis dubitationibus in Euāgelio, & in Prophetia. ita deinde in duplici Resch, Resch, Resch, Lex, & constitutio status populi Dei tunc, & apud nos post Christum, in vnam sphæram voluuntur. ita item duplex Aleph, Aleph, conuoluunt promissionem, & denuntiationem temporis præstâdæ promissionis. Si constituas tres orbis ita Aleph, Resch, Beth, Beth, Resch, Aleph, sicut tres rotæ. quarum prima intus inuoluit Prophetiâ, & Euāgelium, secunda in loco medio Legem, & cõstitutum statum liberum profitentium nomen Christianum. tertia extrema promissionem, & denuntiationem Regni Dei futuri. & tunc videbis interiorẽ rotam contrahere in se, quæ sunt secundæ, & tertiæ: secundam cõmisceri cum prima & tertiâ: tertiam cum ambabus internis. quibus in rotis videbis in Filio Spiritum Sanctum, & Patrem: in Euāgelio Prophetiâ & Legem: & item similiter in alijs. Si dilatabis has rotas: vt prima Filij complectatur secundâ, & tertiâ; primû, & secundû, & tertium statum; tunc secunda complectetur statum Legis naturæ, & statum reuocati hominis in Paradisum. Si adhuc dilatabis, vt eadem intima cõprehendat creationem omnium rerum, & statum Angelicum: secunda ignem inaccessibilem, vbi habitat Deus: in tertia cognosce ipsum Deum Inmensum, & infinitum. & hinc necesse est, vt quiescas. hæc tertia descripta est à Ioanne verbis illis. Gratia & pax ab eo, qui est, & qui erat, & qui venturus est: media illis, & à septem spiritibus, qui astant ante Thronum DEI: intima illis:

&

& à Christo Iesu, qui est testis fidelis & verax. Sed dum dicitur, Ego sum α & ω , principium & finis, & qui est, & qui erat & qui venturus est Omnipotens; Filius, qui conficiebat hinc intimam spheram, dilatat se in secundam & tertiam, ut visionis primæ Ioannis interpretatio declarat. vnde alius modus harum rotarum constituitur mutatis literis: ut vbi supra Aleph obtinebat extremum locum: Beth, intimum: Beth ponatur loco Aleph extrâ, & Aleph loco Beth intus, ita Beth, Resch, Aleph, Aleph, Resch, Beth, tunc Filius cõsiderabitur ut in prima visione Apocalypsis describitur. qui pedibus cognoscitur calcare inferna, & aeterno iudicio premere: complecti suo podere omnem cœlorum ambitum, ambulareque inter astra, & planetas: trahere in se credentes omnium seculorum: Angelicum statum suo capite complecti: suis candidis crinibus effundere intelligatur omnes diuinas virtutes ad omnia inferiora: suis oculis proferat diuinam suam, Patris, ac Spiritus Sancti essentiam. Hinc dum Filius in creatione vniuersorum se aperit, in effectione omnium, in verbo Sancto; Patrem in se operari, agere, & loqui ostendit. vnde ait ipse. si me nouissetis, & Patrem meum nouissetis: qui videt me, videt & Patrem meum: loquor, quæ à Patre audiui. Ac dum in his rotis Resch tenet medium locum, signatur Spiritus Sanctus missus à Filio quoque, & in omnem ordinem Angelicum manare, & in septem ætatibus mundi perfecisse Ecclesiam Dei. in quibus omnibus rebus datur & Spiritui Sancto amplissima spherâ, in qua aperit ipse nobis Patrẽ, & Filium. quæ spherâ signata est in septem lampadibus, quæ lucent primùm in cœlis, deinde, ut dixi, in Ecclesiis omnium ætatum. Atque hinc alia ratione collocabis literas, ut Resch obtineat extremâ spheram, Beth mediam, Aleph intimam: & cognosces Deum Spiritum separatim primùm ab omnibus creaturis in sua natura, & maiestate,

æter-

æternum Deum solum : deinde deducentem suam virtutē in omnes ordines Angelicos, in mundum vniuersum, in omnes creaturas : atq; in primis in suam Ecclesiam : omnia efficientem omnibus seculis, vbique præsentem in rebus omnibus, ac præpotentem. In creatione mundi, & in omnibus operibus seculorum mundi ostenditur hîc à Mose Deus, qui est Spiritus, creasse omnia, effecisse omnia, sustinere omnia, & pertingere omnia : simulque in creatione se Patrem declarat, exhibetque nobis : & in formatione omnium, Dei; filiorum, Filium, qui tandem Deus dum perficit omnia, conducit Ecclesiam, quæ est corpus Christi ab æterna prædestinatione in suam Dei vnius æternitatem, ac beatam vitam.

Magna est vtilitas in his rotis, minimè contemnenda, in quibus multa aperiuntur nobis de vno Deo, de Patre, Filio, & Spiritu Sancto : de diuina natura; de potentia, sapientia, misericordia, & operatione eius in salute homini præstanda. Primùm cognoscimus Deum Spiritum segregatum, ac liberum ab omni natura sensibili, mutationi ac alterationi obnoxia; æternum, quòd nullum sit eius principium, & finis: omnipotentem, quòd nulla sit vis & magnitudo, quam non superet: vnum, quod nullus fingi locus possit, quem non compleat: Patrem in creatione omnium, Filium in formatione omnium, Spiritum Sanctum in virtute, & perfectione omnium, in qua re & fideles gloriantur, quod inuocantes vnum Deum creati, sunt ab illo populus Dei, formati ab illo filij Dei, effecti ab illo hæredes Dei, in quibus elucebit misericordia Dei super omnia opera eius. Et quoniam quis posset has rationes rotarum contemnere, ostendemus vndè eductæ sint, vt & rotæ Ezechielis cognoscantur : atque vtilitas, & commoditas quædam magna intuenti diuina opera, percipiatur. Quòd Deus creauerit hîc mundū totum, quem intuemur, vt ipse

p cognos-

cognosceretur: quòd in hanc formam sphericam, nò multa verba faciam, quia ab alijs hæc sunt disputata, & Apostolus affirmat, sempiternam Dei virtutem, ac Diuinitatem ex his, quæ creata sunt, patere. Itaque his positis addimus & omnem administrationem mundi, & Ecclesiæ: & rationem Diuini Verbi ad rationem huius cœlestis globi, quem intuemur, fuisse accommodatam, vt prætermittam altiora eo qui contempletur historiam eorum, quæ egit, & locutus est Deus in hoc mundo. Iam verò quoniam in Verbo suo, & in operibus suis seipsum ostendit Deus, vt vnus Deus; vt Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus cognoscatur; in operibus Dei, & in eius Verbo intuebimur nos Deum, Patrem & Filium & Spiritum Sanctum, conuertentes oculos ad formam mundi, & ad rationem eius expositam in his, quæ dixit, & effecit Deus: vt ipse solus idem sit, fuerit, & futurus sit: idem principium, & finis: primus: & nouissimus, ac potētissimus. Quòd autem omnis administratio mundi, & Ecclesiæ, omniaq; diuina opera, & actiones sint accommodatæ ad mundum, quem intuemur; docet Moses in hoc toto capite, qui ætates mundi ostendit in creatione vniuersi, & eas, ac opera, quæ in eis agenda erant, distinguit secundum ordinem cœlestium sphaerarum. Non est vt multa verba faciam de Planetis, quibus distinguuntur dies, & operationes mundanæ: vt ex reuolutione septem dierum tempus, & ætates progrediantur & compleantur. de his multi scripserunt, & patent. At videmus nos secundum illum septemum nemerum destinatos à Deo fuisse dies, & ætates: atque ita, & omnia eius opera, quæ acturus erat in mundo, & in Ecclesia ab eodem fuisse distincta secundum orbem, seu circulum septem dierum, ac septem ætatum mundi. Ergo etiam secundum rationem circularem debemus opera Dei intueri, atque in ipsis operibus DEI intueri Deum quoque sine principio, & fine: & idem esse principium, qui finis, & idem

idē qui est, qui semper fuit, qui nunquā sit desiturus. vt cū Deum iutuebimur in vniuerso circulo temporum, eundem qui nuntiauit ab initio futura, qui vt nuntiauit illa præstiterit: qui ab initio reuolutionum temporum omnia vbiq; & semper in omni circulo temporum egerit; etiam eundē cognoscemus Creatorem cœli, & terræ; sustentem cœlos creatos, complementem illorum immensitatem, illos regentem, mouentem: perficientem omnia, vt in cœlis, sic & in terris, ac in omni natura rerum. quandoquidem omnes actiones mundi sunt constitutæ & peractæ ad rationem vniuersi; vt qui illas egerit, & hunc perfecerit; & qui hunc perfecerit, illas egerit. ducimur deinde ad Angelicas sedes, quòd secundum illarum rationes creatum sit hoc aspectabile cœlum. ducimur tandem ad Thronum Dei, antè cuius conspectum astant septem Spiritus, de quibus meminit Ioannes in initio Apocalypsis. vnde sedes Angelicæ, & hi cœli aspectabiles dicuntur educi & creati. Hæc enim omnia in rationibus & modis sphericis nobis demonstrantur. Quare non videtur contemnenda hæc ratio demonstrandi nobis opera Dei, postquam hic. à Mose, & ab Ezechiele, & cap. primo Apocalypsis ipsa gloria Dei & Ihesu Christi nobis ob oculos ponitur. Ac præteriens ego multa, quæ videntur habere magnam doctrinam, quæque partim tractata sunt ab aliis, partim à Theologis futuris tractabuntur vberius, seruioque ego simplicioribus; hos ducam inijtis quibusdam ad Deum, atque ad eius magnitudinem contemplandam in animaduersione harum rotarum; deinde utilitates earum persequar. Ac primùm vt vident mundū forma spherica creatū, debēt & singulas in mūdo partes nosse rationē vniuersi tenere. vt prætereā de homine dicere, qui appellatur paruus mūdos, & forma circulari dicitur cōditus; cōstat generatū in reb^o creatis esse

virtutem quandam circularem, quæ oculis non cernitur, & tamen quadam ratione, & sensu percipitur. verbi causa florum odor oculis non cernitur, at olfactu, seu odoratu percipitur circum circa certo quodam loci interuallo, idè intelligatur in animantibus, & in aliis rebus plurimis, immo verò in omnibus creatis. quæque enim res proiicit suos radios circum se in orbem. & quod ita non aduertitur in omnibus, aduertatur in his, quorum insignitè magis vis illa percipitur, vt in floribus, vt in feris, quarum odorem canes, qui procul sunt, sentiunt. à rebus singulis in terris ducimur, vt eandem vim circularem aduertamus in tota terra, aqua, & aëre. in his enim videbimus dilatari magis hanc vim, & ampliorem circulum facere. Nam exhalationes, quæ exsurgunt è terris, & ex aquis longius interuallum occupant, vt loca reddant salubria: aut malum, & graue cœlum afferant: & perducantur exhalationes ad altio rem regionem aëris. Sed cum deducimur ad orbem cœlestes, orbis primus se nobis offert, in quo est Luna: cuius radius orbicularis fertur per amplum aërem, per vniuersas terras, & maria amplissima est lux Solis, & stellarum, quæ illustant totum ambitum cœlorum, terrarum, ac marium: vimque magnam afferunt rebus à Deo ipso. Angelorum deinde vis maior intelligenda est: vt cum sint suprâ cœlos, statim vbiq; esse possint cum magna vi, ac potestate. In his omnibus sunt quidam gradus, & mensuræ virtutis circularis. at in Deo nulla est mensura, nullus terminus: nullus est locus, vbi non sit, nec vlllo ipse circumscribitur loco. Atque vt multa relinquamus contemplanda ambulanti bus terris, & maria; omninò in his cognoscendus est ab omnibus Deus, qui operatus est in ætatibus mundi, & in fabricatione vniuersi. Vt igitur vident cœlum sine principio, & sine; ita magis in Deo debent cognoscere nec principium ipsius extitisse, nec finem futurum; sed esse ipsum solum

lum aeternum. Vt vident lucem, ac vim stellarum pertinere extremas partes caelorum, & vniuersam terram; ita Deum debent magis cognoscere attingentem omnia, & complementem omnia, debent cognoscere & in administratione mundi, & Ecclesiae, Deum ab initio egisse, & statuiffe omnia, omnibus temporibus extitisse suum opus: ad postremum vsque tempus perfecisse omnia, non secus ac lux Solis, complementem, & attingentem omnes partes mundi, illuminantem omnes caelos, & in omnibus suam virtutem imprimentem. atque vt terra sustinet homines, ac caetera animantia, & plantas, resque alias multiplicium generu; vt mare continet pisces: aer ambit haec omnia: coelum vero aërem, & quae aer ambit; sic Deum debemus videre ambientem, sustententem, & ferentem caelos cum omnibus, quae in ipsis sunt. Et cum infinita, & immensa sit eius virtus, significatur tamen more hominum loquendo, vt palmo mensuret caelos, vola contineat maria, summis tribus digitis appendat totam terram. Cum Deum quis nouerit perfecisse omnia ab initio ad finem vsque mundi, & secundum hanc rationem à Mose ostensam; necessario omnia quae dixi, ab eo, qui habet mentem, erunt cognoscenda. atq; hinc illa utilitas, & commoditas manabit, vt iam vnus Deus cognoscatur, qui cum in se ipso sit immensus & infinitus, quasi tamen videatur videri in rebus creatis singulis, & in vniuerso, ac nihil esse, vbi ipse non sit. vnde nullus alius Deus intelligitur posse adesse, & inueniri vsquam. Cognoscitur Omnipotens in his, quae egit & in caelis, & in terris, non solum creando omnia; sed & administrando. Cognoscitur eius sapientia in ordine, quem conspicimus in terris, & in caelestibus. Cognoscitur bonitas in communicatione suae virtutis in rebus creatis: misericordia, & clementia erga nos. cognoscitur Pater omnium, qui creauit omnia: Pater inquam cum Filio, & cum Spiritu

Sancto in summa sphaera, quæ ducebatur ab Aleph in Aleph : sine principio & fine, immensus & infinitus, complectens omnia quæ creavit, coelestia & terrestria : superna & inferna : in omnibus praesens & agens, ad centrum mundi pertingens. Cognoscitur & Spiritus eius Sanctus in distinctione omnium operum mundi, coelestium, & superum, atque in hominibus omnibus aetatibus cognoscitur Filius Dei ex imagine, quam habet à Patre, proferens omnia genera formarum, & in se complectens omnes electos, in se illos filios Dei procreans. Si dilatabis sphaeram Filij, ut omnes electos in se complectatur, omnia corpora caelestia, & creaturas spirituales, ut in prima visione Apocalypsis significatur; cognosces unde dicat Paulus, Christum Iesum Dei Filium esse imaginem Dei invisibilis, primogenitum omnis creaturae: quomodo in ipso condita sint omnia, & quæ in coelis, & quæ in terris sunt, & quæ sequuntur. Cognosces in Spiritu Sancto lucem immensam Dei sedem, & in omnibus quæ complexus est Filius perenne lumen, & opus. Cognosces, in Patre aeternitatem: immensa, & infinita apud eum, & quæ animo complecti non potes. suspicaris quidè per illa, quæ tibi ostensa sunt in sphaera Filij, ac Spiritus Sancti, per quæ omnia manat & pertingit Pater. Et dum non potes eum attingere, accedis ad inuersum ordinem literarum, & rotarum, in quo Beth est initium et finis summæ rotæ, siue efficit Beth superiorem rotam: Resch autem mediam; & Aleph intimam: atque in Christo contemplaberis primam visionem Apocalypsis, in qua Christus vestitus ipsis coelis, & in se contrahens Ecclesias omnium aetatum, calcans inferna, caput inter ordines Angelicos tollens, sua Diuinitate in Patrem migras, ostendit in se Patrem, et ad nos intimam rotam deferit, ut Patris paternam charitatem, & opus cognoscamus, Spiritu Sancto operante omnia in omnibus, in quibus ipse adest, &

rege-

regenerante nos in ipso Dei filios. Cognoscemus item in Diuino Verbo tres status, Patris, Filij, et Spiritus Sãcti atq; trium distincta, & mutua opera. cognoscemus & septem ætates distinctas operibus. item Dei. cognoscemus quæ distinctio sit, et quæ communitio promissionis, Legis, Prophetiæ, Euangelij, et reliquarum scripturarũ. Cognoscemus consilium Dei quodnam fuerit eorum, quæ acturus fuit ab initio mundi ad finem vsq;. Cognoscemus in Deo Patrẽ, Filiũ, et Spiritum Sanctũ: et in Patre, Filio, et Spiritu Sãcto vnum Deum. Hæc multo vberius possunt tractari, atq; alia sunt, quæ ostendent Theologi in innouata Ecclesia: nunc illa duo, quæ proposuimus, sunt demonstranda. Deum vt ab initio constituit, & distinxit omnia futura omnium temporum; sic singulis ætatib⁹ eodem ordine effecisse, omnia: item secundum ordinem creati mũdi, fuisse cõstitutis actiones, & opera omnia, quæ acta sunt in mundo in administratione Ecclesiæ, & orbis. Si enim hæc constabunt, hinc deducuntur necessariò omnia illa, quæ diximus, & multa alia. Quamobrem, vt hæc fundamenta patefiant, demonstranda sunt in hoc capite primũ, deinde in vniuersa historia Diuina interpretatio afferenda: vt in omnib⁹, quæ operatus est Deus ab initio ad finem vsq; mundi hæc duo, quæ diximus, ne mini dubia esse debeãt. relinquentes igitur altiora alijs, historiã vniuersã operum Dei in hoc mundo; & in eius Ecclesia persequemur. Et quoniam quæ in hoc capite continentur generatim antè diximus, eadem nunc assumentes partes singulas contemplabimur.

2. *Et terra erat inanis & vacua: & tenebra super faciem abyssi & Spiritus Dei ferebatur super faciem aquarũ.* Ostẽsum est in cælo, & terra fuisse signatam Ecclesiam, & statum populi DEI: idque secundum rationem constituti vniuersi mundi, qui præbet se totum cum omnibus suis partibus conspiciendum. Nam ita dictum est creatum coelum, & terra vt de omnibus Ecclesijs omnium ætatum, &

de statu populi Dei ab initio ad finem vsque generatim sit locutus Moses. in tribus quoque verbis Berescit, Bara, Elohim eadem cognouimus. hęc verò dum separatim partes mundi exponuntur, signantur distincta tempora mundi, & status varij populi Dei, & Ecclesię, quę & sigillatim contemplabimur.

Qui literalem tantummodo sententiam, & historicam tantum descriptionem fabricę mundi hęc recognoscunt, non retinent particulam illam, (&) quę in historia sacra ponitur sæpè vt ostendatur continuatio historię, vt etiam in initijs librorum ponatur. veluti initio Exodi, Leuitici, Numerorũ, Iosue, Iudicum, Regum, Ionę. ponitur (et) vt ostendatur distinctio in his, quę narrantur. quę duo mihi videntur recognoscenda hoc loco in hac particula. Et, vt non dicendum sit, nec vertendo, nec interpretando. initio cùm creauit Deus cœlum & terram, tunc terra erat inanis, & vacua; quia duę res significantur, vna post aliam: in quibus sit & significata distinctio, vt statim ostendemus. atque verbum Dei non ita habet sententiam coniunctam; sed distinctam. ita in principio creauit Deus cœlũ & terram: & terra, siue, terra autem erat inanis, & vacua, vnde in Hebræo posita est magna distinctio inter primum, & secundum versum, ne coniunctè interpretaremur. Præterea dùm dicunt, initio quandò creauit Deus cœlum & terram: & principio creauit Deus cœlum & terram, remouent mysterium, quod Patres censuerunt esse in verbo Berescith. in quo indicatur in sapientia, in Verbo, & per Verbũ creata fuisse omnia. Et si liceret latinè dicere, initio & principio tamen cùm dicimus in principio, intelligimus semper primum principium rei: quod debet hęc intelligi, vbi Moses loquitur de primo principio, quandò primum cœpit mundus esse, & fuit primum initium temporis. dùm dicis initio & principio, indistinctum potest intelligi tempus prin-

principij vt sit illud discrimen, quod est dum dicitur, in hoc tēpore, & hoc tempore. ibi intelligitur tempus, quod dicitur instans, hīc autem etiam longum tempus. Sententia autem primi, & secundi versus ita videtur esse distincta, vt cum dictum sit, in principio creauit Deus coelum & terrā, indicetur vterque status Ecclesiasticus & Politicus fuisse consignatus, & destinatus simul cum creatione coeli, & terrae, vt debuit esse consequentibus temporibus. Atque in Adamo extitisse primū antequam peccaret & verā Ecclesiam, & verum statum eius, qui esse debuerit ex populo Dei, seu qui esset caput populi Dei. verū postquam peccauit, alius status indicatus fuit sequi, qui secundo versus illo exponitur, & terra erat inanis, & vacua: & tenebrae erant super faciem abyssi, & Spiritus Domini ferebatur super faciem aquarum. Hæc tria membra ponuntur versus secundo: vbi videtur significari status mundi à peccato Adæ, & à Cain vsque ad Abrahamum. vndè non fuit idem coelum, non eadem terra; sed post peccatum Adæ terra fuerit inanis, & vacua, loco status populi Dei, fit factus status impiorum, quem vocat Petrus mundum impiorum 2. Epist. 2. non fuerit idem coelum; sed tenebrae super faciem abyssi, cultus Dei tenebris inuolutus, & alius à Satana susceptus ex abyssō. interea pius cultus extiterit in his, qui sub tutela, & obediētia Dei permanserunt. quod signabatur in membro illo, & Spiritus Domini ferebatur super faciem aquarum. ita mihi videtur distinguenda hæc tria membra secundi versus, & ita secundus versus à primo:

Terra erat inanis, & vacua. prius ponemus sententiam mysticam, quæ nobis videtur; post eam comprobabimus. Significatur ergo hīc, vt dicebamus illud tēpus, quod vulgo appellatum fuit, Legis naturæ: à Petro prius mundus impiorū, coeli, terrā, mundus. Et more Prophetico signantur omnes ætates, quibus homines, vixerūt

more gentium, eorum scilicet, qui fuerunt sine Lege Dei. vnde in Ieremia capi. 4. alloquitur Deus Papiſtas noſtri temporis, & Eccleſiam Romanam. quod ibi patebit. & oſtendens eos Antibaptiſtas & ſine Chriſto, ait. vidi terrā, & erat inanis & vacua: & cœlos, & nō erat lux in eis. quidnam hīc ſibi vellet Deus, expoſuit verſu ſuperiori, inquiring. ſtultus eſt populus meus: me non agnouerūt: filij inſipientes ſunt, & non intelligentes: hoc eſt inanis terra. ſapientes ſunt. ad malefaciendum: benefacere autem non nouerunt: hoc eſt terra vacua. vnde oſtendit DEVS in terra inani, & vacua vaſtationem ſtatus Papiſtici, & interitum. propterea quod apud ipſos cultus Chriſti non vigerit, ac interierit. vnde non vigebit Papatus, non Eccleſia Romana, è terris educentur. Hic locus Ieremiæ interpretatur Moſem, & indicat in terra inani, & vacua ſignari primam ætatem, & omnes ſex ætatum homines, qui lucem Fidei in ſe non habuerunt; nec fructus Fidei protulerunt. quia ea eſt ratio tractationis Propheticæ. vt poſito initio alicuius generis complectantur in eo Prophetæ quæ ſunt eiufdem generis conſequentium temporum. & id oſtēdit hic Ieremias, qui reuocat illud de terra inani, & vacua ad conſuſionem religionis, quæ eſt in Papatu, & alibi nunc dum vbique tot Chriſtos vidimus, quenq; ſuam religionem promouere ſtudentem. aſſimilatur autem hic ſtatus, quem vocarunt legis naturæ, & omnium qui deinceps fuerunt non ſecundum Legem, & inſtituta Dei viuentes terræ aquis conſuſæ, & vorticibus, ac cavitatibus plenæ. quæ quidem, quia erat conſuſa aquis non poterat proferre omne genus plantæ, nec animalia alere, nec ſuſtinere. quod fecit poſtea Verbo Dei accedente. & idcirco dicitur inanis: quiaq; erat vorticibus & cavitatibus plena, nec erat vbi pedem firmare poſſes: atque vbique patebat inuolutio, & demerſio in abyſſum, ob hæc dicta eſt vacua, ſiue dicere poſſis,

sis, terram hanc fuisse ipsam inanitatem & vacuitatem. Similiter gentes sine Verbo Dei & luce Fidei, ac fructib⁹ Fidei, fuerunt vt terra aquis confusa homines sine religione, ac Dei cultu. erant terra inanis, nō erat in ipsis virtus proferendi fructus Spiritus erant terra vacua, erant sine fructibus Spiritus.

Et tenebræ erant super faciem abyssi. per tenebras intelligo obscuritatem & cæcitatem impiarum gētium, quæ fuerunt sine luce Fidei. vndè dicebat Deus in Ieremia cap. 4. vidi coelos, & non erat lux in eis: non erat lux Fidei in Ecclesiis Papisticis, cū secundo prædicaretur Euangelium, per abyssum autem intelligo primum cor hominis impij, deinde Spiritum Satanæ operantem in cordib⁹ impiorum. de corde hominis impij ait Paulus. non ambuletis vt gentes in vanitate cordis sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, ab alienati à via Dei propter ignorantiam, & cæcitatem cordis eorum. de opere Satanæ operantis in cordibus impiorū, & Papistarum, præsertim Ecclesiæ Romanæ agit Ioannes cap. 2. Apoc. cui Ecclesiæ Rex sit Angelus abyssi. In tenebris videtur quoq; intelligi cæcitas, & vanitas eorum, qui putant se intelligere, & non intelligūt: sapere, & stulti sunt: posse omnia, & destituuntur præstātib⁹ facultatibus cū sint terra inanis, & vacua; nihil sint, non frugi sint; nō sint in ipsis, quæ deberent & tamen id nō videāt, nec vbi bonū sit intelligāt, nec erga ilud affecti sint.

Et Spiritus Domini ferebatur super faciem aquarum: Dum fuerunt impij tempore legis naturæ (quod dicunt) non destituit Dominus suos, quamuis paucos fideles: suo Spiritu illos fouit, è quibus educturus erat populum suum, qui aliquando obtineret omnes terras; quæ parerent Deo credentes; quæ replerentur credentibus fructificantibus DEO. Aquæ multæ sunt populi multi ait Iohannes. & hīc videntur signari illi, qui signati sint in cælis; in

vera Ecclesia, cultum Dei retinentes, eò quod Schamaïim compositum sit ex Schin & Maiim. ergo dum regnarunt impij omnibus seculis hactenus, suos semper fouit Deus suo Spiritu, vt fouet gallina suos pullos; seu ferebatur super illos, in ipsis agens, dominans, defendens, & perdu- cens ad suum Regnum tandè. vt vidimus factum in Abel, Seth, Enos, Enoch, Noè, Abraham, & in toto populo Dei vsque ad hoc tempus, quandò eijcientur impij è terra, & dabitur regnũ populo Dei. Dum in eodem versu secũdo posita sunt tria membra in duobus primis, vanitas, & tenebræ gentium, in tertio Spiritus Domini super pios; vi- demur debere aduertere illud super faciem abyssi; illud su- per faciem aquarum. hæc forma loquendi non est aliena à Latina. vnde miror, quare aliqui eam reiciant, & velint interpretari super abyssũ, super aquas. potest aliquid esse super abyssum, super aquas, & non erit super faciem eorũ. si erit super faciem, erit super abyssum, & super aquas. vn- de significatur dum dicitur super faciem, tenebras fuisse super faciem impiorum omnium seculorum: Spiritũ Do- mini super pios omnium seculorum. & hĩc mihi videtur esse animaduertendum opus Satanæ occultum in omnibus filijs diffidentia; & opus occultum Dei in credentibus: vt ait Paulus. non qui in manifesto, seu in specie Iudæus est, erit Iudæus; sed qui in occulto. & 1. Cor. 10. docet non omnes patres susceptos fuisse à Deo in deserto. Quamuis enim ante Abrahamum vigerent impij, fuerunt tamen Deum colentes: & tempore promissionum fuit Iob ami- cus Dei apud Idumæos: contra verò non omnes, qui se- cundum carnem nati sunt ex Abrahamo, reputati sunt in semen: non omnes circumcisi in carne; non omnes retinè- tes Legem Mosis; non omnes legentes Prophetas: non om- nes profitentes nomen Christianum, fuerunt educi è terra inani & vacua: è tenebris & abyssò; sed tantum, qui cre-

crediderunt promissioni, fuerunt circumcisi corde, paruerunt Legi, Prophetis, & Euangelio; fuerunt verè populus Dei, & Ecclesia Dei. super hos omnes generatim fuit Spiritus Domini, qui ferebatur super illos omnium ætatum, & temporum; qui fouebat illos, tanquam gallina, vt dixi, pullos: vt eos multiplicaret ceu augetet omnibus temporibus, vt vidimus factum. vndè existimo rectè dictum esse à quibusdā ferebatur, à quibusdā incubabat. quia ad varā sæpè alludit Prophetia. super impios autem omnium ætatum, & super eos, qui nomen Israëliticū, & Christianū professi sunt, & fuerunt terra inanis & vacua; fuerūt tenebræ Sata-næ: habuerunt hi regem Angelum abyssi. Vt ergò in vnum cōspectum conducerentur hi omnes & pij, & impij omnium tēporum, dictum est de his, & tenebræ erant super faciem abyssi: de illis, & Spiritus Domini ferebatur super aquas. quia in omnib⁹ sex ætatibus, vt in hoc capite videbimus, fuit nox, & dies: tenebræ carnis, & lux Spiritus. Videamus iam loca Prophetarum & Apostolorum, in quibus hæc, & nostra interpretatio vera adhuc magis apparere possint. Moses vt suprā dictum est cap. 26. Leuit. ait. dabo cœlum vestrum sicut ferrum, terrā vestrā sicut æs. Isaias cap. 1. clamat, audite cœli, & auribus percipe terra: vt fecit Moses capi. 3 2. Deut. hanc terram describit, cum ait: vā genti peccatrici, & quæ sequuntur. item, terra nostra deserta. Ieremias cap. 23. Luxit terra, seu deserta est terra. & exponit ibi se ipsum, quidnam per hanc terram intelligat, dum Sacerdotes, & Prophetas arguit scelerum suorum. Ezechiel cap. 22. tu terra es immunda. Osea, terra fornicans fornicabitur à Domino. Ioël, Luxit terra. Amos. tenebris obruam terram in die luminis: Michæas, attende terra, & plenitudo eius. Christus, qui de terra est, de terra loquitur. Prophetæ nuntiant vastationem Papatus per terram, quæ hīc dicitur inanis & vacua: vt antè in Ieremia cap. 4.

vidimus. de abyſſo præterid, quod dictum eſt in Apoc. ait Dauid. abyſſus abyſſum inuocat in voce cataractarum tuarum: omnia excelsa tua, & fluctus tui ſuper me tranſierunt. Ita queritur Ionas, circundederunt me aquæ, abyſſus circundedit me. non propter ſe ipſum queritur hic Ionas, ſed nomine Chriſti, & membrorum eius: quòd eſſent circunueniendi ab impijs, à filijs tenebrarum. De tenebris quid dicam? cum tanta mentio in Euangeliftis, & ab Apoſtolis fiat? Intuens Paulus gentes ductas ab illa prima ætate, ait Ephesios fuiſſe aliquando tenebras. Eſt verò locus inſignis in Epiftola ad eoſdẽ ſumptus, vt mihi quidẽ videtur ex hoc ſecũdo verſu primi cap. Gen. initio enim ſecũdi cap. illius Epiftolæ loquitur Iudæis conuerſis ad Chriſtum, quos ait natura filios iræ eſſe, vt cæteri. alloquitur deinde gentes, quos ait aliquando fuiſſe in carne, dictos præputium, quòd ſcilicet fuiſſent terra inanis & vacua; ſine Fide, & fructibus Fidei. ait deinde fuiſſe ſine Chriſto ſine promiſſione, ſine Fide, ſine Deo, hoc eſt terra vacua. cap. 5. vt eadem reuocet illis in memoriam, ait. eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. item nolite communicare operib⁹ infructuoſis tenebrarum. item vetus homo corrumpitur ſecundum deſideria carnis: item, non ambulatis vt gentes in vanitate cordis ſui, tenebris obſcuratum habentes intellectum, ab alienati à via Dei propter ignorantiam & cæcitatem cordis eorum, qui tradiderũt ſe impuditiæ. item, deponite vos ſecundum priſtinam conuerſationem veterem hominem, qui corrumpitur ſecundũ deſideria erroris. In his locis reuocat nos Apoſtolus ad hunc locum Moſis, & interpretatur terram inanem & vacuam, & tenebras ſuper faciem abyſſi. Et vbi ait ſe Euangelizare myſterium abſcõditũ à ſeculis in Deo, qui omnia creauit; apertius id nobis ſignificat: & quòd à ſeculis DEVS creauit omnia ſcilicet futura. apertiſſimè verò in ſecunda

cūda ad Corinthios vbi ait : Deum, qui dixit de tenebris lucem splendescere, illuxit in cordibus nostris ad illuminationem sciētiae charitatis Dei in facie Christi Iesu. quod pertinet & ad versum, qui sequitur. Colligat jam quisque hęc loca: & videbit Paulum, Dauidem, & Prophetas reuocare, quæ dicta sunt à Mose hæcenus ad mysticam sententiam, quam diximus. item hęc esse referenda ad omnes ætates, quæ consecutæ sunt impiorum, & omnium non secundum Legem Dei sentientium de religione, & viuentium. Vnde Paulus in Epistola ad Ephesios ostendit vanitatem, & tenebras illas in omnibus gentibus, qui antè fuerunt, & in præsentibus sui temporis Iudæis & gentibus ante susceptum Christum. Ioannes in Apoc. Dauid & Prophetæ eandem vanitatem, & tenebras arguunt in Papatu, & Ecclesia Romana. Ergo in his, quæ hæcenus dicta sunt de coelo & terra à Deo creatis: de terra inani & vacua: de tenebris, & abyſſo, de Spiritu delato super faciem aquarum; ostensū est esse reuocata ab Apostolis, & Prophetis, ad sententiam mysticam eorum, quæ sunt Euangelij absconditi à seculo: & eorum, quæ erant futurorum temporum.

Hic pauca mihi videntur addenda de illo decantato à multis Chaos. Si Deus, vt multi doctores censuerunt, ex nihilo vno die creauit mundum, non ergo ex materia illa confusa. ac omittendo disputationes dicam quod mihi videor elicere ex antiquis. varios Deos, novos Deos, suos certos Deos separatim habere, & cultus est, id quidem Chaos, & confusio religionum. et ne id probem per auctores profanos, Petrus in Epistola secunda exponit nobis ipsum Chaos & confusionem cœli, & terræ, aquæ, aëris, & ignis. in quo cœlo, terra, & elementis statum significauit, qui fuit tempore Noë & aliorum, qui ante fuerunt terra inanis & vacua: & generatim appellat mundum tempus illud Noë, & quod fuit ante: qui

qui Petrus dum exponit quid signatum fuerit per Chaos, etiam comprobatur interpretationem nostram de terra inani & vacua, de tenebris circumfufis super faciem abyssi. Itē quia infert, Cœli autem qui nunc sunt, & terra eodem verbo repositi sunt, igni reseruari in die iudicij & perditionis impiorum hominum; videtur & nostrum Chaos nūtiare, confusionem, quæ est apud nos propter religionem, & propter status publicos. vt quæ confusio cœpta est generatim puniri tempore Noë, eadem nūc generatim puniatur pariter per ignem, & ferrum. Item si constat in Ieremia cap. 4. vbi dicitur. Aspexi terram, & ecce inanis, & vacua: & cœlos, & non erat lux in eis; esse sermonem ibi de nostro tēpore; ergo ecce Chaos inter nos: ecce nos sumus Chaos, qui in confusione sumus religionum, & statuum: ecce nos terra inanis & vacua, ecce tenebræ, ecce inquam nos Chaos: & ecce finis illius Prophetiæ de terra inani & vacua; de tenebris, & de abyfso, ac de Chaos. Contritio capitis serpentis & serpens septem capitum cognoscetur in suo fine: ita confusio elementorū & mundi nunc cognoscetur, & quid fuerit intelligendum per Chaos. quod indicatur nobis, dum illud nobis Tohu, & Vohu nullibi coniunctim reperitur in Biblijs repetitum, nisi semel à Ieremia, vbi ostendit confusionem religionis nostro tēpore Antichristi reuelati perturbantis cum multis hæreticis prædicationem Christi. Et hîc tandem non videor debere præterire, quin aliquid dicam de varijs interpretationibus illarum vocum, Tohu, & Vohu. Cū multi multis modis verterint has voces Tohu et Vohu, quidam à vulgata versione recedentes ex quarto capite Ieremiæ verterunt: terra desolata, & inanis. quidam suum Chaos intuentes verterunt inordinata, seu indigesta, & vacua: quidam informis, seu desertum, solitudo, vastitas, & inanis: quidam inanis, rudis indigesta moles, & vacua. de his, qui ad suum
Chaos

Chaos accommodarunt interpretationem, nihil dicam: quia Chaos mihi videtur aliter debuisse intelligi. hi autem, qui è capite 4: Jeremiæ verterunt desolata, mihi videntur non attendisse, Deū fuisse minatum vastationem Papatus, propterea quòd esset Tohu ipsa vanitas, populus stultus, vt dixit ipse Deus, non cognoscens Deum, populus nihil, ad nullum bonum idoneus, veluti, terra inanis, nihil boni proferens, nihil boni continens. quare videri esse discrimen, dum dicitur populus inanis, & idcirco eius terra futura desolata, quia nil boni sapit & agit populus, qui auferetur è terra sua, vt illa futura sit desertum, cuacuata, à Papatu. vnde qui vertit inanis, & vacua, videtur mihi magis propriè vertisse: atq; inane videtur complecti desolatam, in forme, inuisibile, indigestum, siue aliud, quod alij dixerint. Et cum ostendat Moyses cap. 2. terræ nõ adfuisse nisi à Deo facultatem producendi; nec quicquam in ea esset; quid de ea magis propriè dici potuit, quam quòd erat inanis & vacua? Ergo quòd terra per se sine virtute Dei non proferebat, dicta est inanis, vacua verò quòd esset sine plantis & animantibus, ita homines per se non ederint opus Domini, vacui essent Spiritu Domini, & fructibus spiritus, vt exposuit Paulus in Epistola ad Ephes.

3 *Et dixit Deus sit lux: & fuit lux.* Videor hìc rectè face-
re, si repetam ordinem eorum, quæ hoc capite, & in vni-
uersa scriptura expono. Ioannes initio Apocalypsis ab eo,
qui est, & qui erat, & qui venturus est; atque à septem spi-
ritibus, qui in conspectu Throni eius sunt; & à Iesu Christo
nuntiar gratiam, & pacem. in decem enumerationibus di-
ctis Sefhirot eadem significantur. primum Pater, Filius, &
Spiritus Sanctus: deinde quæ sunt septiformis spiritus.
quorum opera, & virtus conspicienda traditur omnibus ge-
neratim hominibus nunc, vt antè extitit in administratione
Ecclesiæ, et mûdo, & vt extabit postrema ætate mundi in

Regno Dei, ac Christi Iesu sunt, qui existimant, hæc eadē omnia tractari à Mose in hoc capite. Et quoniam in prima visione Apocalypsis, dum Ioannes videt similem Filio hominis ambulante in medio septem candelabrorum aureorum: quæ candelabra cum sint Ecclesiæ, quæ fuerunt in mundo; signant quoque quæ sunt cœlestium corporum, quæ conspicimus, & septem planetarum. & dum videt, quæ narrat de capite, indicantur simul, quæ sunt cœli Angelici, & Throni ipsius Dei. item in decem Sephiroth præter ea, quæ de Ecclesia omnium temporum consignatur, ferunt etiam quandam imaginem eorum, quæ fuit huius cœli aspectabilis, & septem planetarum: atque insuper ad illa, quæ supra cœlos in ordinibus Angelicis, & apud Diuinam Maiestatem sunt, conducunt mentem. quoniamque volunt multi hæc eadem tria in hoc capite esse consignata, quæ sunt Ecclesiæ omnium temporum in terris, quæ sunt cœlorum cum suis astris, quæ sunt supra hos cœlos in ordinibus Angelicis, & apud Diuinā Maiestatem; aliquis posset à me hæc omnia requirere, dū mysticam interpretationem dico me contemplari. vnde volo omnes esse admonitos, me tantum quæ sunt historiæ Ecclesiæ in hoc mundo, interpretationem prosequi: atque hoc tantum esse nunc mihi datum vt agam. hoc tantum ergo est agendum, hoc tantum a me expectandum, ac secundum eam mensuram expectandum, qua mihi est datum. ergo ita repetam ordinem eorum, quæ hoc capite mihi videntur contineri pertinentia ad statum Ecclesiæ, & populi Dei, in cursu temporū mundi. Primo versu summa est proposita non solum creati cœli, & terræ; sed statuum Ecclesiæ, & mundi in omnibus seculis. versu secundo contra Patrem Creatorem omnium venit Cain cum sua familia terra inani, & vacua ducta hac familia non solum ad tempus Enosi, in quo coeptum fuit inuocari nomen IHESV sed vsque ad interitum

Antichristi. Quando in Enocho cœptum est inuocari nomen IHESU eadem familia Cain ab abyssu eduxit tenebras Antichristicas, ne Filius Dei inuocaretur, idque perstitit agere hæcenus, quando iuratur in regem abyssi. Et quando in Enocho Spiritus Sanctus fuit cognoscendus fouere colentes, & inuocantes Deum Patrem & Filium, terra inanis, & vacua; familia tenebricosa, & Antichristica sibi tribuit, & vendicat quæ sunt Spiritus Sancti. vnde ecce iudiciũ, ecce diluuiũ, ac mergitur aquis mũdus vniuersus saluata familia Noe, supra quã insedit Spiritus Domini, obscurè hæc tradita sunt, quæ sũt Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, nimis verò aperte, quæ sunt tenebrarũ, & abyssi. Nam hoc tẽpus à Cain vsq; ad Abrahamũ fuit tempus tenebrarũ. A versu tam tertio vsq; ad finem capitis septẽ ætates significatur ducto initio ab Abrahamo, quãdo lux cœpit elucere in ipso, ac in eius semine. quæ ætates in præfatione, & in argumentis huius libri, & huius capitis primi sunt expositæ. in his ergo aperietur magis Pater, & eius opus in statu circũcisionis; Filius in statu Baptismatis; Spiritus Sanctus in statu Prophetiæ apertæ quãdo huius opus cognoscetur & in tribus ætatibus primis datis Patri, & in alijs tribus datis Filio, atq; in septima data sibi & Patri & Filio simul. Hæ ergo septẽ ætates, & tres status exponũtur in septem diebus in quibus apparebit opus Dei in sua Ecclesia ab initio vsque ad finem. quod cognoscetur ætate septima allata luce perpetua, dũ in sex superioribus ætatibus fuerunt lux & tenebræ, status impiorum & piorum. Ordinem sæpè repetimus propter simpliciores quòd in eò appareat, & existat vera interpretatio.

Et dixit Deus, sit lux: Hic describitur prima ætas post statũ dictũ naturæ, quæ prima ætas vocatur promissionis: quòd Deus promiserit Abrahamæ, in eius semine benedicẽdas omnes gentes. atque hic quæritur, vt id demonstrem.

Ego veró dicam me id videre in tota Diuina scriptura. Primum ait Petrus, diem apud Deum esse veluti mille annos, & mille annos veluti vnum diem. itaq; dies ponitur pro seculo, & ætate vt cognoscere licet etiam in Prophetis. video Paulum dixisse, fide intelligi constituta secula Verbo Dei. cum ait Verbo Dei, quo dictum est sex diebus, & septimo, sit, fiat, benedixit; significatur hic quoque diem positum pro seculo. cum autem ait, Fide, intelligimus prædicatum septem ætatibus Verbum Dei atque fide susceptum; & ætates secundum Verbum prædicatum, & creditum fuisse distinctas: & qui priores fuerunt, crediderunt omnia promissa futura. vnde sequitur Paulus. quo quæ non apparebant, fierent conspicua: hoc est, septem ætates, & quæ Deus erat acturus in illis, non apparebant; sed fide conspicua fuerunt, dum Abraham septem promissionibus credidit, item Isaac, Iacob, & alij; item Moses, & alij: item Prophetæ & alij: item Apostoli, & alij: quibus notum fuit mysterium septem dierum. Hi omnes crediderunt, & quæ futura non apparebant, ea fide conspexerunt. itaque Paulus mihi videtur hanc sententiam protulisse intuens hoc primum caput Geneseos. Et quamuis etiam de tempore ante Abeli oblationes intelligatur hoc dictum, Fide intelligimus constituta secula Verbo Dei: tamen hæc Fides apparuit in soleni promissione facta Abrahæ. quæ promissio, quæ Fides appellatur lux. Video quæ sunt harum septem ætatum esse exposita in septem promissionibus Abrahæ: signata in septem lampadibus apud Zachariam. & apud Ioannem in Apocalypsi: & in candelabro aureo. video in Psalmis, in Prophetis nos reuocari ad hoc caput: ad Verbum Dei, quo dicuntur esse facta omnia. vt in Fide Deus omnia sua opera fecerit. vt scilicet, quæ euenerunt omnia omnibus ætatibus credantur, & conspiciantur iam constituta, & distincta ab initio, vt in hoc capite significatur: quem-

quemadmodum & qui ante nos fuerunt, futura nuntiata in hoc capite secula, & ætates crediderunt: sicuti de Abrahamo ait Christus. Abraham vidit diem meum: hoc est, cognouit ætatem, & seculum prædicationis Euangelicæ, & statum Filij Dei jam tum etiam justificantis, & saluantis. Et Paulus ab hoc principio, ab hoc primo capite ducit suum Euangelium, dum ait, se Euangelizare mysterium absconditum á seculis in Deo, qui omnia creauit: se prædicare Euangelium, quod sub mysterio dederat Deus ab initio, quando creauit omnia: siue quod consignauit Deus in omnibus, quæ creauit ab initio.

Et dixit Deus, sit lux, & extitit lux. Dum dicitur, sit lux, & extitit lux, significatur nobis, idem esse apud Deum dicere, ac facere, vt quicquid dicitur, certò sciatur futurum. unde Dauar quod significat Verbum, est etiam idem, quod factum, Et cum hic futura nuntiantur tempore præterito, dum dicitur, & dixit Deus; significatur apud Deum, quæ dixit, & constituit futura, eadem esse, ac quæ sunt præterita & facta. Quòd in Verbo Dei intelligatur opus Dei hoc loco, docet Paulus, vbi ait. Deus qui dixit, de tenebris lucem splendescere, illuxit in cordibus nostris. dicitur igitur, vt lux sit, hoc est, vt illuminet corda nostra, quæ erant tenebræ; mentem nostram obscuram, &mersam in cogitationibus carnis, & errorum. Ac dum dicitur sit lux, & extitit lux; siue etiam fiat lux, & facta est lux, ne existimes tunc primùm tantùm extitisse lucem. de qua dixit Ioannes, & lux in tenebris lucet. quia etiam in Apoc. 12. dicitur nunc facta est salus, & virtus, & Regnum Dei nostri, & potestas Iesu Christi. nam vt semper saluauit Deus, & semper fuit Dei virtus, & Regnum Dei, & potestas: & certo tempore magis patuit in Ecclesia, & populo Dei, & oculis conspecta fuit in vniuerso mundo; ita lux, quæ semper extitit, certo tempore egit in Ecclesia, & singulis credentibus opus illu-

strationis cordium, ad gignendam fidem, & charitatē Dei in ipsis. vt quæ aliquando non fuerunt in nobis, iam sint, secundum illud, fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux, in Domino. Si iam quæramus, quidnam sit hæc lux respōdebit Ioannes, Deus est lux, quia hic idem est, qui dixit, sit lux, & qui illuminat. & cū ait sit lux, potius quàm fiat lux, iubet, vt vbi sunt tenebræ, sit ipsius lux; efficit vt ipse lux sit in credentibus corde, & mente. De hac ipsius luce ait Ioannes, in ipso vita erat, & vita erat lux hominum quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. hæc lux, quæ illuxit Abrahæ, Isaac, & Iacobo, & huius filijs; illuxit & Mosi, & populo fidei: illuxit & Prophetis, & his, qui Verbo DEI per illos nuntiato paruerunt: illuxit multò magis Apostolis, & credentibus præfente Christo mundi luce: in quo omnes, qui antecesserunt, & qui consecuti sunt, & consequentur, illuminantur: illuxit doctoribus pijs, omnibus Antipapis: illuxit Ioachimo, atque omnibus, qui expectarunt secundū Aduentum Domini; illuxit & nunc repetita prædicatione Euangelij: & lucebit magis, ac magis, in innouata Ecclesia, quando lux omnium ætatum conducetur in vnā ætatem septimam, quæ tota cum toto mundo replebitur lumine huius lucis, de qua loquimur. atque iam nullæ erunt tenebræ, sed tantum dies: quando Deus erit nobis pro Sole, & Luna. Hæc lux est Spiritus Filij Dei, ac Dei Patris, quo regenerantur omnes credentes, ac viuificantur in Christo; vt sint corpus eius qui solus est semen Dei Patris, è quo semine omnes prodierunt credentes: & in quod reuocamur renati, vt in ipso æterna vita viuamus, hoc Spiritu ergo viuificantur omnes ab Adamo vsque ad postremum hominem, qui eius luce fuerunt illustrati. Hic Spiritus est perfectio, & opus, & vita æterna omnium, qui fuerunt ab eo illustrati & viuificati. Ac vt lux Solis illuminat hūc mundū
totum

toti & omnia, quæ in eo sunt pertingens omnes extremas partes; vitam dat Verbo, Dei iubente, & virtutem, ac vim rebus singulis vbicunque in mundo; ita Spiritus DEI Patris, ac IESV Christi omnes omnium ætatum credentes illuminat, viuificat, perficit Dei filios. Est enim quædam ratio similis, Solis vno die illustrantis totum orbem terrarum, & huius Spiritus totum orbem seculorum omnium. Et quamuis sacramenta fuerint varia in distinctis ætatibus, fuit tamen idem Spiritus donatus in illis. vnde ait Apostolus. Patres nostri in Mose, & in mari, & in nube baptizati sunt: omnes eandem escam spiritualem ederunt, & eundem potum spiritualement biberunt. Et Dauid reuocans nos ad rationem illam, quam dixi ductam à Sole, ait. à summo cœlo egressio eius, & vsq; ad extremum cœlum illustratio eius, vt indicet eodem Spiritu illuminatos, viuificatos, atque æterna vita donatos omnes, qui fuerunt à prima ætate vsque ad postremam; & idcirco hunc Spiritum esse querendum nobis in omnibus Sacramentis, atque in pane nobis oblato in Cœna Dominica, quo iungamur Christo, & efficiamur cum eo vnum corpus. Hinc ergo cognoscendum, est quid proponatur nobis in omnibus sacramentis, & signis. hinc ratio habetur, quare dicat Christus in Euangelio: ego sum lux mundi, ac toties de luce, ac filijs lucis fiat mentio. & ab Euangelistis, & ab Apostolis. item de Spiritu & vita Spiritu ducenda. hinc Verbi Dei virtus cognoscitur, cum dictum sit. Sit lux, atque extiterit lux, vt per prædicationem Verbi innouentur, mutantur, renascantur, perficiantur in filios Dei credentes. hinc definiuit Paulus Euangelium esse virtutem DEI ad salutem omnium credenti. quæ virtus ostenditur in luce, & opere Spiritus Domini illuminans, iustificans, & sanctificans credentes: eos CHRISTO per Fidem coniungens, & Deo Patri; atque ad æternam vitam perducens. Hinc Ver-

Verbū Dei cognoscitur, non redire vacuum, esse malleum conterens petram. Hinc Paulus laudat ministeriū sui Verbi, quòd Dei virtus, & potentia in eo insit. Hinc & alia petita sunt, quòd extiterit lux, dum dixit Elohim, sit lux, qui Elohim dixit, & illuxit Abrahæ; illuxit & omni eius femini, & lucebit vsq; ad finem mundi, & in æternum. Ita autem interpretāda est hæc lux, vt ducatur à prima die vsque ad septimam, hoc est à primo credēte vsque ad postremum in omnibus ætatibus mundi. Igitur per lucem intelligimus Fidem Abrahæ, & Spiritum Sanctum, vt exposuit nobis Paulus: vt qui dixerit de tenebris lucem splendescere, illuxerit in cordibus credentium, non solum ab Abrahamo vsque ad Mosē, quo tempore compræhenditur prima ætas; sed vsque ad postremum credentem futurū.

Quærere hîc posset aliquis, vt rationem redderem, quare Spiritus Sanctus dictus sit septiformis; eius opus in septenum numerum veniat. quod si quis vellet facere, oportet & rationem reddere, quare Deus sit trinus, seu Pater, Filius, & Spiritus Sanctus: & de numero ternario & septenario multa quærere, & differere: conferre opera Dei in tribus statibus, & septem ætatibus Ecclesiæ, non solum cū cœlestibus, & super cœlestibus, & his, quæ sunt antè Thronum Dei; sed & cū his, quæ versantur in oculis, & manib^o nostris: & mira quærere in his, quæ tria sint, & vnum: vnum, & tria, quæ deduci possint ad certam cœlestium virtutem per ascensum septē graduum, veluti per septem orbis ducta quædam vna & trina natura ad similem quandam naturam eorum, quæ sunt stellati cœli, vsq; dum datur, vt ea res ascendat ad postremum gradum suæ perfectionis, vt in ea appareat, non solum quomodo vnum sit tria, & tria vnum & hæc septem; sed etiam quomodo vnum sit tria, & tria vnum & hæc septem; sed etiam quomodo sit perducta ad id, vt sit quædam similitudo summa virtutis, &

pote.

potestatis, & æternitatis in Deo. ita in cœlestibus collatis cum supercœlestibus maiora debebimus contemplari, ac in supercœlestibus intueri Deum per rationē triū in vno, vnius in tribus. item septem in illo vno, & trino: itē tres, & septem concurrentia in denarium ductum in vnum. tūc rationes se aperient veri & vnius Dei, immensi, Omnipotentis, æterni, transcendentis quidquid summi in omni virtute, ac potestate esse possit. quæ quidem inueniunt suam demonstrationem in Deo trino & vno, & in eiusdem septiformi spiritu, & in denario perducto in vnum. tunc necessario cognoscetur Deus, vt sit Deus, hæc in se esse oportere, quæ Diuina scriptura nos docet de Patre, Filio, & Spiritu Sancto, & de Spiritu septiformi. Fideles cognoscent, dum Deus se ita declarauit, Patrem, & Filium, & Spiritū Sanctum, & operantem per Spiritum septiformem in Ecclesia; quomodo homo (quod is creatus sit ad imaginem, & similitudinem Dei) per tres status, septem ætates, per virtutem Patris, & Filij, & Spiritus Sancti in opere Spiritus septiformis debuerit perducī ad vnum Deum, cum quo vitam æternam haberet. Hæc & alia oporteret tractare, vt pateret ratio trini, & septeni numeri, de quo quæreretur. quæ quidem essent ultra munus mihi datum, & superant vires meas. erunt autem hæc requirenda ab his; qui mente compræhenderint omnem rationem decem enumerationum, quæ dicuntur Sefhiroth: siue quæ sunt septem Angelorum, qui sunt ante Thronum Dei, ante Thronum Dei conspiciant. Ego vt ostendo opera Dei Patris, & Filij, & Spiritus Sancti in tribus statibus, ita satis mihi erit ostendisse opera deinde septena Spiritus Sancti in septem ætatibus. vt secundum hanc rationem cap. primo Apoc. d. Spiritu Sancto septiformi egimus. & illa erunt cum his conferenda, & hæc cum illis.

2. *Et vidit Deus lucem, quod esset bona, & diuisit Deus inter*
f lucem

lucem & inter tenebras vocauitque Deus lucem diem, & tenebras vocauit noctem. Narrationi, & rei effectæ additur expositio, & commendatio. bonum nuntiatur, quod fecit Deus, & distinctum sua præstantia, & insigne suo certo nomine: atque terna commendatione proponitur nobis cõtemplandum, & expetendum. Sed de his fuit doctorum, & prædicatorum munus differere, quæ pertinent ad expositionem historiæ rerum, quas conspiciamus creatas. Quæ autem nobis videtur hoc tempore pertinere ad capita, in quibus continetur summa historiæ rerum futurarum in mundo, in medium afferimus diiudicanda à viris Euangelicis. Quoniam Deus est æternus, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus; omniaque sunt illi præsentia: quiaque ad rationem creati vniuersi fecit Deus, quæ egit in mundo, vt principia continerent media, & finem: & hæc tria mutuo se contineant, & explicent, ex doctrina Euangelica, & Prophetica est nobis expositio afferenda, vt & Euangelium, & Prophetiam in Mose recognoscamus. Quamobrem cum dicitur. & dixit Deus sit lux, & extitit lux: atque hîc dicat Paulus, fuisse illustrata corda nostra, vt in Christo cognoscere-mus scientiam charitatis Dei, ea videtur interpretatio afferenda, vt vnum Deum cognoscamus, qui illuxerit in cordibus nostris: atque hunc Deum, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum. ita enim nobis Deus est declaratus & datus in opere Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. quod vt ostendat Diuina scriptura per repetitionem ostendit Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, & in nomine vno Dei vnum Deum. ergo vnum Deum intelligimus, qui illuxerit in corde Abrahamæ, & in corde omnium fidelium. Verum vt Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum cognoscamus; repetitur adhuc ter Deus. & vidit Deus lucem, quod esset bona, & diuisit Deus inter lucem, & inter tenebras vocauitque Deus Lucem diem, & tenebras vocauit noctem. In his tribus mem-

membris, & in terna repetitione nominis Dei tres status existimamus significari, & opus Patris, & Filij, & Spiritus Sancti: statum promissionis & Legis, statum Euangelij, statum apertæ Prophetiæ. hac autem ratione repetendi nominis DEI, vt signarentur tres status Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, vtitur Moses in omnibus suis scriptis; atque eam secuti sunt Prophetae, & alij, qui scripserunt tempore Legis opera DEI in suo populo. Cognoscitur sæpe institutū scriptoris Diuini Verbi in ea repetitione, dum in membris sententiarum opera distincta Patris, & Filij, & Spiritus Sancti exponuntur, aut significantur: vt in tribus membris propositis, in quorum primo significatur Pater, & eius opus, & primus status: in secundo Filius, & eius opus, & status secundus: in tertio membro Spiritus Sanctus, & eius opus, & status tertius. Dum enim vidit Deus lucē, quod esset bona; Fides & illustratio Diuinæ bonitatis, & charitatis fit in corde filiorū Abrahæ, vt sciant quænam à Deo sibi sint donata, quæ statuit ante mundum, & ab initio mundi quæque promisit in mundo Abrahæ, & eius femini, septem enim promissiones factæ sunt Abrahæ, & eius femini: in quibus septena bona voluit & statuit Deus credentibus exhibere; quæ dona exponentur in promissionibus. Dum diuisit Deus inter lucem, & inter tenebras, significatur cum diuisio circuncisorum ab incircuncis, tum Christus DEI Filius, qui venit, vt fieret Iudicium mundi: vt separarentur filij lucis à filiis tenebrarum, poneret in terra gladiū: Ecclesiam Dei constitueret in se ipso: Satanæ regnum à suo secerneret: firmaret in credentibus lucē, suū bonum illis à Deo donatū. quod bonū est Euāgelium in mūdo promulgatū, & maximè significatur separatio mulieris vêtitæ Sole à Papatu. Dū vocat Deus lucē, diem, & tenebras vocat noctē; significatur status tertius Spi-

ritus Sancti, in quo aperiuntur omnes Diuinæ scripturæ; præstantur promissa Dei in septem ætatibus mundi: aperiuntur mysteria omnia. vnde vocatur status ille mundi dies. initio aperit Deus se ipsum, & sua opera, & verba: aperitur omnis veritas ubiq; ac simul aperiuntur omnia opera Satanae quæ sunt nox, quòd deducant ad inferos Fide destitutos. talia in tribus statibus contemplari poterimus cõsignata in illis tribus membris, vt in vno Deo cognoscamus Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum. Et quoniam primus status tributus est Patri, & etiam tres primæ ætates, quæ continentur sub illo statu, videntur tributæ Patri: imò verò vt prima ætas, quam nunc exponimus, ostensa est cõprehendisse tres status, complectetur & septem ætates cõprehensas tribus statibus. ea enim est ratio Diuini Verbi, quemadmodum dicebamus, vt eius lux veluti lumina cœlestium attingat, & illustret totum complexum temporum mundi. Vt autem vidimus lucem Diuinarum promissionum in Christo donatam Abrahæ per Fidem, etiam videmus idem lucis lumen splendorum suum fundere in omnes credentes vsque ad finem mundi. quam sententiam significauit Deus cum suam promissionem produxit in omne semen Abrahæ. ac vt in tres status ostendimus productam illam lucem, etiam separatim ostendenda est in tribus ætatibus primi status, & in alijs: Quamobrem tria illa membra, vt deducta sunt ad ostendendos tres status, ita ad tres primas ætates erunt reuocanda. vidit ergo Deus lucem bonam ætate prima: quia in Christo statuit benedicere, & beatos facere omnes credentes. ætate verò secunda data est Lex, vt dicemus in expositione diei, seu ætatis secundæ, in qua separauit Deus filios lucis, familiam Abrahæ in duodecim tribus deductam à cæteris gentibus sine Fide, & cultu Dei viuentibus. omnia enim quæ sunt in Lege referunt Christum, in quo expiantur peccata, & in quo quæ pro-

missa

missa sunt Abrahamæ, præstantur, ætate autem tertia, in qua Prophetæ nuntiant, & exponunt primum & secundum Adventum Christi iudicantis orbem, aperitur, quinam tandè sint veri filij lucis & qui filij tenebrarum; & Regnum Dei constituitur, et status Regni Dei vocatur. Quod iam diximus de tribus primis ætatibus, idem intelligendum est de quarta, quinta, & sexta: de quibus dictum est, quando dictum est de statu secundo Filij: in quo hæ reliquæ ætates compræhenduntur. de quarta dictum est, quando dictum est de Adventu Christi, & de prædicatione Evangelij, in quo est vis omnis ipsius boni, quod in luce vidit Deus. quinta suis locis ostendetur respondere secundæ, & sexta tertiæ. in tertio statu videbimus/quæ sunt primæ ætatis, & omnia diuina dona, & munera confluere in ætatem septimam. atque hanc lucem splendere in omnibus ætatibus mundi. Ex hac iam doctrina æternam, & perpetuam, & eandè virtutem Dei cognoscimus in beandis omnibus omnium temporum, & ætatum credentibus. cognoscimus vnum Deum, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum: Filium & Spiritum Sanctum in Patre: in eoque Filium Deum, & Spiritum Sanctum Deum. quia in statu Patris cognoscis Filiû, & Spiritum Sanctum cum Patre datum. hinc Theologi ratiocinabuntur de Patre, & Filio, & Spiritu Sãcto vno Deo. quia cum quaterrepetitur Deus, signatur vnus Deus, Pater, Filius, et Spiritus Sanctus: atque Pater, Filius, et Spiritus Sanctus vnus Deus cognoscimus tandè falsos fuisse omnes Deos gentium: falsos omnes cultus, præter eum, qui fuerit Patris, et Filij, et Spiritus Sancti, dum tales non fuerunt, qualis fuerit is, qui in Diuino Verbo describitur Evangelij æterni.

Et fuit vespera & fuit mane dies vnus. ex tenebris, et ex luce, hoc est, perseverante statu impiorum coepto in Cain

à tempore Abrahami, & à constituta familia filiorum Dei in eodem Abrahamo, & perseverante illa usque ad Mosè, extitit prima ætas: tamen eadem tenebræ impiorum perductæ sint usque ad finem sextæ ætatis. dies perpetua deinde consecutura sit usque ad finem mundi. Et hîc patet ratio, quare prius vesper, siue nox sit posita, post dies. quia Moses intuitus est narrationem rerum futurarum: & voluit multa signa afferre sui instituti, atque posuit noctem ante diem. quia fuerunt ante promissionem tenebræ, & semper è tenebris fuimus vocati ad lucem. Abraham è terra sua, eius semen, populus Israëliticus ex Aegypto; gentes è tenebris mortis, vt memorat Apostolus 2. Eph. & alibi. Et quod dictum est de primo die, siue de prima ætate, idem intelligatur de cæteris. quia in septem ætatibus vocati sunt filij lucis è tenebris in Regnum Dei. Est & illa causa, quòd tempus sex ætatum tributum est alia ratione totû tenebris, quòd in eo impij dominati sint: septima ætas tota tribuatur diei, vt exposuit nobis Esd. lib. 4. cap. 6.

6. *Et dixit Deus, sit Firmamentum in medio aquarum: & dividat aquas ab aquis.* Exponit Moses secundam ætatem. nam prima fuit promissionis cœpta ab Abrahamo. tempus quod antecessit, fuit dictum vulgò legis naturæ. de quo ante dictum est. secunda autem ætas distincta fuit à prima per nouum Dei Verbum prædicatum populo aucto ex semine Abrahami. nam Verbum, quod locutus est Deus Abrahamo, & Isaaco, & Iacobo, fuit promissionum. quod verò locutus est Mosi ætate succedente secunda, repetiuit, & confirmauit promissiones patrum, atque insuper addidit Leges, ceremonias, & statuta: quibus à Deo instituta Rep. Israëlitica, & populo Dei distincto à cæteris nationibus, nouus status publicus existeret eorum qui Deo credidissent, & se ei circuncidissent, & ei iurassent, eiusque tantum institutis viuerent. Propter Legem autem Diuinam, sub qua viuebant,

bant, & debebant omnes Deo circumcisi; & propter Ecclesiam, quam magnus populus conficiebat, firmamenti nomine, atque cœli significatus fuit populus ille, & status ille, ac ætas secunda. Nam Lex extēdebatur super omnem populum Israëliticum, ex quo cōstituebatur Ecclesia. Hinc signata est nomine firmamenti secunda ætas; quòd Lex firmaret sub se omnes Deo circumcisos, atque in se, & sub se cōtineret illos Dei Verbum, quod & nomine cœli, vocatur, in se tanquam stellas in cœlo fixas, & immobiles haberet; atque in Ecclesia, quæ & ipsa cœlū est appellata, concorporatos. propter igitur fideles immobiles in Lege Dei, atq; in eius Ecclesiam deductos, & dilatatos, et constabilitos, rectè videntur interpretati, qui nomen illud Rachia verterunt firmamentum, adducti fortè verbis illis Psalmi 104. qui tegit aquis coenacula eius, siue contignat superiora eius: rectè & qui verterūt expansionem, extensionem, & diffusionem; sicut illud eiusdem Psalmi. qui extendit cœlum veluti cortinam. proptereà quod super magnum & auctum populum se extenderit, et dilatauerit Lex Dei, & ipse Deus complexurus tandem sub se, et sua Lege vniuersum orbem. vndè Dauid videtur multiplicem vim vocabuli exposuisse, veruntamen proptereà quòd Rachia vocatur deinde cœlum, vertissè ego potius firmamentū. quòd in hoc intelligas expansionem, in qua sunt aliqua impressa, vt astra, in illa ipsam tantum dilatationem. Item quia in Rachia intelligimus aliqua impressa; intelligimus & quod separat aquas ab aquis; contrarium quoddam videtur in Rachia afferri, si vocetur liquidum. quia in liquido intelligimus id quod contrarium sit concreuioni, ni Rachia autem cognoscimus in expansione tale quiddam, quod habeat aliqua etiam in se impressa, quoque concreta separat. Vnde liquidum videtur contrarium signare, Dum autem dicitur hoc firmamentum extitisse, vt
esset

esset diuisio inter aquas, & aquas; significatur lege data Mosi fuisse distinctos Israëlitas ab omnibus alijs nationib⁹, inter quas prius vixerunt, & in Aegypto; vt iussi deinde sunt, separare se ab omnibus gentibus. quod quando non fecerunt, puniti fuerunt à Deo: vt historia sacra docet v-bique. id enim maximè exigebatur in Dei Lege, vt nihil omninò commune haberent, qui essent futuri populus Dei, cum illis nationibus, quæ non iisdem Dei institutis viuerent. Nam nomine aquarum populi sunt signati. quæ ergo aquæ dicuntur esse sub firmamento, sunt impiæ gentes viuentes extrà Legem Dei, ac sine illius institutis: vt qui sub Lege naturæ cupiditatibus inseruierunt. quæ autem supra, siue super firmamētum, sunt Legi Dei adherentes, & in quibus Deus habitat, & agit. vt significauit Dauid in eodē Psalmo 104. de his ait Paulus, nostra conuersatio in cœlis est. Quòd autem propter aquas illas duas firmamentum, siue expansio, & cœlum secundum historiam fabricæ mundi dictum sit esse aërem, siue locum in media regione sitū, vbi sunt nubes, & sit collectio nubium; ; intelligimus Mosē patrem Prophetarum voluisse inseruire interpretationi mysticæ, & aliud cœlum & firmamentum posuisse infrà cœlū lunæ, vt indicaret nomine cœli vocari, quæ infrà cœlos sunt, hoc est illos in quibus habitat Deus, & qui habitāt in loco Dei: quique Deo & cœlestibus rebus sunt addicti, & cum his coniuncti, vbi ipsi quoque sunt cœlum, & Deus habitator cœli. Hinc autem factum est, vt Deus pugnant & agens aliqua magna in Ecclesia sua, suamque præsentiam volens perspicuam fieri toti Ecclesiæ, nubem adduxerit super arcam: vt in libris Num. & Ios. quisque videre potest. atque cap. 19. Isaïæ & 14. Apocal. dicatur ferri & sedere super nubem, hoc est super suum populum & suam Ecclesiam pugnare, & prædicare. Hinc quoque est factum, vt Prophetæ locum hunc intuentes Mosi consi-

eius prædicationis Verbi in Ecclesia, item confictus bellicos inter populum Dei, ac impios signarint in concursu nubium, & ventorum; in imbribus, nimbis, tonitruis, fulguribus, fulminibus, grandine, & similibus: vt Psal. 18. inclinavit nubes, & descendit: caligo sub pedibus eius, & quæ sequuntur, & 50. ignis in conspectu eius excandescit, atque in circuitu eius tempestas valida: & 104. qui ponis nubem currum tuum; qui ambulans super alas ventorum à facie tonitruum 107. excitatur spiritus procellarum. & capite primo Ezech. Ecce ventus turbinis, nubes magna, ignis in medio eius, Christus dixit se venturum in nubibus cœli, quando pugnabit in exercitibus. Alia quoque quæ dicta sunt de cœlo posito pro Ecclesia, possunt huc transferri, quia firmamentum vocatur à Deo cœlum, idque vt ostendatur Deus habitare in nobis, & agere omnia in populo suo. & hoc debet esse planum nobis in constructo iussu Dei tabernaculo, ex eo, quod dicitur cap. 29. ver. 45. Exod. Deus habitaturus in medio filiorum Israel. item alibi in Mose, vt præteream, quæ dicuntur cap. 21. Apoc. de cœlo nouo, & de habitaculo Dei cum hominibus. de Deo habitaculo cum eis. & hîc pateat cœlum poni pro Ecclesia.

7. *Et fecit Deus Firmamentum: & diuisit inter aquas quæ sunt sub firmamento, & inter aquas, quæ sunt supra firmamentum & fuit ita.* repetitur factum firmamentum, vt Ecclesia Christi, & status Euangelicus constitutus à DEO pariter signetur, atque Legem continere Euangelium, & hoc illius veritatem.

Ei fuit ita. vt denuntiata sunt omnia à Deo, ita habuerunt sua euenta: vt fuit prædicationis, & Verbum Dei in promissione, & in Lege; ita extiterunt omnia, vt fuit Verbum Dei.

8. *Et vocauit Deus firmamentum cœlum.* Quoniam sæpè mentio fieri debuit de Die in Diuinis scripturis, significauit

tit ante Deus, quid per diem nobis aliquādo, & sæpè intelli-
 gendum esset, lux scilicet Diuini Spiritus lucens in cordib⁹
 fidelium, quos & filios lucis, hoc est, Dei facit. Similiter
 hîc vocat Deus firmamentum cœlum. quia qui firmi sunt
 in Lege Dei tanquam stellæ in cœlo visibili infixæ, in sede
 Dei permanserunt in æternum. vocatque Deus omnes
 credentes, & Legi suæ parentes cœlum. quod vocarit eos,
 vt à se iustificentur, sanctificentur, sint in Ecclesia, & ex Ec-
 clesia sua in qua saluentur. vocarit, & elegerit eos, non au-
 tem ipsi elegerint Deum, vt ait Christus. non vos me ele-
 gistis, sed ego elegi vos. Et hîc significatur vocatio Mo-
 sis, & totius populi Israëliti ex Egyptiaca seruitute in statum
 alium, vt sit populus beatus, & liber, cùm ille nil de tanto
 bono suspicaretur. idem contigit gentibus vocatis in Ec-
 clesiam Christi, Christianis vocatis in statum liberum. i-
 dem nunc nobis vocatis à seruitute Antichristi, & tyranno-
 rum in Regnum Dei, & Christi Iesu. In exponenda hac se-
 cunda ætate ter Deus repetitur, vt factum est in prima. vt
 signetur in Lege in qua continetur historia operis Patris;
 contineri, & Euangelium & Prophetiam: vt suo loco vide-
 bimus; consignari & opus Filij, & opus Spiritus Sancti cū
 opere Patris. & ita consignatur in Lege Pater, Filius, & Spi-
 ritus Sanctus. vnde sæpè terna fit repetitio in libris Legis à
 Mose nominis magni Iehoua. Et dum signatur opus Pa-
 tris in primo statu, Filij in secundo, Spiritus Sanctus in ter-
 tio; etiam signatur Filius, & Spiritus Sanctus in opere Pa-
 tris primi status: vt in primo die dictum est. Illud prætereà
 videtur quærendum, quæ causa fuerit, vt in alijs diebus
 Deus pronuntiarit bonum, quod fecerit: in secundo autè
 die non dixerit Moses. & vidit Deus, quod esset bonum.
 Nam firmamentum, & cœlum, & diuisio inter aquas, &
 aquas videtur fuisse bona. Si aduerterimus hîc significa-
 tam esse Legem, facile poterimus cognoscere Legem male-
 dice

dicere omnibus, qui non permanserunt in omnibus, quæ scripta sunt. unde affert maledictionem omnibus, quod benedictio non possit esse nisi in Christo: quia ex operibus Legis non fiet salua omnis caro. Si quæ sunt aliæ causæ, vt de numero binario non fausto, & de diuisione, dicant alij.

Et fuit vespera & manè dies secundus.) Hic significatur secunda ætas, & quæ dicta sunt de prima in die primo, huc erunt assumenda, atq; in tenebris intelligendi sunt quoq; infidi Israëlita.

9. *Et dixit Deus congregentur aqua qua sub coelo sunt, in locum vnum, & apareat arida: & fuit ita.*) Qui definiuit ab initio statuta tempora, statuit & tertiam ætatem, vt alias, quam & qualemnam vellet futuram, atque duplex opus constituit futurum ætate tertia: bella, quibus puniretur populus suus à gentibus, & ab impijs propter peccata in se admissa: item restitutio templi, & cultus Dei in eodem suo populo. Et quoniam sexta ætas respondit tertiæ, & hæc illi, illa eodem modo est quoque distincta, vt videbimus. per aquas igitur, quas iubet Deus congregari in locum vnum, vt appareat arida, intelligim⁹ Philistæos, & similes, Assyriū, Nabucodonosorem, hostes, & oppugnatores Israelitarū qui captiuū duxerūt populū Israeliticū. Itē in populo Israelitico impios, aduersarios Prophetarū, veritatis, & piorū. hic dicitur Psal 28. vox Domini super aquas. 43. omnes inundationes tuæ & fluctus tui super me transierūt. 45. comouebuntur, & turbabuntur aquæ. 69. intrauerunt aquæ vsq; ad animam meam; veni in profundum aquarū: eripe me e profundo aquarū, ne opperiat me fluctus aquæ. 88. tu dominaberis fluctui maris; tu cōpescis fluctus eius, dū eleuantur. In his locis omnino per aquas intelligūtur impij bella gerētes cōtra Dei filios, siue inimicitia ductos, siue à Deo cōpulsos ad castigandum suum populū. proprie alludit ad hunc locum

Jeremias cap. 5. ubi ait: Qui posuit arenam terminum mari præceptum sempiternum, & non præteribit illud: & commovebunt se, & non præualebunt: & intumescunt fluctus eius & non transibunt illud videatur locus Jeremiæ, & cognoscetur ibi interpretatio verborum Moſis. videatur & cap. tertium Abacuch, & idem cognoscet. plura loca non colligam, nec ea singula interpretabor. Satis sit rem indicasse. in tota propè scriptura inuenies loca similia, & quæ opus non habent interpretatione. quia ab aquis, & mari videbis fieri transitum ad personas, quæ nomine aquarum, maris, fluctuum, & abyſſi signatæ sunt, ac præter Assyrios & Caldæos signantur & impij in populo Hebræo. Sed illud aduertendum est, aquas poni pro impijs & pijs. ob quam rem ut hîc indicetur, de quibus aquis sit sermo, de impijs scilicet, dicuntur aquæ, quæ sub cælo sunt, congregari in locum vnum; atque impediri, ne demergant, & perdant pios, quos Deus castigatos tantum voluit.

Et appareat arida.) Hîc per aridam, quæ est terra separata ab abyſſo, & quæ fieri debeat fertilis, & plena rebus in se enatis; signantur pij, qui omninò separati esse debent ab impijs: nihil cum illis habere commune, ut Deus in ipsis fructus æternæ vitæ producat. pij sunt littus, & arena, quam ob præceptum Dei mare non potest pertransire. sunt terra illa quæ dat fructum suum Domino, sunt terra illa, de qua ait Deus in Ezech. cap. 36. gentes, & Edom posuisse terram suam sibi in hæreditatem, & ciecisse eam in direptionem: terram autem suam ita alloquitur in eodem capite. Ecce venio ad vos: & colemini, & seremini: item, & terra desolata erit exulta: propterea quòd fuit in desolationem in oculis omnis transeuntis. In eodem capite aduertere potes, ut terra ponitur pro omnibus pijs; sic partes quoque terræ, montes, & colles, & valles, et ciuitates poni pro hominibus pijs & impijs. inuenies partes aquæ, et illa quæ

quæ sunt in aquis, & earum profunda poni pro impijs. Inuenies & quæ in nubibus fiunt, & tempestates, signare quæ Deus agit in pijs, & in impijs: vt in Psal. 18. & in alijs multis, et in Prophetis, & in alijs scripturis quisque aduertere potest. *Et fuit ita.*) Continuit Deus Assyrios, Caldæos, ne perderent populum suum; excitauit Darium, & Cyrum, vt permitterent populo Israëlítico reditum in patriam, in suam ciuitatem, ad suum templum, & altare, & cultum: vt comprimit nunc conatus Papistarum, ne deleant Euangelicos, vt tandem hi liberati ab illis ædificent altare Domino, templum, & ciuitatem inuocando Ecclesiam Apostolicam, & Catholicam; cultum, & vitam Euangelicam. vt hæc initio dixit, & statuit Deus; sic sunt effecta, & tempore Prophetarum & nostro fient.

10. *Et vocauit Deus aridam terram, congregationem aquarum appellauit maria:*) Vocauit Deus lucem diem, tenebras noctem: firmamentum cælum, aridam terram, congregationes aquarum maria. quia Spiritus Sanctus scriptor historiarum Sacrarum voluit his vocibus vt, & hanc rationem tradidit Prophetis futura narrandi in rebus presentibus, nec verò vltra dicitur in alijs quatuor diebus, qui sequuntur, vt Deus, quæ fecit, vocarit aliquo alio nomine, sicut fecit in tribus superioribus. quia tertiam ætatem attulerunt Prophetæ, qui maximè rationem tractationis Mosaicæ in enarrandis futuris complexi sunt. Et quamuis in Euangelistis, & in Apostolis, & in Apocalypsi sit eadem ratio exponendi futura, & paulò etiam planior, tamen & Christus, & Apostoli, & Ioannes Euangelista assumunt Mosem, Legem, & Prophetas, quasi exponant, quæ in illis fuerunt nuntiata, deinde quarta, quinta, & sexta ætas respondent tribus superioribus, et in septimam confluunt sex priores. Vocauit item lucem diem Deus, vt ante dicebam: quia elegit nos, & vocauit in suum Euangelium, vt essemus filij Lucis: sta-

statuit ab initio, prædestinavit, ut ait Paulus, præfiniuit statuta tempora, & omnia quæ futura erant omnibus temporibus. ac ut prædestinavit, & statuit ab initio omnia, sic singula suis temporibus perfecit, & absolvit, tam quæ pertinent ad statum Ecclesiasticum, quàm ad Politicum: tam quæ fuerunt status impiorum, quam quæ ad statum piorum, & Evangelicum attinere vidimus.

Et vidit Deus quòd esset bonum.) Si spectetur opus Dei in concitando Philistæos, & alios; Assyrium, & Nabucodonosorem contra populum Israëliticū, ut duceretur hic captivus propter eius peccata, quæ memorant Prophetæ, quò corrigiretur, atq; ad Legem, & cultum Diuinū reuocaretur: si considerabitur vocatio Abrahæ, & promissiones: si quæ in Abrahæ semine acta sunt à Deo per Mosem: si quæ deinceps narrabuntur à Deo effecta in alijs ætatibus, si causæ, & fructus, quos Ecclesia & membra Christi perceperūt; cognoscemus quanta bona præstiterit nobis Deus, sentiemusq; qua ratione perduxerit nos in beatam vitam. Atq; dum vidit Deus, significatur charitas & bonitas Dei erga nos iam in ædificatione mundi, & ante mundum, qui iam tum proposuerat, & statuerat beatos facere credentes in Christo Iesu. quare & in Euangelio maxime apparuit bonū nostrum, atq; magis adhuc in Prophetia aperta hoc tempore ostendetur. hæc quidem sunt communia: aliæ causæ afferentur tempore Sabbatismi.

II. *Et dixit Deus, germinet terra germen, herbam faciētem semen, & lignum fructiferum facientem fructum iuxta genus suū: cuius semen in ipso sit super terram. & fuit ita.*) Secundū opus Dei ponitur, quod fecit in constituenda ætate tertia: instauratio scilicet Diuini cultus in populo Israëlitico, ædificato altari, templo, & ciuitate. de quo cultu, & de hoc toto opere dictum est in libris Esdræ. Quia iam duo opera significātur in hoc die tertio, siue ætate tertia: opus bellicū.

in quo captiuus ductus fuit popul^o Israëliticus, & Irestitutio ac restauratio Diuini cultus; Distinctio posita est separationis aquarū à terra, & fructificationis terræ. atq; bis, hoc est in utroq; opere, positū est: & dixit Deus; atq; in singulis operib^{us} additur, & vidit Deus, quòd esset bonū; vt omnia cognoscātur effecta & denūtiata distinctè antè; atq; antè mūdum prædestinata: nec quicquā fortuitò ac temerè euenisse, aut alium Deū, quam nostrum esse, qui nuntiet ab initio futura; ac vt nūtiavit, perficiat. nec creaturam aliquā præter Deum nostrū efficere omnia, & administrare mundum. Qui ergo efficit omnia, & duo illa opera peregit ætate tertia. Sexta die itidem duo opera similia ponuntur, vt antè dixi, quæ & à nouis Prophetis ætate sexta denūtiata fuerūt. atq; in fine sextæ ætatis, & in ingressu in septimam perficientur, vt dicemus quoq; in expositione sextæ diei, & ostendemus alibi, vbi agetur de secundo Aduentu. in quo primū prædicabitur iterum Euāgelium, vt innouetur Ecclesia; post sequetur iudicium, quod cœptum à domo Dei, conuertetur in Papistas & in omnes impios Euangelio non credentes prædicata Prophetia, & patefacta. vt in utraq; prædicatione Euangelij, & Prophetiæ cognoscas quare positum sit bis: & dixit Deus; & in utroque opere ter, & non quater positum est nomen Dei.

Germinet terra germen.) terra, quam præparauit sibi Dominus, iubetur germinare germen. quia Verbum Dei facit, vt omnia germinent. & vt facit, vt omnia germinent, sic facit vt omnes fideles in Ecclesia sua fructus edant filiorū Dei. & qui Deus operatur, & profert omnia initia in fidelibus bonorum operum, & præstantium munerum; is facit, & vt terra germinet. & qui initia operatus est Deus in fidelib^{us}, idem perficit in illis omnia. vnde additur herbam facientē semen, & lignum faciens fructum. Vt in herbis signantur credentes in populo D E I, & in Ecclesia; ita in

arboribus ministri Ecclesiastici, & Politici, atque maiora munera sustinentes. in quibus idem Deus operatur omnia: vt in fructibus, & frugibus terræ agit qui caritatem, et vilitatem annonæ certis temporibus, vt sibi videtur, adducit. Ac quòd filij Dei semen, quòd in se est spargant, & filios Dei multiplicent opere, & prædicatione sua: quòd maiora quædam opera quidam edant in Ecclesia; hæc operatur Deus in ipsis, atque ipsi pro statu suo futuro beato ea pariter operantur. de quibus ait Dauid Psal: primo. & folium eius non defluet, & omnia, quæcunque faciet, prosperabuntur.

12. *Et protulit terra germen, herbam facientem semen iuxta genus suum & lignum faciens fructum; cuius semen in ipso sit secundum genus suum & vidit Deus, quòd esset bonum.*) Vt Deus illa locutus est; sic facta fuerunt. de qua re ante dictum est. Deum ante nuntiasse omnia, et vt nuntiauit, postea effecisse. Sed hic videtur repetitione res, vt ita factum dicatur, vt dictum est: atque tertio repetitur tota res, quòd terra protulerit semen, herbas, & arbores, vt diximus, quòd testimonio Patris, & Filij, & Spiritus Sancti comprobetur contra Hypocritas Iudæos, & Pelagianos nostros, Patrem, et Filium, & Spiritum Sanctum operatos omnia in credentibus, quæ ad eorum salutem, & fructum, ac emolumentum Ecclesiæ pertinent. Item qui ita semper, & eodem modo operetur, sit Deus omnia in omnibus. item in operibus huius tertie ætatis, vt in alijs, comprobari in opere Patris fuisse opus Filij, & Spiritus Sancti, & in operibus septem ætatum Spiritus Sancti semper fuisse Patrem, et Filium. Quòd autem in herbis, germinibus, & semina ferentibus: in arboribus fructus producentibus signentur opera Spiritus Sancti, & munera præstantia in fidelibus, tota Prophetia docet. vt in Psal. primo, cap. primo. Ioelis. 11. Zacharia, & in alijs authoribus sacris. quorum non est vt colligamus

mus plura loca, cùm satis sit rem significasse. Ratio autem illa videtur esse, vt Prophetia signetur in plantis, arboribus, & fructibus, quia Prophetia nuntiat secundum Aduētum Domini, in quo innouabitur Ecclesia. & vt dicitur in Ezech. cap. 37. in Ioele cap. pri. & 2. & alibi sæpe, fructus vberes afferent pij cultus Dei, ac Christum caput suum imitabuntur. Atque illud hîc præterea est addendum in primo opere, quod diximus, tertiæ ætatis in membro scilicet illo. & vocauit Deus aridam terram, & in secundo in membro illo altero, & protulit terra germen; quòd eadem sententia sit in diuersis verbis: atq; vnus membri verba, explicent verba, & sententiam alterius, quia quæ vocasse Deus dicitur, intelligantur statuta, & denuntiata, & perfecta, vt dictum est: & quod terra dicitur protulisse germen, sit Ecclesia vocata, & iustificata, et perfecta in corpore Christi, in quo sanctæ effectiões producant fructus perfectos seminis Dei in singulis membris.

Et vidit Deus, quòd esset bonum.) Vt bonum fuit corrigi populum per seruitutem Babylonicam, ita bonum fuit instaurari in eo cultum Dei, & alia, quæ dicta sunt paulò antè, vbi dictum est, & vidit Deus, quòd esset bonum.

13. *Et fuit vespera & fuit manè dies tertius.*) Seruitus, in quam inducti fuerunt Israëlitæ per Nabucodonosorem, fuit vespera: manè fuit liberatio: item errata, & peccata Israëliitarum, & Dei contemptus fuerunt vespera, manè fuit cultus Dei restitutus in ipsis, & pietas. tenebræ fuerunt in omnibus gentibus sine pio cultu Dei: manè fuit populus Israëliticus, qui fidelis fuit in tota ætate tertia.

14. *Et dixit Deus: sint luminaria in Firmamento coeli, vt diuidant inter diem, & inter noctem, & sint in signa, & tempora, & dies, & annos.*) quarta ætas describitur, quam attulit Filius Dei factus homo Christus Iesus. Hæc ætas est illa, de qua dictum est, populus, qui ambulabat in tenebris, vidit

lucem magnam : habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis. de qua luce dictum est in Euangelistis, quando coepit Christus prædicare in terra Zabulon, & in terra Nephtalim. de hac luce ait Ioānes. & lux lucet in tenebris, & tenebræ eam non compræhenderunt. hinc coepti sunt passim vocari credentes filij lucis. de qua re non est vt plura verba faciam, & plurima loca è sacris Noui Testamenti voluminib⁹ in mediū proferā quæ in promptu sūt oranib⁹ legētib⁹. Et cap. 37. habes in hoc libro expositū. quid intelligendū sit per Solē, & lunam, & stellas, dū in patre, & matre, & fratribus Ioseph intelligis Christū, & Ecclesiā, & credentes. locum autem hīc vnum è contrario afferā ex cap. 32. Ezech. vbi significatur Romana Ecclesia, nomine quidē Ecclesia, palam autem futurum omnibus, ipsam esse sine Christo, sine doctrina Apostolica, dum dicitur, & operiam, cūm extinxero in te, coelos, & nigrescere faciam stellas eorum, Solem nube tegam, & luna non lucefcere faciet lumen suum. Vt iam Sol illuminat totū complexum cœlorum & ambitum totius terræ, ac maris ; sic Dei Filius est lux, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum; omnes inquam homines ab Adamo vsque ad postremum hominem in toto cursu temporum, ac seculorum. Luna est per se opaca, & lucem accipit à Sole. Ecclesia Apostolorum fuit opaca, & quicquid habuit lucis, id à solo CHRISTO habuit nato ex Maria Virgine. qui cum lucet in Ecclesia Apostolica, lucet in omnibus Diuinis scripturis, etiam illuminat terram, omnes, qui sunt status Politici. Stellæ in cœlo Ecclesiæ sunt doctores, & prædicatores, qui plurimis duces sunt, vt perducantur ad intuentiam, & suscipiendam lucem, & veritatē Filij Dei veluti stella ducebat Magos ad præsepe Christi. Ac vt Sol tenet medium locum cœli, & excurrit ad circulū Cancrī, & Capricornis

corni, sic Christus sem̄ ē Dei, in quo generantur omnes filij Dei, quarta ætate, quæ tenet mediū locum à prima ad septimā, apparuit in terris Deus & homo. qui quidem publica prædicatione nūtiatur in promissionib⁹ Abrahamæ, & absoluitur eius prædicatione ætate septima. qui Christ⁹ Iesus adhuc sua luce pertingēs Adamum conducit credentes ad finem vsq; ætatis septimæ, donec deferat eos in cœlū ad Patrem. veluti à polo ad polū eos perduxerit mundani cœli, è quo egressi ingrediātur in Dei altissimi lucem. In Christo igitur, qui apparuit in terris Deus & homo ætate quarta, quæ est media, vt dixi, inter primam & septimā, apertum fuit Verbū Dei, quod habuit Deus Ecclesiæ suæ in septē ætatib⁹ mūdi distinctis prædicatione ipsius Dei Verbi, aperitur ipse Deus credentib⁹, vnus Deus, Pater, Filius, & Spiritus Sāctus: atq; Spiritus Sanctus illis datur, aperitur illis salus & beata vita à Patre in Filio per opus Spiritus Sācti gratis oblata & donata. Christus ipse sua luce hoc lumen super credentes luces, ac splēdet. Ecclesia Apostolorū suscipit hāc lucē in primis: atq; eam deducit in omnes susipientes verbū Christi, doctores & prædicatores Euāgelici inter Verbū Christi & Apostolorum versantes distinguūt, & exponunt, quæ loquitur Christus suo ore, quæ in ore Apostolorum. hinc apertum fit Verbum Dei factum à Deo in septem Ecclesiis septem ætatum mundi. Hæc sunt igitur luminaria, quæ iussit Deus, vt essent in firmamento cœli, significata per illa, quæ in aspectabili cœlo videmus, per firmamentum intellexi Legem, & Synagogam ante cū de die secundo dicebatur, sit firmamentum in medio aquarum. Et quia Euangelium cōtinebatur in Lege, etiā Euāgeliū, & tempus prædicationis Euangelicæ, quando Christus, & Apostoli prædicarunt, significatur nomine firmamenti. per cœlum existimo hic quoque significari ipsam Ecclesiam septem ætatum eo tempore, quo C H R I S T I Lux allata est omnibus

Diuinis scripturis, legi, & Prophetiæ. quod nunc maximè apparebit, quando Iudæi, & sine fide gentes per prædicationem Christi Euangelicam cognoscet apertum Mosem, & omnes Prophetas, vt fuerunt aperti Ecclesiæ Apostolorum. vnde patres intuentes hanc quartam ætatem cognouerunt veritatem vmbrearum.

Et diuidant diem, ac noctem.) Qui venit Christus separare hominem aduersus Patrem suum, separare filios lucis à filijs tenebrarum, filios Dei à filijs Satanæ; statum attulit credentium: vitam, Leges, instituta, & mores distinctos ab his, quos secutæ sunt gentes sine Deo, aut non sub disciplina, & Regno Dei viuentes. Et qui attulit nouum statum Christus in Ecclesia, & in populo suo: in quo nouo statu Deo seruiretur, & pareretur; idem & ab ipsis gentibus distinctus credentes in familia Abrahami, vt intelligas semen benedictum esse Christum, in quo omnes omnium ætatum, qui Fidei Abrahamæ fuerint participes, benedicuntur. Ergo CHRISTVS est ea lux, quæ apparuit quarta ætate in mundo, & quæ illuxit prima ætate Abrahamo, ac eius femini. quæ attulit primum diem tunc, & tempore Apostolorum quartum. qui dies primus id circò fuit dies, quia illuxit luce diei quarti. vnde dixit CHRISTVS. Abraham vidit diem meum, & gauisus est. Debit antè semper esse distinctus dies à tenebris impiorum, vt fuit tempore Apostolorum: vt fuit, quando mulier vestita Sole secessit in desertum Papatu inuolvente tunc vbique in populis, & ciuitatibus tenebras, & afferente noctem, de qua dixit CHRISTVS. venit nox, quando nemo scit quo vadat. quæ nox & tenebræ maximè in secunda prædicatione Euangelij diuiduntur à die, & à luce Christi: & statuuntur oues ad dexteram, & hœdi ad sinistram. quæ autem dicta sunt in primo die de hac diuisione diei à nocte,

lucis à tenebris, ad hunc locum transferri possunt: & quæ hîc ad primum diem.

Et sint in signa, & tempora, & dies, & annos.) Quæ dicta sunt de ætate quarta, de Euangelica prædicatione, & de Ecclesia, deque doctrina Apostolica signata in luminariis; videntur hîc exponi consignata in munere luminarium mundi, nam Sol adducit nobis diem, & mensurat annum. in Sole, Luna, & Stellis dat signa Deus: in Luna facta festa decreta sunt: dies, qui vocabatur Solis apud gætes, nunc Dominicus appellatur, & affert Sol quoque festa solennia. Luminaria igitur sunt nobis in signa, quia Christus, qui est verus sol, & qui in se edidit signum signorum resurgendo è mortuis; ostendit, & patefecit nobis, quænam sint vera signa; quibus declaretur magna Dei potentia, potestas, & præsentia, & opus singulis ætatibus. nam Christus præstitus nobis Dei Filius patefacit præsentiam Dei, atque opus in Abrahamo, in cuius semine benedicendæ essent omnes gætes. signa quæ fecit Moses in Aegypto antè Pharaonem declarantur in Christo, dum liberauit nos à tenebris Satanæ, & gentium. de qua ratione dicitur sæpè in Prophetis. signa, quæ memorantur in Prophetis, sunt Christi, cuius gesta, & miracula narrat Prophetia. in Christo vidimus, quando venit in carne, innumera signa præter signum signorum. signum, quod vidit Ioannes mulieris amictæ Sole præter alia signa, memorantur in Apocalypsi, fuit Christi complectentis Ecclesiam suam. signa & opera alia sextæ et septimæ ætatis in Euangelio, & in Prophetia declarantur esse pariter Christi. Quamobrem dum luminaria dicuntur esse in signa in firmamento cœli, cognoscimus Christum Dei Filium, ut est lux in fidelibus, & in Ecclesiis septem ætatum; sic est, qui operatus est in Abrahamo cum Patre: siue per quem Pater operatus est omnia in ipsius Ecclesia. nam astitit Christus Deus exercituum Abrahæ-

mo, Isaaco, & Iacobo, & huius filijs in eis liberandis ab aduersarijs, & ab omni malo. astitit Mosi, & filijs Israël in liberatione à seruitute Aegyptiaca : astitit populo item Israëlitico actò in seruitutem per Nabucodonosorem. astitit pijs viris Euangelicis in consuetu diuturno pimum cum Iudæis, post cum tyrannis, post contra Antichristum, vt antè tulit de medio decretum Legis; liberauit nos ab ira, à Satana, ab aeterna morte, quando mortuus est pro nobis, & resurrexit, & ascendit in cœlum. Sunt luminaria in firmamento cœli in tempora : quia in Ecclesia, & populo Dei, cultus Dei, & festa solennia sunt instituta perpetua, in quibus recognoscerentur signa & opera, quæ egit Filius Dei in septem aetatibus mundi; gratiæ redderentur Deo, & in eius cultu salus fidelium compararetur. vnde quâdo sua signa & prodigia edidit Deus; sunt secundum conuersionem Lunæ, & secundum cursum Solis instituta festa solennia singulis scilicet annis, & certis annis, atque certis diebus Lunæ. in C H R I S T O autem veniunt omnia festa solennia, atque in Ecclesia perficiuntur : quòd in Christo & per Christum, in quo omnia sunt condita, sint edita prodigia; & beneficium salutis, ac summi boni sit in ea præstitum, & conseruatum, nunquam ei desitutum : cuiusque memoria aeterna in ea sit permanens. Sint luminaria in firmamento cœli in dies. Vt vna est cõuersio Solis diem conficiens; sic est Christus Sol Ecclesiæ egrediens ab eius initijs, & reuoluens se ad extrema eiusdem: ei siue vnum diem asserens lucis, quo compræhendantur omnia secula, dum eadem est reuolutio Solis in cœlo, & Christi illuminatio in Ecclesia : siue dies plures, quibus plura illucescant Dei beneficia in Christo allata Ecclesiæ; siue certos dies, quibus certa insignia opera Christi appareant Ecclesiæ præstita. vt benedictio in femine Abrahæ: vt liberatio ex Aegypto, & donatus status liber populo Israë-

fraëlitico: vt solennis promissio per Prophetas Aduentus
 Filij Dei; vt ipsa resurrectio Christi à mortuis; vt domina-
 tus Europæ datus populo Christiano: vt repetita Prophe-
 tia nütians secundū Aductū Christi in Spiritu; vt restaurata
 prædicatio nostro tempore, atq; innouata Ecclesia delecto
 statu Papistico. Ac vt Sol singulis diebus lucem suam in o-
 mnes terras diffundit, & nocte hæ non destituuntur eius be-
 neficio, ac virtute; sic Christus perpetuā vitam dat nobis,
 singulis diebus adest nobis, dans nobis panem quotidianū,
 & dū minimè oculis apparet, adest nobis præserte suo perpe-
 tuo erga nos beneficio, & præsidio. Illud hodiè, quo audiēda
 est nobis perpetuò Christi vox, adest omnib⁹ tēporib⁹ his, qui
 eius Regnum vocantur: atq; semper tum in publica magno
 quidē opere præstata Ecclesiæ salute: tum in priuatorum
 afflictionibus, & periculis inuenitur liberator Christus præ-
 sēns, & Præpotens quouis die, & tēpore. Suo autem quodā
 tēpore vocat singulos ad se, quos Patri offert filios, quos &
 corrigit, singulare aliquid in ipsis operatur ad illorum salu-
 tem pertinens, & ad sui, ac Patris gloriam. Hinc fit, vt dies
 ponatur pro anno, vt docet Prophetia, ponatur pro ætate,
 ponatur pro omnibus seculis. quia idē est Deus semper no-
 bis. quia dies Abrahæ fuit ei dies Christi, & dies Abrahæ,
 fuit dies omnium credentiū: & dies noster, qui iam se ostē-
 dit afferre omnes promissiones factas Abrahæ, fuit & A-
 brahæ. quia apud Deū nulla est distinctio, nec longinqui-
 tas temporis. mille anni apud DEVM sunt sicut vnus di-
 es, & vnus dies sicut mille anni. atq; dies septē, qui exponū-
 tur in hoc capite, sunt omnes dies Christi. Sunt luminaria
 in firmamento cœli in annos. vt cursus Solis perficitur sin-
 gulis annis circa Zodiacum, & complexum septem pla-
 netarum; sic CHRISTVS in sua Ecclesia singulis annis
 renouat memoriam, & opus DEI trium statuum, & se-
 ptem

tem ætatum mundi. opus trium statuum in Lege signatum fuit in tribus, festis solennibus, opus Patris, quod extitit in circuncisione, opus Filij in Baptismate, opus Spiritus Sæcti in apertione librorum. quæ sunt septem ætatum signata in septem diebus, quibus edebantur infermentata, pariter singulis annis peragebantur. Et cum hæc omnia fierent singulis annis, sunt quoque singulis diebus in filijs Ifraël, hoc est à credentibus, & inter credentes. quia annus pro die ponitur. Et quia annus ponitur pro die, & dies numero septeno distinguitur, sit vt multiplicato anno secundum distinctionem septenam diei, existat annus qui dicitur Iubileus. quando expleto cursu hoc dierum, & annorū, nouus dies, & nouus annus existat, nouum seculum signans nobis cœleste, quod in æternū peracturi simus in cœlis, prius tamē illud adhuc signās, quod peracturi sumus in terris, quodque dictum est Sabbatimus. quiaque ternus Iubileus in psalmis centum quinquaginta, & alibi nobis significatur; intelligimus in Christo nos habere iubileū à Patre, ab ipso Filio, à Spiritu Sæcto. Hoc est cum Patre, Filio, & Spiritu Sancto per ipsum Filium nos consecuturos vitam æternam donatam nobis gratis. quam semper spe possidemus.

15. *Et sint in luminaria in firmamento cœli, & illuminent super terram, & fuit ita.*) Distinctio temporum, & statuum & ætatum, & in his operum Dei in eius Ecclesia, & populo se patefacit in prædicatione Christi, & Apostolorum. vt primum Iudæi ex operibus, & doctrina Christi debuerint cognouisse Aduentum Messæ: atq; simul in Euangelio, & doctrina Apostolorum signa perspicua extēt & opera, & prædicatio, quibus patere possit omnibus secundus Aduentus Domini. Iudæos qui potuerunt aduertere ex doctrina, & operibus Christi Aduentum Messæ, nec aduerterunt, arguit Christus. vbi ait, Hypocritæ faciem cœli nouistis diuidicare, signa autem temporum non potestis? atque vt pri-

mus

mus Aduentus ætate quarta, & secundus septima patefit per Euangelium; similiter, quicquid lucis trium superiorum ætatum, & primi status Patris potuit esse patribus, omne elucet in Euangelio: atque futura tempora post Christum sunt consignata in Euangelio, in doctrina Apostolica, & in Apocalypfi. Præter distinctionem autem temporum hîc significatur in luce Euangelij contineri veritatem omnium scripturarum: in omnibus requirendum esse Christum: in omnibus contineri Euangelium: ad Christum omnia esse referenda, & ad Euangelium. ac Christus est lumen omnium scripturarum, & finis, ita est ipse lux in singulis omnium temporum credentibus, & in vniuersa Ecclesia. Et vt omnibus temporibus fuit ita lux credentibus, similiter ætate septima illuminabitur ab eodem vniuersa terra, vt tunc & ipsa Diuina scriptura futura sit lux omnibus sine tegumentis, & mens omnium sit illustrata vna luce Christi ad percipiēda Sacramenta Dei, & eius charitatem.

16. *Et fecit Deus duo luminaria magna, luminare maius vt præesset diei, & luminare minus, vt præesset nocti, & stellas.*) ætate quarta misit Deus Filium suum vnigenitum, vt & homo fieret, & esset ipse æterna lux, & vita omnium credentium, lumen omnium Diuinarum scripturarum, & veritas. atq; vt ipse est maius lumen, sic se effudit in Ecclesiam Apostolorum, atque etiam ante eos se trāsfigurauit, vt facies eius resplenderet, vt Sol: vestimenta eius alba apparuerint, vt nix. Dum illuxit in Ecclesiam Apostolicam, extitit & illa magnum lumen dealbata sanguine Christi. viderunt Apostoli, audierunt, & contrectati sunt, quæ alij Patres nuntiarunt, & fuerunt ipsi magna lux omnibus in Ecclesiā ingredientibus.

Luminare maius, vt præesset diei, & luminare minus, vt præesset nocti.) Christus est luminare maius: quod illuxit Prophetis & Apostolis, atque omnibus, qui Verbum Dei tra-

stauerunt, & pium cultum Dei obtinuerunt; atque ministri existentes illius, profuerunt in Dei populo. Verbum enim Dei, & eius veritas, & pius cultus est dies, cui omnibus seculis praefuit Christus. Ecclesia Apostolica est luminare minus, in quam illuxit Christus, ut per ipsam splendor ipsius Christi luceret inter gentes, quae fuerunt nox: & inter Hebraeos, qui fuerunt tenebrae sine cognitione Christi, alia ite ratione luminare maius est status Ecclesiasticus, minus Politicus, qui accepit lumē ab illo, ut sacerdotes à Christo. *Et stellas.*) Dedit Deus, & doctores & praeditos muneribus varijs Spiritus Sancti. qui suscepta doctrina Euangelica, & Apostolica eam exponeret alijs, & multis modis Ecclesiae inferuirt. qui enim docet plurimos veritatem Christi, sūt sicut stellae lucentes in caelo. in Ieremia cap. 44. sancti omnes certa ratione vocantur stellae: atque dū psalmo dicuntur stellae singulae numerari à Deo, & proprio nomine vocari, etiam electi omnes significantur, & singuli.

17. *Et posuit eas Deus in firmamento caeli, ut illuminent super terram.*) In Lege Diuina, in Euangelio, & in Prophetia extabit apertus Iesus Christus aetate septima. extitit aperta doctrina Apostolica; atque ita extitit aperta omnis Diuina scriptura, ita fuit firmata lux Christi supra eius Ecclesiam, ut peruentis nobis ad aetatem septimam, nusquam tenebrae priorum aetatum, & Papae Antichristi sint deinceps permansurae super terram; sed solum Christi lux, & eius Ecclesiae, ac omnium corpus Christi, siue Ecclesiam complementum. Et quia in luminari maiori & minori, & stellis signatur Christus, & Ecclesia, & ministri, & electi; videtur significari & Regnum Christi completum, quod apparebit in statu tertio, vnde additur.

18. *Et ut praesent diei, ac nocti: & dividerent inter lucem, & inter tenebras: & vidit Deus, quod esset bonum.*) non solum significatur Christus loqui in Paulo, & in caeteris Apostolis,

lis, qui sunt dies : atque Apostolos, & alios lucem veritatis Christi exhibere gentibus in tenebris versantibus, quæ sunt nox ; sed quia Euangelium, & doctrina Apostolica complectitur futura tempora, vt suo loco ostendetur, significatur quoque futurum, vt Euangelium, & doctrina Apostolica dominantur in terris. ac non vt superioribus temporibus versabuntur inter impios pij prædicantes veritatem in tenebris status Papistici, Turcarum, & cæterarum gentiũ ; sed dominatus, & administratio mundi erit penes viros Euangelicos, qui præcipiant tenebris, & eas expellant.

Et diuiderent inter lucem, & inter tenebras.) separabunt ætate septima, & distinguent in terris viri Euangelici, quæ erunt lucis ab his, quæ erunt tenebræ : non solum vt ante ostendentes discrimen lucis à tenebris, sed & eas amouendo. nam distinctio posita est in superioribus ætatibus, quæ tunc existeret à luce piorum, & à tenebris impiorum, dum dicebatur. diuisit Deus lucem à tenebris; diuisit; aquas ab aquis. at hîc dũ dicitur & diuiderent lucem à tenebris, non solũ stenditur distinctio, quæ fuit ætate quarta, quinta, & sexta; sed & expulsio tenebrarum ætate septima. nam tempore Apostolorum non habebatur status publicus Politicus. tẽpore Syluestri Papæ fuit quidem status populi Christiani publicus, & Magistratus; sed administratio fuit per tenebras Decretalium. at ætate septima Lege Dei administrabunt ministri Christi in luce Verbi Dei. vnde facta est & hîc terna repetitio rei, & terna repetitio nominis Dei: vt hîc quoque recognoscenda essent, quæ sunt trium statuum. Cognosceretur vnus Deus Pater, Filius, & Spiritus Sanctus : Pater, Filius, & Spiritus Sanctus vnus Deus : vbi D E V S quater repetitur.

Et vidit Deus, quòd esset bonum.) Quàm bonum fuerit Euangelium, quæ & quanta bona afferat, ipsa doctrina

Euāgelica, & Apostolica docet: & in his, quæ de hoc quarto die diximus, conspicitur.

19. *Et fuit vespera, & fuit manè dies quartus.*) Quarta ætas extitit prædicationis Euangelij, quo tempore & tenebræ Iudaicæ, & tyrannorum, & impiarum gentium extiterunt.

20. *Et dixit Deus, producant aquæ reptile animæ uiuentis, volatile uolet super terram ante faciem firmamenti cæli.*) Quinta ætas describitur, quæ duxit initium à Syluestri adoratione Romæ: et viguit tempore Caroli Magni in primis tyrannis Papæ. Deus enim, vt ostensum est in Osea cap. 1. & 2. dedit Ecclesiasticis statum Romanum post stragem martyrum: quo populo Christiano afflicto in persecutionibus Tyrannorum quies daretur & libertas sub Euangelio, dum Ecclesiasticis perseuerantibus in ministerio Verbi subigerentur omnes gentes Regno Christi. Ac requies quidē hæc quieti Israëlitarum datæ à Deo per Iosua. libertas hæc, & dominatus libertati & dominatui illorum: ætas hæc quinta ætati illi secundæ respondet: vt in libris Legis videbim⁹ historiam Papatus consignatam. Verùm vt Nadab, & Abiu filij Aaron obtulerant ignem alienum; sic fecit Papa cum Ecclesiasticis suis. vt populus ille conuersus fuit ad mores Cananæorum, & aliarum impiarum gentium, simiter fecit populus Christianus sub Papatu. Cum Israëlitz essent possessuri quietem perpetuam in institutis DEI obseruandis, deficientes à Deo impediunt beatum suum statum. Ecclesiastici quando Regnum Christi vita, & Doctrina firmare, & augere debuerunt, deficientes pariter à Christo, illud cum profitentibus nomen Christi Satanæ tradere conati sunt. quò regnarent ipsi cum Satana in populo Dei, non autem Christus: turpiter, ac flagitiose, non piè & sanctè uiuerent. Veruntamen DEVS vt narratur in Ieremia cap. 2. & in Osea cap. 2. auxit illos, dedit dignitates, & imperium, & copiam omnium rerum, quæ ad vitā
cuen-

tuendam, & ad commoda, & ad oblectationem pertine-
rent. qui iam orto Papatu permanferunt in cultu Euange-
lico, funt pisces mundi; qui facti funt Papæi, pisces funt im-
mūdi vt dicitur in Leuitico. Quòd iam per aquas signen-
tur populi, Apocalypsis, & Prophetæ docent: vt vidimus
capite 19. Ifaiæ: & 29 & 32. Ezechielis, & alibi. Distincti-
o autem aquarum, quæ funt suprâ firmamentum, & sub
firmamento, posita est ante, & hîc agitur de aquis in pri-
mis, quæ funt sub firmamento. quia Ecclesiastici facti funt
gentes, vt fuerant antequam Christū cognoscerent: quæ-
admodum docet Ifaias 63. & 64. aquæ istæ inferiores po-
nuntur & pro Ecclesiasticis, & pro populis in libidinem i-
dololatricam titillantib°, & simul contra Eāgelicos coniu-
rantibus. inter quos fuit tamen aliqui boni, quāuis obscu-
ri, & absconditi ob tyrannidem Papæam inundantem o-
mnia loca. Quòd verò signentur Ecclesiastici in primis,
& ætas quinta, docemur in Apocalypsi cap. 12. & 13 & ibi,
vbi è mari dicitur bestia ascendere. docemur in Iobo cap.
40. vbi Leuiatan ponitur pro Papa, & cap. 41. vbi Papa di-
citur Rex supra omnes catos magnos, & fortes. eundē vo-
cat pariter Leuiatan Ifaias cap. 27. vbi agit de Papa. do-
cemur passim in Prophetia, mare & aquas poni pro Eccle-
siasticis, & populis. Qui autem dicunt obscura esse hæc te-
stimonia, vt tota Prophetia; videant illi euenta, & cognos-
cent in his res ante obscuras, iam factas planas in Prophe-
tia. Quamobrem cum euenta patefactura sint omnibus o-
mnia, quæ significata sunt in Prophetis, nihil est, vt multū
immoremur in his, quæ futura sunt aperta omnibus suo tē-
pore. Sginificantur igitur hîc Ecclesiastici, & populi lu-
xuriantes in idololatria, & persequentes Euangelicos. hinc
Psal. 69. clamat Euāgelicus cruciatus ab inquisitione. Sal-
uum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vsque ad a-
nimam meam, & quæ sequuntur. Hinc Ionas, Christi &

Euangelicorum personam gerens, clamat. ceciderunt me aquæ usque ad animam: & quæ sequuntur. Verba deinde illa, producant aquæ reptile, indicant multitudinem Ecclesiasticorum impiorum, & populi Idololatriæ, nec solum pisces magni, & parui ponuntur, qui referant Ecclesiasticos varios; sed in reptili intelliguntur simul alia animantia, quæ repunt: ut eruca, locusta, bruchus. quæ signant Ecclesiasticos Papæos insinuantes se in ministros Ecclesiæ, ut eam deuorent; ut dictum est cap. primo Ioëlis. Quod iam & pisces signent Ecclesiasticos, non est ut pluribus ostendatur: ante de Leuitan, & cetis dictum est, de piscibus generatim ostenditur Psal. 8. & cap. primo Sophoniæ: & 16. Ieremiæ, & alibi in Prophetia. Et quia boni & mali inueniuntur ex Ecclesiasticis, & ex populis, cap. 11. Leuitici distinguuntur, ut malos caueas.

Et volatile super terram super faciem firmamenti cæli.) dicitur in Esdra. Ex omnibus creatis volucris nominasti tibi columbam unam. ergo & volatile signat homines. ut columba, & turtur pios: bubo, & multæ aliæ volucres, impios. Et quoniam malæ uolucres se ostenderunt in Papatu maximè rapiendo bona pauperum, & interficiendo, & edendo eorum carnem, & bibendo sanguinem; in Daniele volucres signant aulicos Ecclesiasticos & Politicos, atque horum imitatores, ut ibi ostensum est. cap. item 38. & 39. Iobi exponitur hic locus Moysi. item psal. 8. Quod dicitur super terram sub firmamento cæli, exponitur in arbore, quæ vidit Nabucodonosor pertingentem cælum, & eius aspectum & omnem superficiem terræ: Regnum scilicet Papisticum, quod obtinetur à Papa, & à Tyrannis, sub quorum tyrannide infinitus numerus principum, aulicorum, priuilegiatorum, titulorum, ut aiunt, vastant & deuorant Dei populum, Christianique perdunt Ecclesiam. cap. eodem 11. Leu. in volatilibus pennatis moneris, ut fecernas te ab aulicis raptoribus.

21. *Creauitq; Deus, Cetos magnos & omnem animam uiuentem repentem, quam repere fecerunt aquae secundū genus suum: & omne volatile alatū secundum genus suū. & uidit Deus, quod esset bonum.*) vt statuit & pronūtiavit Deus, vt daretur locus Antichristo antequā Christus restitueret Regnum Israē: iticū, ita euenit, & factū est, vt regnaret Papa Antichristus, & Cardinales & Prælati magni pariter Antichristi, vt ita pobarentur persistentes, & non persistentes in Fide Euangelica. hi autem Antichristi cū in alijs locis, tūm cap. 1. Abacuch describuntur

Et omnem animam uiuentem.) Et multa gênera presbyterorum, monachorum & monacharum extiterunt, quæ enumerare non est necesse, cū id præstiterit historia. uiuūt illi omnes ex bonis CHRISTI, lasciuiantes inter eā cū populo in sua idololatria quæstuosa. *Et omne volatile alatū secundum genus suum.* hīc mihi difficile esset recensere aulicos Papæ, & ministros, vt etiam Forbicularios, vt vocāt. habeat: memorare Cardinalium, & aliorum Cetorum familias: deinde iudicia Ecclesiastica varia, in quibus sunt ipsi iudices, aduocati, doctores, scribæ: & multitudo ministrorum: vt præteream aulas regias, & Magistratus Politicos, in quibus ministri pro se, & pro tyrannis diripiunt vndique. & in volucris tamen intelligendi quoque sunt pijs absconditi cauentes vngues rapaces. *Et uidit Deus, quod esset bonum.* Quamuis mala multa illata sint Ecclesiæ, & membris Christi per impios; tamen id bonum fuit Ecclesiæ, & pijs qui in afflictionibus facti sunt perfectiores complentes passiones in corpore Christi, qui debuit in membris suis pati vsq; ad secundum Aduentum. Consilium id fuit Dei, vt omnia ita ageretur, vt ostendit ipse Deus in Iob. cap. 38. 39. 40. 41. quod consiliū bonum & salutare fuisse Ecclesiæ cognosceretur futuris temporibus, in tertio videlicet statu constituto, nam quæ Pater creauit, & quæ effecta sunt in Filio

Filio, sentientur bona Spiritu Sancto magistro fidelium.
 22. *Et benedixit eis, dicendo, Crescite, & multiplicamini & replete aquas in maribus, & volatile multiplicet sese in terra.*)
 Papa & Ecclesia Romana, & qui cum his participes sunt prædæ, instant jure se possidere, & agere, dū abutūtur bonis Christi, & Ecclesiæ, ac aiūt sibi ab Imperatore illa esse donata, & proferunt quandam donationē Constantini. quā rem exposuit Oseas cap. 2. & affert verba illa Ecclesiæ Romanæ. *Vadam & reuertar ad virum meum: quia bene mihi fuit tunc, magis, quàm nunc.* & ibi respondit Deus. *Et ipsa nesciebat, quòd ego ei dedissem frumentum, & vinum, & oleum; imò argentum quod multiplicaueram ei, & aurū fecerunt Baal.* Laurentius Valla falsam omnino ostendit donationem Constantini: vt intelligamus Verbum DEI hīc esse verum, quòd Deus benedixerit Romanæ Ecclesiæ, dederit ei tot bona, vnde factum sit deinde ab ipsa ibi Regnum Antichristi.

Hīc dicitur, & sexto & septimo die. *Benedixit Deus: quod ante non fuit dictum nec die quarto, quando in morte Christi, & resurrectione extiterunt fidelibus cœlestes benedictiones, siue omnes.* Ego existimo hoc esse factum, quia præteritis temporibus; & tempore Christi, & Apostolorum, & martyrum fuit magna persecutio Christianorum, & illa mala in Ecclesia, quæ memorant historiae. Tempore Syluestri, quando datus fuit finis laborum martyribus, voluit Deus præstare, quæ promiserat Abrahæ etiam in terris. nam septem extiterunt pollicitationes exhibitæ singulis septem ætatum: deditque ætate quinta Ecclesiasticis, & populo Christiano terras impiarum gentium, vt ipsis permanentibus in suo munere, & professione, afferretur Regnū Israëliticum: in quo beatè viueretur, vt promissum fuit ipsi Abrahæ patri credentium. Aucti igitur sunt profitentes nomen Christi in vtroq; statu, & obtinuerunt otium, libera-

tatem, & commoda, quæ solent in terris expeti consecuturi deinde æterna in cœlis bona. Quòd autem contrà euerit, repudiati sint à Deo, bellis sæpe vexati, ac nunc expellendi sint è terris, & è cœlis, factum est eorum culpa. Quòd autem impediuit Papa & Papistæ Regnum Israëliticum, & statum beatū tempore Papatus, restituit illud Christus fidelibus hoc tempore, vnde die quinto, & sexto, & septimo præstatur benedictio translata ab Esaü in Iacob, à Papistis in Euangelicos. Est & alia causa: quòd Deus est semper verus in suis promissis, etsi multi Papistæ fuerunt impij, & Christo aduersi: qui tamen resipiscunt nunc, & reuertuntur ad Christum; suscipiuntur ab eo, atque illis promissa præstantur, vt narratur circa finem secundi capituli Osee. Interea autem dum Antichristus regnat, est vnus Deus, est Pater, Filius, & Spiritus Sanctus vnus D E V S, qui est supra omnia, qui semen mulieris seruat, & custodit, dat & vitam his, qui sui sunt inter Papistas, & veram ac perpetuam benedictionem. dicitur enim hic, dixit Deus, ac perpetuam benedictionem. dicitur enim hic, dixit Deus, deinde creauit Deus, & vidit Deus: & benedixit Deus. de qua ratione dictum est ante.

23. *Et fuit vespera, & manè dies quintus.*) tenebræ Papisticæ & lux Euangelicorum: quæ extiterunt ab ortu Papæ tempore Constantini vsque ad decretale editum & vsq; ad Abbatem Ioachimum, fuerunt ætas quinta: vt cap. 13. Apocalypsis, & alibi cognoscere licebit.

24. *Et dixit Deus, producat terrā animam viuētem secundum genus suum, iumentum, & reptile, & bestias terræ secundum genus suum, & fuit ita.*) Quòd in animantibus signentur status hominum, & tempora, id patet in omni Diuina scriptura cap. 9. Gen. & præsertim in Lege cap. 11. Leu. & in Iobo cap. 34. 39. 40. 41. vt ante dictum est: & cap. primo. Sophoniæ: vbi dicitur: congregans homines & pecus, & volatilia cœli, & pisces maris: in Ieremia cap. 17. in Ioele in. Psā. 5.

& alibi sæpè. Quòd autem hìc signetur sexta ætas, patere quoq; potest ex verbis illis ipsius Dei in Iobo cap. 40. ecce nunc Behemoth, quem feci tecù, quando scilicet Papa ingressus est in apertã tyrãnidẽ, & latrocinium edito Decretali: factusq; est ipse Behemoth bestia magna terrestris, qui fuit antè bestia magna maris. vnde Leviatan, & Behemoth capiuntur sæpè pro eodem. nam propriè in Behemotho signatur magna bestia terrestris, in Leviatan magna bestia maris, vt in illa intelligendus sit tyrannus Politicus, in hac tyrannus Ecclesiasticus. Verùm tyrannus Politicus, & alij statuentes suo arbitratu de reb^o Ecclesiasticis ex Behemoth fiunt Leviatan, & Draco: vt vidimus in Apo. cap. 12. & Papa statuens de rebus forensibus, & de imperijs, atq; in his insistens, quæ sunt Magistratus Politici agere & administrare, ex Leviatan fit Behemoth. Locus autem ille Iobi probat interpretationem nostram, quòd ætas quinta & sexta sit status alius, quàm fuerit initium mundi, quando creatæ sunt belluæ, & quàm fuerit natalis Iobi: & quæ in Iobo tractantur, inueniuntur pertinere ad inquisitionem.

Iumentum, & reptile, & bestias terra.) per Iumentum intelligo Papam, vt dixi, & sui similes tyrãnos: per reptile Papistas Ecclesiasticos: per bestias magnos, & paruos Politicos.

25. *Et fecit Deus bestias terra, secundum genus suum: & omne reptile terra secundum genus suum. Et vidit Deus, quod esset bonum.*) Vt tempore Legis extiterunt mali sacerdotes; sic extiterunt in primis mali Ecclesiastici tempore Euangelij, quemadmodum ab initio nuntiarat Deus futurum. extiterunt mali sacerdotes; extiterunt autem multa genera, eorù, qui à munere Ecclesiastico recesserunt; atque gladium vibrare voluerunt; iudicia constituerunt, hoc est Ecclesiastica iudicia forensia, forum Ecclesiasticum: se Reges, & tyrannos

nos præbuerunt in populo Dei. Papa, Cardinales, Episcopi, Archiepiscopi, Patriarchæ, presbyterorum multa genera, magni & parui rapinæ studuerunt. quidam principes, & dominos se vocant, quidam iudices, quidam ministros in iudicijs varijs appellationibus. quorum multa fecerunt generadiripientiũ, & opprimẽtium populũ Dei multis modis, & variẽ. accesserũt & Monachi se insinuantes in easdem bestias, priuilegia obtinentes à Papa : vt incommodis aliorũ cõparent sibi sua comoda, aliorumq; laboribus viuerent. atque nomine deinde inquisitorio fiunt ex ipsis carnifices in Magistratu Papæo, & grassatores, Hic bestias vidit Daniel, Iohannes, Zacharias, & alij, & illas insurgẽtes cõtrà Euãgelicos.

Et vidit Deus, quòd esset bonum.) Iudicium, quòd cœpit à domo Dei, est peractum per Antichristum, & per Bestias, quas dixi, maritimas, & terrestres. vnde extitit probatio & corona piorum, qui cum Christo patientes, cum Christo magnificãtur. Venit secũdò Christus, vt expellat Antichristum, & restituat Regnũ Israëliticum. erit hic campus magnus commemorandi bona alia data his, qui in innouata Ecclesia concionabuntur, & scribebunt. ter repetitus est hic Deus, vt in secuudo die & tertio in diuisione aquarum; & alibi pluries, vt post videbimus.

26. *Et dixit Deus, faciamus hominem ad imaginem nostram, secundum similitudinem nostram, & dominantur piscibus maris, & volatili cœli, & in iumentũ & in omnẽ terram, & in omne reptile reptans super terram.*) Vt in tertio die diximus duplex opus tractam : populum Hebræum castigari à Deo per Nabuchodonosorem, & cultũ piũ restitutum eisdem pœnitentibus; similiter in hoc sexto die duplex opus ostenditur: bellũ Papistarum & inquisitorum cõtrà Euangelicos, atque Ecclesiæ innouatio. quæ cùm atate sexta nuntiantur futura, etiam incipiunt fieri in his, qui Prophetiæ credunt, & ad Verbum D E I redeunt relictò Papa, vitamque innouant

ad formam Euangelicæ. & tunc fuit illa magna innouatio in his, qui dicti sunt Albigeri. Vt autem omnia conductur in ætatem septimam, & quæ sunt promissionis, & quæ sunt Legis, & quæ sunt Prophetiæ, & quæ sunt Euangelij, & quæ sunt doctrinæ Apostolicæ, atque Apocalypsis; ita quæ sunt denuntiationis sextæ ætatis perueniunt ad septimam; & quæ lucis sunt sextæ ætatis, cōstituunt pariter septimam. illud quidem verum est, modicis inijs progredi opus, atq; augeri semper eius progressus vsque ad constitutam septimam ætatem, & statum tertium, vt Prophetia docuit futurum. Ergo in bestijs superioribus significantur varia genera Papistarum ex Ecclesiasticis, & ex statu Politico - qui erecto iure Decretalium vim intulerunt populo Dei, & morte mulctarunt Euangelicos, maximamque stragem fecerunt Albigerorum. In creatione autem hominis sexto die significatur innouatio filiorum Dei tertio effecta sollemniter per solennem aduentū Spiritus Sancti: denuntiata quidem, & coepta in Albigeris per prædicationem nouorum Prophetarum, perficienda nunc ætate septima in omnibus filijs Dei, Spiritui Sancto, & Euangelio, & Prophetiæ credentibus. Ac dum ita loquimur, non dicimus omnia, quæ ad nostram salutem perfectam pertinent, non fuisse data in prima prædicatione Euangelij per Christum & Apostolos ætate quarta. nam & Iudæi ante Aduētum Filij Dei in carne salutem consecuti sunt. quia & Abraham vidit diem Christi: & ostendimus in singulis sex diebus opus Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. vnde omnibus temporibus salus extitit perfecta omnibus credētibus. Verū ostendimus, quod opus fuit omnium ætatum Patris & Filij & Spiritus Sancti, illud declaratum publicè, & vulgò, & solenni prædicatione, & portentis, ac miraculis singulis ætatibus magis, ac magis, præstitisque bonis maximis, perfectis Diuinis operibus in Ecclesia, & in certis Dei seruis: per-

du-

ductaque eadem Ecclesia in singulis statibus aucta fidelibus, & cognitione, & virtutibus Diuinis quasi per diuersas stationes, & gradus ad maiorem amplitudinem, & à gratia ad gratiam, vt loquuntur Apostoli, donec vniuersa vniuersum terrarum orbem ambiens, & in se contrahens, perueniat in æternam cœlestem patriam. atque hæc dicta sint propter illos, qui nulla cognitione, nulla virtute se augeri volunt in Prophetia aperta, & in secundo Aduentu Domini. vt Iudæi, qui præter Legem nullum Euangelium audire voluerunt, tametsi in illa promissus esset Christus. Sic quidam nolunt audire Prophetiam, quamuis se venturum Christus secundò in ea promiserit: recusant suscipere duplicia de manu Domini: contenti esse volunt donis Patris, & Filij, respuunt quæ dabuntur nunc per Spiritum Sanctum. gloriam Patri tribuunt eorum quæ egit in primo statu, gloriam Filio tribuunt eorum, quæ gessit in secundo: Spiritui Sancto adimunt nunc suam, qui tam magna, & tam admirabilia nunc operatur. volunt se contineri in Euangelio, & quæ Euangelium nuntiat, & promittit, rejiciunt ac respuunt. Quod verò solènter, & magno opere sit facta tẽpore Abbatis Ioachimi denũtiatione de secundo Aduentu Domini, & de innouatione, id constat per scripta Abbatis eiusdem, & aliorum, & ex historia de Albigeris. quæ conuersio tunc facta fuerit populorum ad Euangelium, & quanta multitudo defecerit à Patru, & quæ contentiones, & bella fuerint; aliqua quamuis obscura restat adhuc tamen memoria. Nam Papa cum principibus fecit tunc principum, & populorum magnam internicionem: atque in ea re laborarunt, vt omnem memoriam prædicationis illorum tẽporum tollerent, & scripta comburerent. quod itidem & hoc tẽpore moluntur. Non obtinuit tunc prædicatio, quia quattuor centum anni erant expectandi vel circa, vsque ad ipsum secundum Aduentum Domini, quod tẽpus responderet tẽpori à Prophetis

phetis vsque ad Christum; tempus ætatis tertie temporis ætatis sextæ. tempore Prophetarum fuit captiuitas, deinde vsque ad Christum bellum cum impijs, & Antiochis: eadē fuerunt à persecutione Albigerorū vsq; ad secundum Aduentum Domini. & hinc apparet ratio duplicis operis tertio, & sexto die peracti. Ac his positis, quæ ad historiã mysticam pertinent, iam ad Mosē redeamus. Dicimus in hac creatione hominis sexto die (quandoquidem historiã hanc rerum creatarum suscepit Mosēs, vt in ea consignarentur statuta à Deo tempora) significari innouationem hominis ad similitudinem Dei tertio peractam in Ecclesia, siue dicas regenerationem in Dei filios, primùm in promissione innouati sunt credentes ad imaginem & similitudinē Dei, ac renati ex semine benedicto. innouati sunt & in prædicatione Euangelica ex aqua, & Spiritu Sancto renati. renouantur tandem nunc in prædicatione repetita Euangelij, aperta Prophetia per Spiritum Sanctum suscipientes Patrē, & Filium. Vt enim in vno homine fumus omnes mortui, & terra inanis, & vacua; sic in vno homine Christo Iesu resurreximus omnes credentes omnibus ætatibus in nouum hominem secundum Deum creatum. At vt historiã retineamus in verbis Mosēs, creatis cæteris creaturis creatus fuit homo ad imaginem, & similitudinem Dei. & dum dicitur, faciamus, Patrem intelligimus, & Filium inspirasse Spiritū vitæ in hominem, quem formauerant. Antè dictus est semper, Deus dixit, Deus fecit: hinc verò dum creatur homo ad imaginem & similitudinem Dei, ait Deus, faciamus. doctores antiqui catholici exposuerunt nobis illud faciamus secundum rationem Euangelicam. persequamur verò nos expositionem reliquam. Et quoniam Filius est imago expressa Patris, in quo condita sunt omnia, in quo sunt omnes Diuini thesauri, estque ipse vita omnium; inspirata est vita Filij Dei in hominem, & è semine quod est DE I, Christo factus

tus est Adamus mente, & corpore præditus. vt enim Christus imago Patris est. thesaurus, è quo omnia spiritualia & corporea deprompta sunt; sic in ipso intelligentia, & immortalis mente, vt Angeli, est creatus homo, & corpore mortali, vt cætera animantia in terris. mens ergo & spiritus hominis, est imago Dei manās in nos à Christo, in quo impressa est substantia Patris. mente ergo & imagine Diuina existente in nobis, cōtemplamur Deum, & omnia, quæ creauit Deus; Verbum eius percipimus, & ratiocinamur quæ sunt DEI, vt illius voluntatem & sapientiam contemplemur: efficitur eius imitatores in omni opere & actione, quæ nobis præcipitur. in eo enim imaginem DEI ostendimus in nobis, quando existimus contemplatores eius magnitudinis, voluntas nostra vna fit cum eius voluntate: in eum solum amor noster fertur, & in eos, qui eiusdem tantummodo sunt amatores: vita nostra, & actiones nostræ conformantur ad vitam, & opera Christi: vt quàm minus fieri potest, fit quid dissimile in nobis à vita Christi, quantum nobis datur ab ipso, vt hæc omnia obtineamus, dum pondere carnis circumuoluimur contendentes ad perfectionem, vt simus perfecti sicut Pater noster perfectus est: vt simus similes illi, & Christo Iesu. Adamus primus homo ita videtur fuisse creatus, vt nosset ipse, ita se esse creatum, eiq; fuerit prædicatum, vt crederet ita se creatum à Patre in Filio per Spiritum Sanctum ad imaginem DEI, & ad ea, quæ dicta sunt. Et quoniam initio dicebatur coelum creatum, siue coeli, id est vna omnium seculorum Ecclesia distincta in septem Ecclesias, etiam in illa, & in illis fuit Adamus, siue etiam illa tota, & omnes fuerunt in vno Adamo. quiaque in vnam Ecclesiam vocati sunt omnes geniti, & regenerati à DEO per æternum Euangelium; atque circumcisio venit cum Baptismate in eandem

eandem expoliationē carnis; videtur & Adamo fuisse prædicatum idem Euangelium in sui creatione: vt quæadmodum nos baptizati sumus in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti; sic ipsius creatio ter repetita ad imaginem Dei respondeat nostro Baptismati: nostrum Baptisma illius creationi: vtque quod recognoscimus nos in nostro Baptismate, cognouerit ipse in sui creatione, se in Filio Dei creatum ad Dei imaginem, vt sit filius Dei, vt viuat in aternū, ac vt perpetua esset in eo memoria suæ in Filio Dei creationis, & perseveraret perpetuò esse filius Dei particeps factus bonorum Filij Dei, positus fuit in Paradiso voluptatis, vt ibi frueretur bonis Christi, creatus in Christo, habens omnia in Christo. Verūm peccauit in Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum præcepto Dei non obediens: quæ habuit à Christo sibi assumens: & quæ essent in se Spiritus Sancti, sibi vendicans. vnde eiectō ipso è Paradiso, atque morti obnoxio facto, cū eo morti addicti fuere omnes eius posterij, in quo constituti fuerunt peccatores. Illi autem Paradiso Adæ respondet Christi Ecclesia, in qua datur vita æterna per Christum, in qua quidem Ecclesia peccauit Papa, & Ecclesia Romana ad similitudinem peccati Adæ, edentes de ligno scientiæ boni & mali, sibi tribuentes auctoritatem Dei, præscribentes decretalia, & leges populo Dei seruandas, vt Verbum Dei: edentes ex ligno in medio Paradisi posito: sibi vendicantes locum Christi, seu Christos se facientes in Ecclesia Christi: edentes ex ligno vitæ, sibi arrogantes Spiritum, quo viuunt fidelis, & habet vitam æternam. eodem modo peccatum est sub Lege, & peccatur nūc, dū serpens insidiatur calcaneo corū, qui sunt semē Christi, dum non adhuc ligatur Satan, vt dicitur in Apocalypsi 20. cap. pluribus autem dicere de creatione hominis, quæ respondeat Circumcisioni, & Baptismati: de Ecclesia, & Cœna Dominica, quæ respondeat Paradiso Adæ, & cibo, quo

vescebatur; erit eius, qui de Baptifino, & Coena Domini scribet. nunc hîc contemblemur creationem hominis, & regenerationem. Et quamuis secundum historiam literæ regeneratio in Christo tractetur post, tamen secundum ordinem Propheticum cùm coeptum sit dici de creatione primi hominis, simul omnium hominum credentium generatio & regeneratio assumitur à primo homine vsque ad postremum hominem. quòd hîc à nobis fieri debet. creato enim Adamo primo homine ad imaginé, & similitudinem Dei; apparet creatus à Deo in Filio per inspirationem Spiritus Sancti, vt in ea creatione fuerit Baptizatus in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. vt enim patres in Mose Baptizati fuerunt; sic superiores veniunt in idem Baptisma. atque dum ductus est in Paradisum voluptatis Adam, particeps factus fuit Christi vitam æternam omni credenti afferentis. Sed postquam peccauit, restauratus fuit per Fidé, vt seruaretur in Filio Dei, in semine mulieris conterente caput serpentis. Et quod factum est vno opere in vno primo homine, factum est deinde in vniuersa Ecclesia trium statuum mundi opere Patris. Filij, & Spiritus Sancti. nam circuncisione renati sunt omnes fideles credentes promissionibus, quòd benedicendi essent in semine sancto, pacta, quæ habuerunt cum Deo seruantes. toto autem tempore circuncisionis plurimi, vt ante Adamus, non steterunt patris. vt in fine status circuncisionis paucissimi fuerint inuenti, qui à Lege Dei non depræhensi sint recessisse. vnde cap. primo Oseæ terra Israël dicitur fornicaria, quòd fornicando fornicatus fuerit à Domino populus Israëliticus, defecerit à Deo ad serpentem. tum venit Filius Dei, regenerauit credentes, quos in hortum Ecclesiæ reuocauit, vt in ea haberent vitam æternam. dedit Ecclesiam post cædem martyrum liberam, dedit & Regnum Romæ, & alibi: dedit statum liberum Christianorum. in quo quidem statu initio

modicum tempus fuit permanſionis in ſœdere cum Chriſto & in obedientia. nam in dimidia hebdomada, vt ait Daniel, defecit ſacrificium, defecit Papa, & Eccleſia Romana à Chriſto ad ſerpentem. ederunt de ligno, vt paulò antè dicebamus: nec fuit vltra Eccleſia Romana Eccleſia Chriſti, vt ipſe Deus ait in Oſea cap. 2. ſed mulier veſtita Sole, quæ fugit in deſertam ſolitudinem, vt dicitur in Apoc. cap. 12. Initio autem ſextæ ætatis dum beſtiæ magnæ, & parvæ Pa-piſticæ occupabant ſtatum Politicum, & Eccleſiaſticum; voluit Deus eos, qui à ſe defeciſſent, eſſe eiectos è ſua Eccleſia, & Regno. voluit inſtaurare lapſum Chriſtianorum per Spiritum Sæctum, vt antè per Filium inſtauratus fuerat lapſus Iudæorum, & gentium; vti ſuperioribus ætatibus ſemen Abrahæ benediectum fuit à Patre in Filio per Spiritû Sæctum. Ergo mittit Deus novos Prophetas, Abbatem Ioachimum, & alios tota ætate ſexta, qui nuntient innouationem vitæ, reſtitutionem Eccleſiæ Apoſtolicæ, & Regni Iſraëlitici, ſtatum ad futurum Spiritus Sæcti, in quo regenerandi ſint omnes credentes, & reuocandi in Paradifum Chriſti. Ea ergo videtur eſſe ratio, quòd ter repetitur ad imaginem Dei creatus homo. primùm, quòd Adamus in expoſitione ſuæ creationis venerit cum omnibus credentibus in idem Baptiſma, in eandem expoliationem carnis, in idem Regnum Chriſti, ac beatum ſtatum, vocatus in vnã omnium credentium Eccleſiam, vti qui fuerunt in ſemine Abrahæ credentes, & circumciſi, fuerint à Patre in Filio per Spiritum Sæctum benediecti, ſanctificati, & regenerati. vti item, qui Baptizati fuerunt in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sæcti: vti item, qui recedunt ab Antichriſto, & complectuntur Chriſtum regenerantur à Patre in Filio pariter per Spiritum Sæctum. vt tandem è Paradifo Chriſti Belial, Papa, Antichriſtus eiſciatur. ac deinceps ſemper perſiſtant renati D E O in Paradifo, & in Eccleſia C H R I ſti

STI nunquam inde eijciendi Angelo Domini stante cum gladio in Regno Christi, ne vltra per illud traſeat impurus, & immundus. Et quoniam hæc cœpta sunt denuntiari & parari ætate sexta mundi; idcirco significata, & denuntiata sunt futura sexto die. Quamobrem hæc videntur fuisse cognoscenda in ter repetita creatione hominis ad jmaginem DEI, vt cum creatione Adami eiusdem regeneratio in Filium Dei cognoscatur, atque eadem deinceps omnium credentium. Præterea in ea repetitione, & narratione cognoscemus D E V M præter præcepta, quæ dat in suo Verbo, & historiam rerum à se gestarum in mundo, & in homine; aperire simul se, qualis, & quantus sit: dare scientiam de se ipso, tempora futura nuntiare: ostendere in se vno oportere intelligi Patrem creatorem omnium, Filium, in quo formata sint omnia, Spiritum Sanctum per quem facta sint omnia: ita creatum hominem, ita quemque credentem regeneratum in Dei Filium. vnde & tres status mundi destinati sunt. primus, vt dicebam, in quo creator omnium Deus ostenderetur in generatione fidelium ducta ab Abrahamo, siue ab Adamo vsque ad Christum; secundus, in quo Filius Dei formator omnium declaratur in regenerando credentes ex aqua, & Spiritu Sancto in Dei filios: tertius in quo Spiritus Sanctus comprobatur effector omnium in perficiendo regeneratos in DEI filios in omni opere, & effectione. Ita que secundum rationem horum statuum, cum dicitur, faciamus hominem, ad imaginem, & similitudinem nostram; significatur primus quidem status circumcisionis, & Legis, quod per Fidem iustificati sint credentes, & facti filij DEI, qui fuerunt semen Abrahamæ; vt & Adamus in semine mulieris speravit salutem. sed cum dicitur, vt præsit piscibus Maris, & quæ sequuntur, nunciatur creati homo ad jmaginem & similitudinem DEI, qui futurus sit in CHRISTO

Dominus omnium in terris, atque eadem promissio videtur esse, quæ facta fuit Abrahamæ, quòd semen eius esset possessurum terram Chananæorum, & omnium gentium in omnibus terris. & ita hoc membrum quadam ratione videtur referre primum statum, quadam alia tertium: quòd innouatio cœpta ab Abbate Ioachimo passim, & pedetentim aucta sit, donec per repetitam prædicationem Euangelij, & apertam Prophetiam in toto populo Christiano, illa adhuc magis augeatur, deinde in toto orbe perficiatur. & tunc innouati Euangelici ad formam Ecclesiæ Apostolicæ, & secundum Fidem eorum, qui sunt semen Abrahamæ, obtineant Dominatum in terris. *Et dominetur in pisces:* hoc est omnibus Ecclesiis Papisticis, seu in omni statu Ecclesiastico. *Et volatilibus coeli.* omnibus aulicis Ecclesiasticis, & principum, & magistratuum. *Et bestijs:* principibus, Regibus tyrannis: *vniersaque terræ:* omnibus & in statu Politico dominabuntur, qui facti erunt Christi.

Et in omne reptile, quod reptat super terram.) Omni statui Ecclesiastico, Monachis, & Hypocritis, & omni statui, vt dictum est, Politico: his, qui irrumpunt in imperia, in Regna, in possessiones aliorum, in bona communia, & priuatorum. Et hic versus conducit à primo statu omnes fideles genitos in Christo Dei filios primum ad finem ipsius primi status, deinde ad finem vsque tertij status: quòd Israëlitæ fuerint Domini Chananæorum in primo statu: Christiani quarundam & plurium gentium in secundo: Euangelici omnes omnium simul gentium, & terrarum futuri sunt perpetui domini, regnaturi tandem cum Christo in coelis in æternum.

37. *Et creauit Deus hominem ad imaginem suam: ad imaginem Dei creauit illum: masculum, & foeminam creauit eos.* hoc mihi videtur repetitum, vt significetur status secundus Filij, in quo per prædicationem Euangelicam regenerati sint credentes, vt in Iesu Christo essent, & appellarentur filii Dei.

Dei. vt Filij Dei imago declaretur impressa in fidei: quæ maximè claruit in Apostolis, & in martyribus in statu secundo mundi. & in quam credentes sunt cogniti fuisse cōducti omnes ab initio mūdi ad finem vsque. Et cū Christus sit ipsa consubstantialis imago Patris, in quo Filio ipse Pater conspicitur, quòd in Filio procreatæ sint res omnes, & ductæ ante oculos, in promptu sint omnibus secundum suum cuiusque genus. vnde conspicuus fuit Deus Pater omnibus creaturis: cūque ipse Christus sit solus Filius vnigenitus Patris, & per ipsum veniant omnes credentes in familiam Dei, & sint filij Dei; maximè & in primis imago Filij est impressa in credētibus. Vndè & in Isaia cap. 43. dicitur is, qui inuocat nomen Domini, fuisse formatus ad gloriam Dei in Filio: quod & illud verbum suam, positum a Mose videtur significare, quòd Deus Pater ad imaginem suam, quæ est Filius, creauerit credentes sibi filios. *Ad imaginem Dei creauit illum.*) repetitur tertio creatus homo ad imaginem Dei, vt significetur noua regeneratio tempore sextæ ætatis cœpta in nuntijs secundi Aduentus Domini, & tertij status Spiritus Sancti; quādo per Papam, & Ecclesiā Romanam Christiani facti iam ante fuissent sicut fuerant prius gentes præputiata, quamuis nomine dicerētur Christiani. quæ regeneratio aucta est in secundo Aduentu Domini in Spiritu per prædicatores qui hoc tempore innouarunt per prædicationem Euangelicam CHRISTI & Apostolorum, quæ perficienda sint in toto populo Christiano, & tandè in omnibus gentibus totius terrarum orbis. Ac dicitur in hac regeneraione creatus homo ad imaginem Dei, non solum, quòd creati fideles ad imaginem Filij Dei Christi Iesu intelliguntur simul ad imaginem Dei Patris creati; sed etiam quia dum ad statum Filij reuocatur sermo, Filius, ad cuius imaginem sumus creati, significatur, & cōprobatur Deus, quæ duo voluit Deus ab initio fuisse intel-

tellecta, quādo primūm creauit Adamum, & in Abrahamo, instaurauit suam imaginem, & suum semen in eius Fide: atque patefecit palām mundo, dum missō Filio vnigenito filios vocauit Dei viuentis omnes in Christo, renatos ex aquā, & Spiritu Sancto. patefecit adhuc magis ætate hac septima, in quam ingredimur, Filium suum Christum Iesum esse verum Deum, vt docuerant Apostoli: & nos in ipso filios, atque in vna Ecclesia omnes pertinentes ad eius Regnum fore illi desponsatos. vnde sequitur: *Masculum, & foeminam creauit eos.*) Si hīc creatus est masculus, & foemina, quomodo capite, quod sequitur dicitur non fuisse homini adiutorium coram eo, & è latere, seu costa Adæ Deum fecisse mulierem? secundum seriem literalis historiae hæc non videntur congruere, ergo mysterium cognoscendum est, quod magnum dixit Paulus Christi, & Ecclesie: quodque apertius patefiet omnibus ætate septima constituta. nam videtur esse consequentia illa in historia mystica, & in ordine Prophetico exponendi futura, vt ab initio vnum ducatur argumentum vsq; ad postremum finem. regeneratio enim hominis in Christo primūm ducta est ab Adamo, & pacto confirmata in Abrahamo, ac eius semine, quod credentes possessuri essent terras omnes, quæ fuerint gentium, dum dictum est, faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, qui præsit piscibus maris, volatilibus cœli, & bestiis terræ. post patefacta in prædicatione Euangelica, atque ad eandem vocatis gentibus cum Iudæis credentibus, dum dicebatur. & creauit Deus hominem ad imaginem suam. post patefacta iterum, & denuntiata tota ætate sexta, peractaque iterum ingredientibus nobis septimam, omnibus gentibus omnium regionū, & Iudæis credentibus in eādem vocatis per repetitam prædicationem Euangelij, tādē excurrunt è tota ætate septima, masculus & foemina apparet dū sponsa vestita bysso da-
est

est sponso suo Christo, è quo fuit educta. quod Ioannes denuntiauit futurum ætate postrema mundi, quam describit cap. 21. & 22. Apoc. nam ante primum Aduentum Christi non ita vsurpatum est nomen Ecclesiæ, nisi quatenus ad futura tempora res deducebatur, & membra Christi colligebantur ventura in totum corpus Christi perfectum, quod non videbatur intelligendum factum nisi concurrentibus gentibus simul in idem corpus, quòd Deus non Iudæorum solum, sed & gentium sit Deus. Et quæ Ecclesiæ antè fuerunt, in luce & tenebris ambulabant, vt vidimus in sex diebus, seu sex ætatibus mundi. Et quòd Ecclesia Apostolica fuerit vera sponsa Christi, ornata bysso, id confirmamus, & Apostoli ad eam inuitabant, & cogebant omnes credentes, quantum à se fieri poterat, conducentes eos in puram, & veram lucem Christi. Sed hanc lucem inuoluebant tenebræ Iudæorum etiam Christum suscipientium vmbri Moisaicis. atque gentium Christum amplectentium pariter nõ eadem luce, qua Apostoli: non eodem ornatu byssino incedentium: vt præteream ibi adhuc non fuisse collecta omnia membra, quæ perficerent totum corpus Christi. Vnde factum est, vt dum in luce, & tenebris progressus fiebãnt, & crescebat Ecclesia, sæpè ita fuerit inuoluta tenebris, vt non Christi dicta fuerit, quemadmodum videbimus cap. 2. & 3. Osee, & alibi. ætate autem septima in futura sanctorum communiõne apparebit Ecclesia tota lux sine tenebris toto terrarum orbe in eam assumpto. & in qua tandem cõgredientur, & cogentur omnes patres, quibus primis promissa sunt bona. Cùm autem dabitur illa sponso suo Christo Regi mundi, qui sit illius caput; nouum seculum afferetur priori sex ætatum abolito: subiicietur Ecclesia totius mundi Christo: ei, è quo educta est, vt ex Adamo Eua, parebit: ei adhærebit, vt membra capiti, vt sint vnum fideles cum capite; quodque membrum cum cæteris mem-

membris, & cum vnoquoque cætera sint vnum corpus in vno capite Christo: nec quicquam illa interse, & cum suo capite diffideant. ac si credentes in Christo sunt imago Dei, ergo in Christo debebunt referre, quæ sunt Dei, ac se præstare Dei filios, vt dicebamus supra de prima creatione Adami agentes. hinc sumpserunt Prophetæ, quæ narrant de innouatione Ecclesiæ, & orbis. Et hæc dicta sint, vt ordo Propheticus appareat in expositione generati & regenerati hominis à Deo, vt deducatur à prima creatione ad æternam vitam: atque ipse Deus qualis & quantus sit in opere beandi hominis conspiciatur. quæ quidem, vt adhuc magis pateant, verba & ordinem verborum iterum expendamus. Ter dictum est creauit, vt Pater significetur, & Filius, & Spiritus Sanctus: & in prima creatione hominis, & in secunda, quando per verbum promissionis, Euangelij, & Prophetiæ creati sumus credentes Dei filij, quando opus Patris extitit ad populum suum sibi iungendum in circuncisione, opus Filij in Baptismate, opus Spiritus Sancti in Ecclesia innouata. Hæc significans nobis Deus in Isaia, dicebat, omnè qui inuocat nomen meum, in laudem meam creauit eum, formauit eum effeci eum: vt opus Patris, & Filij, & Spiritus Sancti pateat in fidei, dū dicitur, creauit, formauit, effeci. In Isaia tribuitur quodq; verbū vni, creare Patri, formare Filio, efficere Spiritui Sancto. Hic ter dicitur creare, quia opus, quod est vnus, est quoq; trium. vt enim Pater est in Filio, & Spiritu Sancto: Filius in Patre, & Spiritu Sancto: Spiritus Sanctus ab vtroque manat; sic opus, quod est vnus, tribuitur tribus, vt tres vnum intelligantur, vnus scilicet Deus. Quoniam verò est Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, distincta verba sunt posita, ab Isaia & item à Ieremia, & ab Ezechiele eandem sententiam promittibus. Et hic à Mose vtrunque videtur factum. vt & idem, & vnum verborum propositū sit in tribus, vt cū dicitur ter, creauit; item distincta sint pos-

posita verba, dum dictum est, faciamus, creauit, & mentio facta sit de imagine. idque ter, ad quam creatus sit homo: vt in verbo creare signetur Pater, in facere Spiritus Sãctus, in imagine Filius, veluti etiam in illo primo membro, faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram; in imagine signatur Filius, in similitudine Pater, idque ita fit, quia in tertio statu opus Patris, & Filij, & Spiritus Sancti perficitur in innouãdo homine, vt sit Dei Filius in Ecclesia perfecta ex toto terrarum orbe Catholica, & Sponsa Christi ducta in Regnum. ter autem ad imaginem factus, & creatus dicitur homo, quia & qui fuerunt circumcisi, & qui Baptizati, & qui nunc innouati veniunt in vnum corpus Christi, & imaginem referunt Christi, non solum vt homines mortali corpore conditi; sed vt filij Dei regenerati à Patre in Filio per Spiritum Sanctum, Patri parendo, Christum imitando, sapientes, & affectantes quæ sunt Spiritus Sancti. Et præter ternam repetitionem quater quoque repetitum nomen Dei inuenies, vt prima die, quarta, & quinta, vt vnus Deus cognoscatur Pater, Filius, & Spiritus Sãctus: atque Pater, Filius, & Spiritus Sanctus vnus Deus. in creatione autem hominis habemus septies repetitum nomen Dei: vt signetur opus Dei perfectum in beãda Ecclesia per Spiritum septiformem in septem ætatibus mundi, hinc septem Angeli dicuntur septem Ecclesiarum in Apocalypsi: vbi hæc cõsiderari poterunt. Iam verò vt prætermittamus alia quærere de imagine in homine, & hîc existimo voluisse Deum potissimum declarare, & aperire seipsum in Ecclesia tota omnium seculorum, atque efficere, vt in ea opus suum illuceret: quò Pater, Filius, & Spiritus Sanctus cognosceretur, præsertim propter hæreses Arianas hoc tempore renouatas: quæ etiam tempore sextæ ætatis vexarunt credentes. Vnde Abbas Ioachimus ad preces, & ad Deum confugiens, auxit mentem, vt scriberet Decacordum, in

quo vnum Deum Patrem, Filium, Spiritum Sanctum ostenderet. ac vt hoc tempore eadem hæreses vexant eos, qui ab imagine, seu forma filiorum Dei recedunt: sic lux oritur ex Dei Verbo eandem imaginem retinentibus, & in charitate Dei persistentibus, vt in se cognoscant opus Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, vnius Dei.

28. *Benedixitq; Deus.*) Quæ nuntiauit, & coepit Deus ætate sexta, illa ita nuntiauit, & coepit, vt perducturus eadem ad finem; atque vt perficerentur, & absoluerentur tandem ætate septima, quando absoluto numero electorum, ac in Baptismo hi sanctificati perducendi essent in æternam in coelis Dei gloriam. Quamuis enim iam oriente Papatu fideles, qui obtinuerant requiem à tyrannis, inciderint in Antichristum, qui conatus sit impedire promissa, & opera Dei; vicit tamen semper Christus in membris suis progressus maiores singulis annis faciens in Regno suo. vt hoc tempore iam parum absit, quin illud, & quæ promissa sunt Abrahamæ cap. 15. Gen. obtineamus.

Et dixit eis crescite, multiplicamini, & replete terram, & dominamini piscibus maris, & in volatili coeli, & in omnem bestiam reptantem super terram & subicite eam.) Deus dixit, quæ beneficia præstaturus erat nobis, ergo omnino futura erant. prædicata sunt in Euangelio, quæ fuerunt descripta in Legge: prædicatur & nunc idem Euangelium, quo depelluntur omnes omnium impietates, & obtinebit in toto mundo imperium. Christus: crescet vbique numerus fidelium, vt repleatur his tota terra: eam hi soli obtineant, & in ea per Christum dominantur. Præstabitur ita, quod promisit Deus Abrahamæ, cum dixit. Multiplicabo semen tuum, sicut stellas coeli, & sicut arenam maris. item dabo tibi terram in possessionem perpetuam Chananæorum. quæ terra Chananæorum, & aliorum data populo Israëlitico non fuit perpetua. ergo & de alia locutus est Deus, quæ omnium gentium dabitur in Sabbatismo nunc ætate septima, vt monuit

Paulus. *Et dominamini piscibus maris, & volatili:* quæ dicta sūt antè versu 26 eadem hic intelligantur. repetuntur eadem, vt seruiatur mysterio, vt promissa, & denūtiata præstita cognoscantur. & quia post stragem martyrum à tyrannis Euāgelici obtinuerunt terram gentium; inuasit in eam nomine Euangelij Antichristus, is expelletur nunc, vt jam perpetuò possessio terræ, & dominatus, & administratio Ecclesiæ futura sit penes Euangelicos.

29. *Dixitq; Deus, Ecce dedi vobis omnē herbam, facientem semen, quæ est in superficie omnis terræ: & omne lignū, in quo est fructus arboris producentis semen. vobis erit in escam.*) Cū repetitur, dixitq; Deus, præter alia ostenditur promissa, & nuntiata omnino præstanda, & non vltra in aliud seculum differenda (nisi coelestis patria post Sabbatismum donanda) sed tota terra cum omnibus, quæ in ea sunt, dabitur Ecclesiæ Christi, & semini Abrahamæ nūc ætate septima. Sūt enim bona Christi, qui est totius orbis Dominus, & Rex. & hīc signatur quoque bona spiritualia, quib; aluntur fideles in æternam vitā.

Et omne lignum &c.) Omnia munera, & præfēturæ, & administratio, & dominatus in statu Ecclesiastico & Politico dabitur Ecclesiæ, & semini Abrahamæ. In herbis autem & in arboribus non solum, vt dixi, intelliguntur temporalia; sed & bona æterna: vt Verbū Dei, & fructus Verbi Dei; vt maiora dona Spiritus Sancti, & munera. vt ex capite primo Ioëlis possumus aduertere.

Et omni bestia terra. & omni volucris coeli, & omni reptanti super terram, in quo est anima viuens: omne olus herba in escam. & fuit ita.) Dum dicitur, vt sint vobis in escam, existimo significari ministros DEI, vt Abraham, Mosē, Prophetas, & Apostolos: atque etiam singulos in singulis Ecclesiis præfētos: qui ex Verbo DEI & ministerio suo fructum suum percepturi sunt. Dum autem dicitur, & cunctis animantibus terræ, existimo signari eos, qui sunt

sub pastore, & Episcopo : vt se regi à Christo, & a suis ministris patiantur atque pastores pariter pascere debeant gregem, nec illum deserere: vt fecerunt Ecclesiastici Papæ. præterea erit cura maior pauperum, & egentium, quàm fuerit hætenus, charitas cum copia Spiritus vigebit vbique. diuites vltro erunt dispensatores bonorum, quibus affluet.

Omni que volucris coeli:) hinc per volucres existimo intelligendos esse eos, qui præfides non sunt, habent tamen aliqua munera, valent Verbo, & maiori vi Spiritus Diuina cõtempantur.

Et omni repenti super terram, in quo est anima viuens.) Generatim compræhenduntur omnes, qui in terris degunt. & qui Fide, ac Spiritu viuunt, quantũuis sint ex postremo genere hominũ, aut simplices. qui omnes debent parere Christo, & præfidi, vt fructus percipiant in Ecclesia Dei, quibus sibi vita pareatur æterna. præterea ratio habeatur omnium, etiam infimorum, vt cuique prospiciatur, vt videbitur Ecclesiæ, & Spiritu Christi præditis. Quòd autem per animantia fideles in Ecclesia intelligendi sint, id cognoscimus in Ioel. cap. primo, qui videtur intueri hunc locum Moysis. Quòd item pij, & impij signati sint in animantibus; id ex tota Prophetia patere debet, & Lex continet quædam animalia munda, & quædam immunda. & in lib. 4. Esd. cap. 5. dicitur, ex omnibus creatis volatilibus nominasti tibi columbam vnam, & ex omnibus plasmatis pecoribus prouidisti tibi ouem vnam. nec est, vt diligentius hæc distinguantur, quæ per se in Prophetia patent.

In escam.) è Regno Christi sumitur cibus, quo omnes credentes viuant æternam vitam: & victus interea corporeus non deerit. Vnde hinc erit aduertendum, id de piscibus dictum fuisse. Deum creasse cete grandia, & omnem animã viuentem: atque repentem, quam produxerant aquæ in specie, seu genere suo, & omne volatile. item producat ter-

ra iumenta reptilia, & bestias terræ. de homine autem dictū est. Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, vbi duo attende. ex aquis eductos pisces, è terra iumenta, & aues. a Deo autem eductum hominem. item simul multitudinem piscium, simul multitudinem bestiarum effluxisse ex aquis, & è terra. Vbi intelligimus Adamum filium Dei, & eos, qui nati sunt ex Adamo esse filios Dei. atque nos non separatim singulos; sed ab vno Adamo, & hunc ab vno Deo Patre genitum, & omnes ab hoc vno genitos, ab vno Deo ducere genus. Et hinc colligimus omnes homines esse vnā familiam, cuius Pater sit Deus, qui toties in Euāgelio significatur sub nomine patrisfamilie. & vt omnes nouimus ex eadem familia progenitos se mutuo amare: & quæ sunt totius familie quemque pro suo statu, ac dignitate, & pro sua parte posse obtinere; ita dum hoc nouerimus non contemnemus populum indigentem. Vndè in Isaia dictum est. Frange exurienti panem tuum, nudum operi, & carnem tuā ne despexeris. Et significauit proximum nostrum esse quēuis hominem. hinc cōcludebat Ioannes eum non diligere Deū, qui non diligeret proximum. non diligere Patrem, qui non diligeret eius filios.

Et factum est ita.) Hoc ponitur hīc in fine, vt omnia cognoscantur ab initio ad finem vsque mundi facta sicut fuerunt denuntiata, destinata, & effata ante mundum. Hinc duxerunt Prophetæ, quæ ad nouum statum mundi pertinent. Ioannes cap. 21. Apoc. postquam peruenit ad finem rerum denuntiarum in ipsa Prophetia, atq; ad eò eorum, quæ denuntiata sunt in hoc capite, ita concludit. Et factum est: hoc est, quæ cap. pri. Geneseos, & deinceps sunt denuntiata; eccè euentu, & re ipsa sunt omnia perfecta, & præstita.

31. *Viditque Deus omne, quod fecerat, & ecce bonum erat valde.*) Generatim cum homine adducto ad perfectionem suam.

am in Christo, & cum Ecclesia ad sponsum suum, pronuntiantur omnia bona, quæ egit Deus in beando homine, vt non solum bona intelligantur, quæ fecit Deus homini; seu bona ei impertiendo, & tribuendo; sed & quæ aliàs mala visa sunt, dum per tyrannos, & per Antichristum vexatus, & afflictus fuit, quod per hæc exercitatus sit, & factus perfectior in corpore Christi, auctusque sit bonis Spiritus Sancti, sunt aliæ causæ pertinentes ad ipsum Deum, & ad eius Diuinum opus, quæ contemplatores aduertent.

Et fuit vesp̄era, & fuit manè dies sextus.) Ad finem sextæ ætatis peruenit Regnum Antichristi, & impiorum, & tyrannorum; vt dictum est in lib. 4. Esd. cap. 6. vbi finis Regni Esau ostenditur, hoc est, status Papistici, nam hæc ætas ducta est ad finem suum regnantibus tenebris Papisticis, & vigente deinceps luce Christi in membris suis, ac statu solo piorum existente in orbe terrarum, & hîc perficietur illud Dan. 7. Regnum autem, & potestas, & magnitudo Regni dabitur populo Dei.

1. *Igitur perfecti sunt cæli, & terra, & omnis ornatu eorum.*) Historiã creationis mundi ita expositã videmus, vt seruiet & historiæ rerũ futurarum, nam Deus, quasi opifex dicitur certo tempore opus suum absoluisse: vt in fine sexti diei accedente septimo (nam sequitur, cõpleuit Deus die septimo opus suũ) inueniatur, quæ instituerat, perfecisse: hoc est prætergressã ætate sexta perfecta sint à Deo, quæ ab initio statuerat, & nũtiarat se effecturum in sex dieb⁹ mundi, & se conducturũ, quæ statuerat, in ætatem septimam. Quæ autem effecerit dicta sunt supra. Creauit Ecclesiam suã, statum popularẽ, qui sibi pareret, & suis Legib⁹ viueret, idq; per Verbum suũ fecit solenni prædicatione additis portentis admirabilib⁹. Verbũ inquam suũ faciendo ab Abrahamã, & ad eius semẽ: post ad Mosem ætate secunda & ad totum populum Israëliticũ: post ad Prophetas ætate tertia, & pariter ad Israëlem

Iem: post per Christum, & Apostolos nuntiauit æternum Euangelium ætate quarta: post in Apocalypsi per Ioannē ad populum Christianum ætatis quintæ locutus est, vt præteream, quæ per alios monuit, vt per Herimam: post per nos Prophetas ætate sexta, atque in fine ætatis sextæ, & accedente initio septimæ repetitum est æternum Euāgelium, & quidquid locuti sunt noui Prophetæ, & quæ narrarūt quatuor, & duodecim ante Christum, & quæ Moses, omnia venerunt, seu concurrerunt nunc in finem sextæ ætatis, & quæ pertinent ad euenta rerum denuntiarum, & quæ ad vitam cuiusque innouandam, ad innouandam Ecclesiam, & orbem, ad constituendum statum Regni Israëlitici. vt factus sit finis à Deo novos status afferendi, quod vnus perpetuò futurus sit, quique sit descriptus in Mose, Lege, & in Euāgelio. Cùm ergo hæc sint prædicata, & agitata, & comprobata in effectione rerum denuntiarum, in afferendo finē ætatis sextæ, vt in fine superioris sexti diei summatim expositum est; restant pauca, quæ dicantur in septimo die. quando quidem hæc quæ diximus in superioribus diebus conducenda sint in diem septimum. sex hydriæ aquæ conuersæ in vinum adducendæ sint in conuiuū Agni, & Sponsæ. Per cælos iam perfectos intelligo Ecclesias, siue Ecclesiam omnium ætarum, per terram statum popularem nomen Dei eiusque Filij profitentem, per ornatum ministros Verbi, & ministros status popularis, qui fuerunt in sex ætatibus: quorum doctrina, & administratio, quæ fuit ex luce Verbi Dei, conducitur in ætatem septimam. Siue etiam in ornatu intelligimus in Ecclesijs, & statu publico cœtus populares in singulis prouincijs, & ciuitatibus nomen Christi profitentes. item ipsam administrationem, & ordinem secundum statuta Dei in vtroque statu. Nam in lingua latina ita etiam accipitur verbum hoc ornatus.

2. *Compleuitque Deus die septimo opus suum, quod fecerat. & requi-*

quieuit die septimo ab omni opere, quod fecerat.) Hoc mihi videtur esse positum, quia non solum repetitum est Verbum Dei ex vniuersa scriptura, & ex ætatibus prioribus mundi; sed & significatur maximè repetita prædicatio Euangelij, & denuntiatio apertæ Prophetiæ. & patefactio mysteriorum Legis, Euangelij, & Prophetiæ, quæ mysteria Ecclesia inno- uata per concilium proponet nobis ætate septima; & vt nullum statum alium, non ætatem aliam allaturus sit Deus deinceps. nam Verbum Dei erit perfectum, quod statuit ab initio, reuocare ad se electos suos ex omnibus regionibus, & oris orbis terrarum: constituere vnã Ecclesiam, & Regnum in orbe: eritque Verbum Dei expositum, vt sciamus quomodo sub Lege Dei, & in eius Regno videndum nobis sit semper. erunt perfecta eius opera in Ecclesia: vt alia nõ sit expectanda. nec quærenda in Sabbatismo; sed expectanda solum æterna vita in cœlis. ad quam nos interea parabimus. dicitur verò opus suum: quia nullius hominis, tyranni, & Antichristi fuit opus, quod fecit Deus in septem ætatibus mundi. nec fuit alicuius Pharizæi, nec Pelagiani parare sibi salutem, quam operatus est Deus in omnibus cre- dentibus.

Et requieuit die septimo ab omni opere suo, quod fecerat.)

Hic significatur status mundi tertius, siue ætas septima, siue Sabbatismus: quando non erit seculum Esaii, non opus erit nouo opere, vt præteritis temporibus, reuocandi populum Dei, à cultu impiorum ad eum, qui fuit à Deo præscriptus: non novos nuntios mittere, & Prophetas. hæc enim antè fuerunt, vt ætate septima non opus sit eadem agere. viuet Ecclesia institutis & Legibus, quæ sancitæ, & promulgatæ sunt in libris Legis, in Euangelio, in Prophetia. Insuperbit autem Deus in suis fidelibus, imperans in illis, agans in illis opus suæ Legis, non deinceps nouum opus afferens, vt vindicet illos à tyrannide impiorum, qui erunt expulsi è mū-
do

do omnes. Quòd jam in diè septimo hìc significetur Sabbatimus, qui relinquetur populo Dei; signatur postrema ætas, in qua obtinebunt requiem, & otium Euangelici, & veri Israëlità: docet Paulus cap. 4. Epistolæ ad Heb. Ac si septimus dies authore Paulo positus est pro ætate & quodam seculo; ergo & in sex diebus sex ætates fuerunt intelligendæ: & cum hæ non nisi Verbo Dei videantur distinguendæ, quod & in verbo illo hodie, & hodierno die cap. 3. & 4. eiusdem Epistolæ ostenditur, quando prædicatio clamat. hodie si vocem eius audieritis: atque illud Hodie à Paulo transferatur ad multas ætates, ad tres omninò, in quibus solennis fuerit facta denuntiatio Verbi Dei, rectè & verè tres status videntur distincti fuisse ab Abbate Ioachimo. & quia septies factum est Verbum Dei solenni illius promulgatione, ergo & septem ætates cognitæ sunt in septem diebus: vt alia argumenta nunc præteream, quibus ostenditur in diebus ætates intelligi oportere.

3. *Et benedixit Deus diei septimo, & sanctificauit illum. quia in illo quieuit ab omni opere suo, quod creauit Deus, vt faceret.*) Attulit Deus benedictiones, quas promiserat Abraham; quas promiserat & semini eius in tota circuncisione: quæque promisit Christus de suo secundo Aduentu; effecit ætate septima vt constabilita, firmata, & possessa essent à filiis Dei bona, quæ præstaturus fuit in Regno suo Israëlítico restituto. præstitit, vt omnia foeliciter & prosperè euenirent vt beati se solo imperante viueremus. nam in verbo benedixit, omnia eius beneficia, & bona, & fructus: item iustificatio, salus, & æterna vita significantur. in verbo autem (sanctificauit) firma illa, & perpetua ostenduntur, & præterea sanctificatio futura Spiritus Sancti in toto Ecclesia, & in omnibus fidelibus: quòd terrenus, & externus cultus præteritarum ætatum abolendus sit; atque Spiritu viuendum, Spiritualis cultus solùm Deo præbendus: Spiritualia omnia e-

ducenda è Sacris litteris: & Deus, qui est Spiritus apprehendendus in Iesu Christo; ac nos Spiritu cum eo coniungendimus, vt simus omnibus modis per eum, qui solus sanctus est, sanctificati.

Quia in illo quieuit ab omni opere suo, quod creauit Deus, vt faceret.) Aetate septima hæc erunt perfecta omnia, quæ Deus ab initio statuit se facturum. & cãusa affertur, quare cõpleta, & præstita sint ætate septima beneficia, quæ in suo Regno Israëlitico fuit daturus semini Abrahamæ Deus: quare sanctificata Ecclesia tunc sit in Christo, præparata ad nuptias cum ipso celebrandas in Regno Dei populo Israëlitico constituto. quia postquam creauit illa, in quibus narrabat, quæ erat facturum in mundo, destitit plura creare plura non facturum in mundo. & quia quæ creauerat, que statuerat, quæ iam ab initio decreuerat (quæ erant perinde ac illa, quæ erant; iam creata, & facta) in perficienda Ecclesia, vt esset parata, & ornata sponso suo Christo Iesu; illa iam sex ætatibus & initio septimæ perfecerat, & absoluerat. vt iam nõ aliter ætate septima esset nobis viuendum, quàm esset prædicatum, & statutum initio ætatis septimæ: vt scilicet quicquid lucis esset sex ætatum conductum in septimam, quæ est solum lucis, & in qua nullæ tenebræ sex ætatum futuræ sũt, id omne suscipiendum nobis esset, nec quicquam agendum, quod esset tenebrarum sextæ ætatis: non tyrannis admittenda in Regnum Israëliticum: non mores Esau: non Papistarum Ecclesiasticorum, & Politicorum: non voluntas, & iudicium nostrum querendum: non auaritiæ studendum; non quæ cuiusque erunt propria procuranda cupidè: non alia quàm plurima, quæ quæsierunt tyrannicè, scelestè, & impiè gentes, & qui mores gentium secuti sunt. quæ exponentur distinctius, vbi agetur deinceps de Sabbato, & vbi memorabuntur, quæ sunt status tertij, ætatis septimæ, Regni Israëlitici, & Sabbatismi Nam hi dies septimus, in quo nulla
fit

fit mentio de vespere, designat statum tertium Spiritus Sancti: in quo pie, sancte, & Deo dignè viuetur. non erit solitudo in fidelibus de rebus externis anxie; sed Spiritualia quærentur: in his habebitur, & statuatur beata vita. Vno verbo Paulus rem complectitur capi. 4. Epistolæ ad Hebræos, inquiens. eum, qui ingressus fuerit in requiem, & Sabbatum Domini; debere requiescere ab operibus suis, quem admodum à suis requieuit Deus. In pronomine illo, suis, significantur mundana, status mundanus, qui fuit antè, & in quo quæ mundana sunt Regerunt mundani homines. cessabit & Deus peracto magno iudicio temporanea, & terrena, & mundana opera administrare in hominibus, vt dum fuit status mixt^o tenebris, & luce. Spiritualia, & æterna operabitur in his, qui Spirituales, & æterni cū ipso futuri sint in ipsius lumine extrà tenebras omnes. in quib^o labor præteritarum ætatū nullus futurus sit. Quòd jã & hîc ter repetitū sit nomē Dei, indicatur Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, qui in tertio statu mundi sedem sint habituri in Ecclesia coacta ex toto terrarum orbe: cognoscendusque Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus vnus Deus, qui aget omnia in omnibus fidelib^o. Quòd ter dies item septimus repetatur: opus ostenditur, & vita, quæ debuit esse fidelium in statu Patris, in statu Filij, in statu Spiritus Sancti, vt in Lege, & in Euāgelio, & in Prophetis est præceptum de Sabbato. vt scilicet, quemadmodū ait Paulus, quisque debuerit cessasse ab operibus suis. nam perfectum opus fidelium est intelligendum in his, quæ sunt Sabbati Domini. Ergo conquiescendum erit in Dominico die, in quo exurgit fidelis in nouam vitam in Christo: omnis benedictio, & sanctificatio est suscipienda à Spiritu Sancto D E I, vt simus in futura vita beati. Quæ alia mysteria sunt, proferet Ecclesia innouata; & singula quæ pertinent ad statum tertium exponentur in

Prophetis, & in alijs scripturis Sanctis, in quibus hic septimus dies in memoriam reuocatur. Cum multa ante dicta sint in interpretando hoc primum caput, vt in eo ostendatur consignata historia mystica omnium ætatum mundi, hic ferè eadem sunt concludenda, vt summa quædam eorum habeatur. Diuina scriptura propè vbique triplicem suscipit interpretationem secundum historiam trium statuum mundi: siue signet aliqua sententia opera terna trium statuum, quod sæpius fit: siue opera bina duorum statuum, quod sæpe fit: rarè inuenies sententiam simplicem, quæ rem vnã tantum signet, sitque vnus tantum temporis historia. Sunt adhuc plures interpretationes propter septem ætates, quæ instauratum Verbum Dei ad Ecclesiam, & nouas mutationes in statu populi Dei afferunt. de qua re exempla quædã hætenus posita sunt: & ostendentur in omnibus Sacris voluminibus, quæ interpretabimur. Ergo quod propè vbique contingit, potest & in hoc toto primo capite contingere. at necessariò contigit, quia quæ in eo narrantur, non congruunt omnia historiæ rerum creatarum. ergo interpretatione requirunt petendam ex alio statu: non congruit autem, vt dicatur septem diebus perfecta fabrica mundi. quia id sapientes multi negant: & capite secundò dicitur perfectum cœlum, & terra, quo die creauit Deus cœlum, & terram, & omne virgultum agri, & quæ sequuntur. cuius loci sententia videtur esse, vt eodem tempore sit creatum cœlum, & terra & quæ sunt intrà cœlos, & quæ in terris. at historia hic aliter narrat. ergo mystica sententia, & quæ congruat est afferenda. Et si quis instet, septem diebus creatum mundum, vt sunt septem ætates mundi; respondemus, & vno die creatum fuisse mundum, quia & nomine vnus diei compræhenditur omne tempus mundi. Et si sententia eorum sit retinenda, qui censent intra sex dies omnia fuisse creata, illud tamẽ dabunt, quantum attinet ad illa, quæ facturus erat Deus in cursu

cursu toto temporum mundi, apud Deum fuisse sine distinc-
 tione temporum & præuisa, & statuta simul. de qua re nos
 nunc agimus. Et si negent in his, quæ sunt huius capituli,
 contineri futura tempora, & quæ efficienda erant in tempo-
 ribus; nouerint tamen Petrum id intellexisse, ubi cap. 3. epi-
 stolæ secundæ status temporum exponit per cœlum, & ter-
 ram; per aquã & elementa. Quomodo deinde cōgruūt illa,
 ut sit primus dies, secundus dies, tertius dies, & quarto die sit
 Sol qui illuminet terram, & adducat diem, & eum distin-
 guat à nocte? quomodo deinde est prius nox, quàm manẽ,
 nisi quia prius extitit status tenebrarum post creatum pri-
 mum hominem: post verò Abrahæ, & eius semini lux splē-
 dit Patris, ac Iesu Christi Filij eius? quomodo congruūt il-
 la, ut cœlum primò sit creatum, post lux, post firmamētum,
 quod sit cœlum; ut ante, & post sit creatum cœlum. veluti
 lux, & Sol cum luna, & stellis diuersis diebus dicantur cre-
 ari, cū nos non habeamus lucem in hoc mundo aspecta-
 bili nisi ex tribus illis luminaribus? Si in firmamento appel-
 lato cœlo dicat quis oportere intelligi mediam regionem a-
 ëris, id concedetur: at intereà quæram, quæ causa sit, ut
 quædam creata distincta sint, quædam non sint distincta.
 nō item quæ generantur intrà terram, & quæ sunt sub terra.
 & si terra, aqua, aër distincti sunt, cur non septem cœli, cur
 non alij? deinde cur à cœlo, & terra ducitur initium, de ter-
 ra agitur, post de luce, post de firmamento, de aquis, & ter-
 ra, post de plantis, post de Sole, Luna, & stellis. post de cre-
 atis in aqua, & in aëre volantibus, post de creatis, in terris?
 an non mixæ hïc res videntur poni? Si jam res quædam vi-
 dentur distinctæ, quædam non, ac mixtæ videantur poni, er-
 go cognoscendum est, patrem Prophetarum scripsisse histo-
 riam rerum creatarum, quæ seruiret historiæ rerum fu-
 turarum: atque eum ordinem posuisse, in quo ordo rerum
 futurarum contineretur. quam rationem videbimus secu-

cutos Euangelistas, dum in narrandis rebus gestis primi
 Aduentus Domini describunt futura secundi Aduentus.
 Quomodo congruunt illa, vt in Iobo capite 40. dican-
 tur Behemoth, & Iob creati simul, si Iob exiit post A-
 braham, Behemoth autem creatus fuerit ab initio cum cæ-
 teris animantibus? Quæ ratio est, vt quinto, sexto, & septi-
 mo die addatur illud: & benedixit Deus, non item in supe-
 rioribus, non in quarto? Quæ ratio est, vt homo dicatur
 creatus sexto die masculus, & foemina: post septimum, post
 creationem, & absolutionem creationis mundi, creetur mu-
 lier? Quomodo congruit cum Veritate, vt existat septimus
 dies sine tenebris nocturnis, cum omnis dies luce, & tene-
 bris constet? Si dicatur in septimo die signari patriam cœ-
 lestem, aut quiduis aliud, ergo recedetur ab historia litte-
 ræ: vt facit Paulus hoc loco in Epistola ad Heb. cap. 4. vt
 dictum fuit antè, at si dicatur, non idcirco non esse intelli-
 gendas tenebras, quòd de ipsis non fiat mentio die septimo,
 quæram quare tam diligenter in singulis sex diebus super-
 oribus facta sit mentio de tenebris: in septimo autem nul-
 la. vnde & hîc tandem ad mysteria descendetur. Et si in
 Sabbatismo signatur cœlestis patria, ergo oportet, vt existat
 prius Sabbatismus, quàm conscendamus ad cœlestem pa-
 triam. Si quid debet esse signum signati, oportet, vt existat
 prius, quod signum esse debet rei signatæ futuræ. Ita alia
 colligi poterunt, quæ non congruere videbuntur narrationi
 creationis mundi, & rerum in eo creatarû. Si præterea vt i-
 nitio capitis dicebamus, Deus nuntiat ab initio futura, ergo
 in hoc Capite nuntiatur futura. Etenim si in Diuina scriptu-
 ra est fons, è quo ducuntur quatuor flumina quatuor sortita
 nomina, dum in mare magnum confluunt, quod ostensuri su-
 mus, ergo fons erit liber Genesis, & initium fontis primû ca-
 put, ergo in primo capite cognoscenda sunt omnia, prima,
 media, & postrema operum Dei in toto cursu temporum.

Si ratio nuntiandi futura in Prophetis petita est à Mose patre Prophetarum, vt exposuerint statum populi Christiani in duodecim tribubus: quia dixit Moses, terminos gentium diuidendos secundum numerum filiorum Israel: ex hoc autem capite nomine cœli & terræ signarint statum Ecclesiasticum, & Politicum: in terra inani & vacua omnes sine operibus, & fructibus Fidei, ac Spiritus: in tenebris, destitutos Fide ac Spiritu Dei: in abyſſo cor prauum hominis Filij jræ, & Satanæ; in luce Fidem, Sp̄ & Charitatem: in die verum Dei cultum Fidei, in nocte cultum impiorum: item in die Verbum Dei ad Ecclesiam factum; & idcirco ætates, in quibus Verbum Dei solenniter factum est ad Ecclesiam: in nubibus, pluuiâ, grandine, fulmine, coruscationibus, Ecclesiam, & præsentiam Dei in ea, bella, diffidia, contentiones, pugnas Verbi, & armorum, & mutationes statuum, & talia: in aquis, in mari, in fluminibus, in terra populos omnis generis, loca, ciuitates, & status varios. in herbis, in arboribus homines varios, & cultus, & fructus pietatis, & progressus in ea, & munera, varique hominum genera: in Sole Christum, & Euangelium; in Luna Ecclesiam, & doctrinam Apostolicam, & aliquid quando statum Politicum: in stellis, doctores & pios, & electos CHRISTI: in belluis maritimis Ecclesiasticos malos, & prælatos: in terrestribus Politicos pariter malos: in homine Dei filios: in Sabbato, & in requie nouum statum mundi, & Ecclesiæ, atque Regnum Israëliticum; ergo Moses in hoc capite probatur eadem significasse. Quâ obrem futura omnino cognoscenda sunt proponi nobis in hoc pri. cap. Quod autem. omnes ætates hic septē diebus signentur; monemur in primo cap. Apo. vbi Christus (dū ostenditur α & ω primus, & nouissimus, principiu, & finis omnium) conspicitur ambulare intrâ septem lampades:

idem

idem extat apud Zachariam. in quibus septem lampadibus significatur lux septem ætatum mundi, quam attulit Ecclesiæ Deus solenni prædicatione sui Verbi, & declaratione suæ præsentia editis signis, & operibus admirabilibus. Capite 38. 39. 40. 41. libri Iob, ostendit Deus opera sua in ætatibus mundi ea ratione, quam præscripsit Moysi in hoc primo capite Geneseos. prætereo alia, quæ posui in præfatione, quæ ostendunt creationem rerum in mundo, & constitutionem firmam, & certam temporum futurorum, atque actionum mundi simul apud Deum extitisse. illud postremum addâ, quod pertineat ad mysticam interpretationem requirendâ in omnibus Diuinis scripturis. historia quam narrat Spiritus Sanctus, differt à narratione hominum. Hi narrant facta, & quæ fiunt, nihil præterquam quod factum sit, aut fiat signando: historia autem omnis Diuina, si narrat, quæ narrarunt, aut narrare possunt homines, illa narrando confirmat, & in illis futura simul tanquam præterita narrat. Quæ obrem ex historia, quam homines texuerunt, aut persequi potuerunt Spiritus Sæctus illa tantum assumit, & eo ordine assumit, per quæ narret futura, vt vidimus factum hoc capite. Hinc ea causa est, vt multa in libris Moysi, multa in Prophetis videantur dissidere, propterea quod in narrando quæ sunt vnus temporis, consignentur in his alia, & similia futurorum temporum: quod dum fit, ordo in rebus futuris seruetur. & hæc magis patebunt in cursu interpretationis susceptæ Diuinæ historiae. Cùm jam hæc omnia ita se habeant, interpretatio quam attulimus hætenus primi capitis, videtur vera esse oportere. atq; in hoc capite videmus Deum proposuisse summam suorum operum in administratione mundi. & in conducenda Ecclesia à primo homine usque ad eam completam in fine mundi. Et quoniam interpretatio historiae mysticæ in his, quæ ad Ecclesiam, & administrationem eius pertinent, dilata est vsque ad hæc tempora,

vt scilicet vniuersis, & singulis in toto mundo proponeretur cognoscenda; & initio dixi, hoc caput fuisse propositum tanquam finem eorum, quæ futura erant postremæ ætatis, ac tertij status mundi. quod hæc omnia essent tunc cognoscenda, & efficienda; distinguendæ tenebræ à luce, atque in luce consistendum, quæ fuerit omnium ætatum. Et hic quidam circulus, & rotatio videtur conspici, quæ signet eum, qui fuit principium, esse finem: & qui finis, principium in rebus quidem, quæ principium & finem suscipiunt, cum ipse tamen Deus in ea rotatione, & circulo, ostendat se sine principio, & fine. Et quando aperiet Deus secundam huius capituli interpretationem in cõplexu aspectabilis mundi totius cum ordine cœlorum cum omnibus stellis: quando tertiam eorum, quæ sunt supercœlestium; aliæ extabunt contemplationes, ad quas peruenient, qui præter reliquos sient veri amatores summi boni. Interea nos, qui opus Dei manibus tenemus eorum quæ egit in toto cursu tẽporis mûdani in sua Ecclesia, intuentes eius Maiestaté, æternitatem, Potètiã, Sapiètiã, & maximè Charitatem, & bonitatem ergà nos; comparabimus nos totos ad eum amandum, colendum, venerandum, solum adorandum: ac opus nostrum illud esse statuemus in vniuersa vita nostra, vt in eius laudibus cantandis, & celebrandis certemus cū cœlestibus, cum Spiritibus Angelicis, ad quod agendum in fine Psalmorum inuitamur.





CAPVT SECVNDVM.

Ista sunt generationes, &c. Hic caput secundum incipio secutus aliquorum sententiã. idque feci. quia Prophetica ratio tractandi, quæ assumit aliquid ex aliquo genere, quod exponat; persequitur illud vsque ad finem. Itaque primum caput videtur compræhensisse, vt totius mundi creationem, sic opera Dei in mundo ab eius initio ad eiusdem finem vsque: & idcirco quæ sunt septimi diei venire in vnã sententiã cum his, quæ sunt sex dierum, veruntamen nolo hîc meam sententiã valere: quia possunt esse aliæ causæ quarè septimus debebat distinguï à sex superioribus: veluti, quòd in septimo nouus status mundi futurus sit, distinctus & diuersus à superioribus.

Argumentum.

Capite primo status tertij mundi, qui erit Spiritus Sancti denũtiatus est: in quo illa sunt assumpta, quæ antè fuerunt omnium statuũ, & æratum mûdi; in hoc autem secundo status secundus exponitur Filij, complectens & futura status tertij, atque assumens, quæ antecesserunt ab initio, quæque sunt status primi Patris.

4. *Ista sunt generationes cæli & terre, quando creati sunt, in die, qua fecit Dominus Deus terram, & cælum. 5. & omne virgultum agri, antequam esset in terra, omnemque herbam agri, antequam oriretur, germinaret. quia non pluere fecit Dominus Deus super terram, & non erat, qui coleret eam.* Prima interpretatio & historica videtur esse, vt repetat Moses creationem rerũ, &

& hominis, & quid cum hoc post ipsius creationē sit factū. Et quia dixerat. in principio creauit Deus cœlum, & terram; id repetitur, atque concluditur cœlum à Deo creatū, & item terra. quoniamque deinde addita fuit expositio de terra, quòd esset inanis & vacua; de firmamento, siue æthere; de herbis, & arboribus; hæc quoq; concluduntur vt firmum teneatur, Deum creasse cœlum & terram, simulque quæ sub cœli complexu contingunt, & fiunt, quæque in terris procreantur, à Deo pariter esse creata, & facta. vt hæc sit sententia. Ita, quemadmodum memorauī, creati sunt cœli & terra, qui quando creati fuerunt, eo die facta sunt, quæ procreantur, in terris, & quæ in complexu cœli fiunt. facta sunt virgulta, & herbæ, atque pluuia è cœlo missa, semotis aquis, quibus terra mergebatur. Vnde hîc colligunt multi vno tempore creata fuisse à Deo omnia, propter mysteria autem septem ætatum factam fuisse distinctionem dierum, quibus omne tempus circumuoluitur. *Quoniam non pluerat Dominus*: vt creauit Deus terram, sic & vt germinaret, factū est à Deo, qui & firmamentum cœli fecit, vnde existeret pluuia. ab homine non colebatur terra, & ipsa aquis dicebatur mergi erumpentibus ex abyssu. *Et formauit Deus hominē*: Quomodo creauerit Dominus Deus hominē, hîc exponitur. quòd Deus spirauerit in illum spiraculum vitæ, & factus fuerit in animam viuentem. *Et plantauit hortum*: Exponitur quid cum homine post eius creationē factum sit. Deus, qui creauit terram, dedit pluuiam, dedit incrementum: hortum parat homini, quem colat: & quo oblectetur, & cibum habeat. Hæc, quæ hîc dicta sunt, de homine, & quæ deinceps dicentur, vt narrantur, sic credendum est esse facta omnia. quæ cum exposita sint a doctoribus, & à viris Euangelicis, non est vt eadem pluribus reptantur. est autem huius temporis, vt mysticam contemplemur historiam signatam in literis scriptis à Mo-

Mose. Ac primum illud videtur aduertendum, non omnia repeti, nec eodem ordine, quo narrata sunt in primo capite. Quarè existimam^o ea hic esse allata, & eo ordine, quæ inferuissent narrationi mysticæ, in qua cognosceretur secundus status Filij: vt etiam in primo capite sic exposita est rerum creatio, vt inferuisset narrationi rerum futurarum. in quo capite expositus est status tertius more Prophetico, quo posteriora nuntiantur repetitis primis principijs, deinde ad media recurritur, & ad postrema. Itaque cum in primo capite sit expositus tertius status, in quem conductus fuit primus & secundus; hoc capite exponitur secundus perductus in tertium. Igitur significatur hoc capite status secundus Filij, Ecclesia Apostolica, & quicquid deinceps est consecutum vsque ad tertium statum constitutum.

4. *Ista sunt generationes cæli & terra, quando creata sunt in die &c.* Quemadmodum vno die, vno tempore, vt multi docti censuerunt creata fuerunt omnia; atq; apud Deum peracta ab initio extiterunt, quæ effecta sunt deinde in mundo; ita propter mysteria hæc deducuntur in tempora, atq; quæ actu apud nos facta sunt in mundo suis exponuntur temporibus; vt mysticæ historiæ hæc videatur esse sententia. Ecclesia, & status populi Dei hunc habuit ortum, & progressum, quando in Christo Iesu Dei Filio omnes sancti geniti sunt, & coaluerunt in eius corpus, vt memoratum est in septem diebus; dum in septem ætatibus perductus est populus Dei in Regnum Israëliticum: atque in Ecclesiam innouatam, & præparatam, quæ tradatur sponso suo Christo Iesu in Sabatissimo. Et quia nomen Ecclesiæ Christi non fuit apertis verbis vsurpatum primis temporibus; ad natum Christum, & ad Ecclesiam Apostolicam constitutam fuit reuocata aperta & publica prædicatio de vna Ecclesia Christi, in qua comprehendantur omnes Ecclesiæ præteritarum, & futurarum ætatum. atq; hinc existimo factum, vt generationes di-

dicantur cœli, & terræ, vt significantur generationes, ortus scilicet, & propagatio electorum ab Abrahamo vsque ad Christum, & à Christo vsque ad postremum hominem futurum. vt hæ generationes dicantur tum fuisse procreatæ, tunc extitisse; quando fecit Dominus Deus terram, & cœlum: hoc est, statum populi sui, & Ecclesiam, vt memoratū est in septem diebus, seu septem ætatibus. Reuocantur autem hæ generationes ad statum Filij. & hîc signatur status Filij; quia in ipso illæ manifestæ factæ sunt, atque in ipso extiterunt omnes. Patres nostri mortui sunt, solus Filius est, qui manet in omnibus generationibus, & qui in se portat omnes generationes. Ergo hîc extant generationes electorum, qui per Fidem Abrahæ, & cæterorum patrum generantur ex Verbo Dei credentes: fiunt generatio Dei in Christo Iesu, & familia: vt sint ipsi Regnum Dei, & Christi Ecclesia. Hinc tam diligens extat narratio familiarum deinceps vbique in Sacris voluminibus: & generatio Christi in Matthæo, & Luca, ducta ab Abrahamo, & ab Adamo.

Quando creata sunt: in die qua. Hoc tempus siue referatur ad creationem mundi, & ad prædestinationem, siue ad tempus CHRISTI, quod maximè significatur hoc loco, siue ad finem operum DEI, siue ad singulas ætates propter id quod sequitur, in die qua fecit Dominus DEVS; oportet, vt generatim intelligamus, & in singulis statibus mundi, & ætatibus Deum creasse statum populi sui, & Ecclesiæ: quemadmodum dum dicitur, in die qua, significari existimo singula tempora singularum ætatum, nō solum primum tempus, quando omnia creata sunt. vt omnino certi esse debeamus, quòd Deus ipse creauerit Ecclesiam, & statum illius, & genuerit in Christo omnes fideles, tum quòd ab initio fuerint cum Christo, tum quòd omnibus temporibus in Circumcisione, in Baptismate, in innouata Ecclesia geniti sint in Christo.

Fecit Dominus Deus terram, & cœlum. Videamus hîc tria. quare cùm dictum sit. quando creati sunt, addatur, in die, qua fecit. quare nomini Elohim addatur Iehoua. & quare hîc ante cœlum ponatur terra. mihi videtur esse additum, facere, vt significetur status mundanus, & status populi Dei Ecclesiasticus, & Politicus: omnis publica administratio: omnes credentes: omnes actiones, & operationes, & ipsa vita fidelium extitisse per Christum: qui suo Spiritu omnia generatim in omnibus, & separatim in singulis egerit ab initio temporis ad finem temporis. quod deinceps in hoc eodem capite exponetur. & hinc illa maxima Prophetarum extabit, qua cùm volunt ostendere Deum omnia agere in mundo, à suo initio vsque ad finem, aiunt. Deum creasse cœlum & terram. vbi intelligût in cœlo & terra à Deo creatis Deum fecisse, & operatum esse omnia in cœlo & in terra, dum fuit cœlû & terra, vt videre licet in Prophetis. Esd. lib. 4. cap. 6. vbi memorat creatum cœlum, & terram; memorat omnia, quæ narrat Moses tunc creata, cùm crearetur cœlû, & terra. & secûdum creatione, & effectiõnem omnium tunc, concludit gentes impias nõ debuisse suo tempore tûc, & nostro nûc dominari pijs. Vide Isa. cap. 37. 16. & cap. 44. 24. ibi inuenies dũ dicitur Deus facere, cœlû, & terrã, intelligi quæ nûc fiunt ab impijs cõtra pios. ite extendi cœlum, & terrã quãdo fiunt quæ sunt aliorû, & nostrorû nûc tẽporum. In Ieremia cap. 10. 11. dum disputat Deus se facere omnia in mundo. & non idola hominû. ait nõ esse Deos, qui non fecerunt cœlû, & terrã. hoc est præter cœlû, & terrã, omnia quæ sunt statuû seculorum mundi, & præsentis seculi. hunc modum loquedi passim inuenies in Sacris literis vsurpatum ductum ab hoc loco Mosis, vt in factõ cœlo, & terra, intelligantur facta, & acta omnium temporum cum omnibus creatis. Videtur verò addi Iehoua, vt signetur Christ' siue stat' secûdus Filij, vt in Elohi signat' est tertius status Spirit' Sancti.

Sancti. Quòd autem in Elohim nomine Spiritus Sancti intelligatur quoque Pater, ac simul Filius & Spiritus Sanctus, dictum est cap. 1. vbi loquebamur de nominibus Berefcith. Bara, Elohim. Quòd item in Iehoua signetur Dei Filius, atque in eodem quoque nomine cognoscatur Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, dicetur in initio Exodi, nunc solum dicamus duplex nomen Dei hìc poni, vt Deus cognoscatur omnia egisse per Filium, & per Spiritum Sanctum, qui mittendi significati sunt passim in Veteri Testamento: atque in Ecclesia Apostolica, & prædicati fuerunt, & perspicui facti sunt, esse missi à Patre; atque operati omnia, quæ ad salutem nostram pertinerent. vnde Eloha ab El est deductum, vbi signatur Spiritus Sanctus Deus à Patre manans, & missus; in Iehoua cognoscimus Filium, per quem sit missus Spiritus Sanctus, & donatus Pater credentibus. de quibus alibi dabitur dicendi locus. nunc illud est hìc nobis aduertendũ, Ecclesiam Apostolicam fuisse constitutam in prædicatione de Filio, & de Spiritu Sancto missò à Patre. Vnde dum prædicabat Christus, affirmabat neminem ingredi ad Patrem in coelum, nisi renatum ex aqua, & Spiritu Sancto. peracturus opus propter quod venerat, prædicat Spiritum Sanctũ, quem promittit se missurum à Patre, & hortabatur Apostolos, vt hunc à Patre peterent, hoc nuntiabat edocendos Apostolos in omnibus quæ ad salutem nostrã, & ad cognitionem Dei, ac rerum Diuinarũ pertinerent. Spiritus Sanctus autem quando descendit super Apostolos, docuit illos, & operatus est in illis, atque in alijs credentibus ea, quæ legimus in monumentis Apostolicis. Quamobrem cum hìc agatur de secũdo statu, in quo opera mutua vidimus Filij, & Spiritus Sancti, videtur Moses idcirco hæc duo Diuina nomina posuisse, vt signaretur opus, quod perspicuũ fuit Filij, & Spiritus Sancti in prædicatione Euangelica, quod idem nunc fuit

in prædicatione eadem reperita. Hinc cap. primo Osee dicitur de Christo. Saluabo eos in Domino Deo suo. audi Hebræe *Baiehouah, Elobehem*: & cognosse hunc locum Moses referri ad tempus Christi, vt Christum Deum quoq; cognoscamus non solum hominem. (*terram & cælum.*) Antè positum est cælum prius, propterea quòd finis & summa creationis omnium, & generis humani proponebatur, vt perficeretur vna Ecclesia, in qua sedem haberet Deus. quia verò status mundanus antecessit, & prius fuit seculum Cam, Esau & similibus: atq; etiam Regnum Israëliticum desinit in Ecclesiam Sponsam Christi; posita hinc mihi videtur terra prius, quàm cælum: vt capite primo postquam proposuit Moses creationem cœli, & terræ, incipit deinde à terra explicationem, non à cœlo, propterea quòd quæ fuerunt tenebrarum in terra, & illa quæ fuerunt sex dierum, antecesserunt hæc, quæ erunt septimi & cœlestia. item statim dicitur. Formauit Deus hominem è puluere terræ, & spirauit in faciem eius Spiritum vitæ.

Et omnem herbam agri. Terram, terram, terram inuenit Christus statum Israëliticum, vt & hoc tempore, quemadmodum narratur in Ieremia cap. 4. 23 inanis, & vacua terra inuenitur à Domino, vt in primo, ita in secundo Aduentu: veluti & antè fuit in statu Circūcisionis, & magis ante Circūcisionem. dicamus ergo fuit terra, quando non erant herbæ, fuit terra, quando non erant arbores, ergo qui fecit terram, fecit deinde herbas, & arbores, dedit incrementum, & pluuiam. vnde qui creauit populum, & ex populo Ecclesiam, effecit deinde in his omnia. vnde videtur hoc esse positum ad significandam prædicationem Euangelicam & ad confutandas impias gentes, & superstitiosos Iudæos, & superbos Pelagianos. Euāgelium docet nos non posse fructus veræ pietatis edere, nisi in Christo manserimus, vt palmites in vite. predicat doctrina Apostolica Deum præparasse o-
pera,

pera, in quibus ambulemus; docet fructus qui extant in nobis pietatis, esse fructus Spiritus. impij multi dixerunt, Deum non curare humana: alij à viro docuerunt dici, & prodire virtutem, qua gloriantur. Iudæi, & Pelagiani confitentur quidem nos esse vocatos à Deo in populum, & Ecclesiam suam; sed aiunt deinde se sua facultate, & virtute perficere opera pietatis: atque jactant sua merita, & præstantissimas facultates, quas à natura habent. at historia Sacra ait, antequam essent & germinarent in terra herbæ & arbores, Deum fecisse eas, hoc est, antequam opereremur opera pietatis, Deum præparasse illa, in quibus ambulemus; & effecisse, vt illa perficeremus. quòd operetur ipse in credentibus & velle, & perficere. omnes deinde facultates, & munera, & dignitates nō naturæ, non fortunæ; sed ipsi Deo tribuendas, qui singulis diuidit, vt sibi placuit, sub Lege, sub Evangelio, sub aperta Prophetia.

Quia non pluerat Dominus super terrā. Duæ causæ afferuntur quare fructus pietatis non ediderint per se homines. primū quod non haberēt Legē, & Verbum Dei, & cultū à Deo institutū. Et si hæc habuerunt, literā habuerūt externā nō Spiritū qui in literis requiritur. deinde quia nō habuerūt prædicatores, & ministros à Deo, per quos instituerētur secundū illud. quomodo credent, nisi mittātur, prædicatores scilicet Euāgelici. quod factū est per Christum, nō per homines. Itaque dū dicitur, non pluerat, existimo significari populū per Verbū Dei nondū institutū, & Verbū Euāgelicū in eo non datum. vt hoc respondeat firmamēto cœli secundo die factō. in quo significabatur populus Dei sub Lege Dei constitut⁹, qui ante nō fuit sub illa Lege scripta per Mosē. & in aquis superiorib⁹ prædicatio Verbi, & spiritualis gratia populo data. postquā autē extitit Verbū Dei & prædicatio Euāgelica apud gētes quoq; tūc coepti sūt apparere fruct⁹ pietatis in fidelib⁹. quod insignitè apparuit in Apostolis, & multis alijs.

Et homo non erat, qui coleret terram. Missis Prophetis, mis-

sis Apostolis præsertim, extiterunt tunc fructus in Ecclesia, & in populo, qui fructus cum nuntiati fuerint à Prophetis, copiosi prodierunt in Ecclesia Apostolica, & perducti ad suam maturitatem apparuerunt in Catholica, quando peruentum est ad opera Dei in septem ætatibus perfecta. Ante Christum non erat homo, qui coleret terram, veluti & ante Fidem Abrahami. sed hic agitur maximè de tempore Aduentus Christi, quando vt dicitur cap. primo Oseæ, fornicans fornicabitur terra. Synagoga erat fornicaria: reliquæ gentes, in quorum societatem venerant Iudæi, erant impiæ sine cultu Dei, vt nec ab his nec ab illis extarent fructus pietatis, & Fidei. Venit ergo Christus quando abundauit peccatum vt superabundaret gratia, fructificarem usque Deo, & nobis pararetur vita æterna.

6. *Et fons (vapor) ascendebat è terra, & irrigabat omnem superficiem terræ.* Hic dum Spiritum cognoscimus, qui fuit in omnibus filiis Dei ante Christum, simul Baptismus Ioannis Baptistæ significatur, & prædicatio: quam prædicauit & ipse Christus, & Apostoli. prædicatum est Euangelium & inter gentes: & Christus positus est fons vitæ, quo rigantur terræ, vt & in populo Hebræo, & in gentibus prodirent fructus æternæ vitæ. vt qui terra fuerant, renascerentur ex aqua & Spiritu Sancto. vnde sequitur de renatis.

7. *Et formauit Dominus Deus hominem è puluere terræ, & spirauit in faciem eius spiraculum vitæ: & fuit homo in animam viuentem.* Historia narrat principium creationis hominis, ut in superiori capite. quod creatus, formatus, & perfectus significatus sit homo: hic autem, quod è puluere terræ fuerit primò formatus, & deinde iu eum Deus spirauerit spiraculum vitæ, atque extiterit homo in animam viuentem. verùtamen dum exponitur animalis homo creatus primò, signi-

significatur, & pōst spiritualis. nam Paulus 1. Cor. 15. vide-
 tur interpretari hunc locum. primum secundum historiam
 literæ ait primum hominem extitisse in animam viuentem.
 secundum autem interpretationem mysticam, fuisse ipsum
 Dominum e coelis. vbi per primum hominem intelligit A-
 damum animali vita donatum, secundum hominem intel-
 ligit Christum. nam omnes fideles portarunt in se horum
 duorum hominū imaginem, vt ait idem Paulus. quemad-
 modum portauimus imaginem terreni, portabimus ima-
 ginem cœlestis. Quamobrem hīc secundum historiam li-
 teræ cognoscimus nos creatos secundum imaginem terre-
 ni hominis: secundum autem sententiam mysticam nos
 formatos ad imaginem cœlestis Adami, regeneratos per
 Spiritum Sanctum Dei filios, & vita Filij donatos, vt in æ-
 ternum viuamus: quòd ut tales fuimus, qualis fuit primus
 Adamus, tales futuri sumus, qualis est cœlestis. Vnde hīc
 advertere oportet, hominem secundum poni & pro Chri-
 sto, qui est ipsa imago substantiæ Patris, & pro fideli in ip-
 so regenerato ad sui imaginem, & inde Dei Patris. Que-
 madmodum & in Prophetia sæpe fit: vt institutus sermo
 nunc ad caput Christum, nunc ad eius membra, & ad Ec-
 clesiam idem referatur. Quòd autem à primo homine ter-
 reno ad spiritualem traducendus sit sermo huius sententiæ,
 significatur in verbo formauit, quod tribuitur Filio, vt cre-
 auit Patri, & perfecit Spiritui Sancto, quemadmodum di-
 ctum est in superiori capite, & 43. Isaia. vnde & Paulus se-
 quens sententiam huius verbi formauit, ait fideles portare
 imaginem cœlestis Adami, quemadmodum portauerunt
 imaginem terreni. nam qui fuit in animam viuentem ho-
 mo in Christo format^o est, & Spiritu Sancto perfectus, quod
 maximè patet in prædicatione Euangelica, per quam re-
 nati sunt credentes ex aqua, & Spiritu Sancto in Christo Ie-
 su: hoc est in eo, qui spuit in terram, & limuit oculos coeci
 dd 2 nati,

nati, & iussit eum ablui aqua, & vidit. Verbum caro factum prædicatum est Christus Iesus crucifixus, & mortuus pro peccatis mundi. formatus est ergo credens in Euangelio nouus homo, homo in nouo homine.

Et inspirauit in eum spiraculum, seu Spiritum vitæ. Renatus ex Spiritu Sancto. Et fuit homo in animam viuentem. Filius Dei Patris victurus vitam æternam. Hæc ratione Prophetica simul intelliguntur in quoq; credente: & distinguuntur, vt forma omnium filiorum Dei sit in Christo nato medio tempore, vt spiritualis vita in omnibus fidelibus sit per Spiritum Sanctum, cuius solennis status futurus sit in secundo Aduentu Christi. vt in cœlis omnium filiorum Dei sit futura vita æterna. Hæc facta sunt in primo homine, qui deinde peccauit, in quo quia fuerunt omnes homines, in ipso significata sunt, quæ erant futura omnium hominum, vnde & in primo capite, & hinc in secundo eadẽ sunt repetita varia tempora, & opera fidelium. Ac vt in Adamo hæc signabantur, quæ erant reliquorum filiorum Dei; sic & in ipso fuisse, intelligenda sunt. Quamobrem & ipsi Adæ primò fuit Christus huntiatus, & æternum Euangelium prædicatum. Vapor ascendens, & irrigans terram fuit illi Baptismus, & fons saliens in vitam æternam: Et quòd dictus sit creatus ad imaginem, & similitudinẽ Dei, quòd creauerit Deus hominem ad imaginẽ suam, quòd ad imaginem Dei creauerit illum: siue dicas: formauit Dominus Deus hominem epuluerẽ terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & fuit homo in animam viuentem; est idẽ cum Baptismo Christi, in quo credentes baptizantur in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti vt quod in signis est diuersum, re ipsa sit idem vt circumcisio & Baptismus sunt idem ratione Spiritus, & Veritatis.

8. *Et plantauit Dominus Deus hortum in hadem ab oriente, & posuit*

posuit ibi hominem, quem formauerat De horto, & arbore vitæ, & de alijs, quæ pertinent ad historiam literæ non plura quæram, quam quæ sunt exposita à doctoribus: vt inobedientia primi hominis, in quo mortui sumus, primùm cognoscatur. historiam verò mysticam nos contemplantes, dicimus Christum post prædicationē Euangelicam, per quā regenerauit in se credentes, qui portarent sui imaginem, Spirituque viuerent; constituisse Ecclesiam suam, vt in ea fruerentur illi bonis spiritualibus Patris, & muneribus Spiritus Sancti in seipso cum æterna vita. Per Paradisum enī voluptatis intelligo quidem secundū historiam literæ hortum ad Orientem positum, in quo oblectamenta haberet Adamus non solum loci, & eorum, quæ erant in horto; sed & perpetuitatis sine dolore vitæ, maximè autem cognitionis & contemplationis rerum Diuinarū, quæ ei apertæ tunc fuerunt, positus verò ad ortum fuit hortus, quia vt statuit Deus, secundum progressum temporum credentibus auxit ditionem, & possessionem terrarum, donec in postrema ætate & statu occupabunt ab ortu ad occasum totum terrarum orbem. de qua re sæpè memorabimus in Prophetis, & alibi. Si autem ad mysticam interpretationem intuebitur, Paradisus voluptatis, quem plantauerat Dominus Deus à principio, est Ecclesia, vt quisque ex cap. 28. & 31. Ezechielis certus esse potest: quæ & vinea dicta est, quam plantauit Deus in Christo iam ab Adamo quando Agnus occidebatur ab origine mundi; & deinde assumptis in ea alijs inuocantibus nomen Domini; assumpsit Abrahamum, qui vidit diem Christi, & gauisus est: assumpsit patres in deserto, quibus promissus fuit Messias, qui gaudium allaturus esset in populo Dei. Filius Dei tandem apparuit in sua Ecclesia factus homo, qui faceret omnes credentes Dei filios, atque hæredes æternæ vitæ: omnes inquam, qui & ante credidissent, & qui tunc, & qui post credituri essent.

dedit seipsum nobis Christus, dedit & Patrem, & Spiritum Sanctū. nam cū in ipso fuerint omnes thesauri Diuinitatis, per ipsum communicatus est fidelibus Diuinus Spiritus: atque Apostolis donatæ sunt primitiæ: vt in horto Diuinarum scripturarum præterita, præsentia, & futura cognoscerentur, mysteria sibi recluderentur: ad ordines Angelicos conscenderent, & tandem ab Tribunal supremæ Majestatis tenerent iam beatam & æternam vitam, in quam deducendi essent. vnde fidelibus proponebatur gaudium, quod fuit in Abrahamo, qui vidit diem Christi: intelligebant quale esset illud gaudium, quod nuntiarant Angeli pastoribus, quando conclamabant. Ecce annuntiamus vobis gaudium magnum, quod erit omni populo. hoc enim gaudium videtur esse voluptas Paradisi, de qua fit hic mentio: certitudo scilicet, & securitas de beata & æterna vita in Christo: Spiritusque Dei adeptus, qui certos nos reddit, quod Filij Dei sumus: cognitio, & contemplatio rerum Diuinarum, & patefactio mysteriorum, quæ sunt in Sacris literis abscondita: consociatio & coniunctio quam nostri sentimus cum omnibus membris Christi in eadem Ecclesia, participatioque eorundem bonorum Christi, quæ omnia si adhuc non senserunt in se omnes fideles, & qui præteritis temporibus fuerunt, vt senserunt Prophetæ, & Apostoli, & quicumque perfecti; sentient propè omnia ferè omnes, qui futuri sunt in Ecclesia innouata, & in Regno Israëlitico, quando adducetur populus Dei, cui relictus erit Sabbatismus, in Paradisum, de quo loquitur Ioannes in Apocalypsi cap. 2. *A principio.* Quod quidam vertant à principio, quidam ab oriente, & ad orientem, fit quia Prophetia variè alludit. vtrunque videtur intelligendum, quia locus, & tempus simul conprehenduntur. atque initio temporum statuit Deus suam Ecclesiam: & in certa parte orbis posuit suum initium: atque tempore auxit illam, quæ & cum tempore loca ampliora

pliora occupauit, vt dicebamus. vnde Christus, qui constituit Ecclesiam, dicebat Apostolis. & vos testimonium perhibebitis, quòd ab initio mecum estis. *In quo posuit hominē.* Adam ante peccatum potuit in Dei Filio obtinere vitam æternam, & illa Diuina dona, quæ diximus; sed obtinentur à credentibus in nouo Adamo Christo Iesu, ac obtinebuntur & in terris, & in coelis in æternum. quòd formati & perfecti facti erimus in Christo Iesu Dei Filio. & hæc omnia in ipsius Ecclesia.

9. *Et germinare fecit Dominus Deus è terra omnem arborem concupiscibilem visu, & † suauem ad vescendum & arborem vitæ in medio horti & arborem scientiæ boni & mali.* Dominus Deus Christus Iesus venit in medio temporū, prædicauit Euangelium, in quo regenerauit credentes, constituit Ecclesiam, datis Apostolis, doctoribus, & alijs ministris præditiis muneribus, & facultatibus multis impertitis per Spiritum Sanctum: atque in Coena Dominica constituit statum Euangelicum, vt & capite 3. Osee docemur. in qua Coena caput se constituit Christus, cui parere, cui adhærere omnes in communi concilio debeant. Quòd in terra, quæ fuit hortus, signetur Ecclesia, non mirum videri debet, quia & de Christo dicitur. aperiatur terra, & germinet saluatorem: & ante dictum est. Et formauit Dominus Deus hominem è puluere terræ. è terra ergo hac produxit Dominus Deus omne lignum pulchrum visu, & ad vescendum suauē: siue bonum dicas, vt intelligatur virtus Euangelica in salute credentis æterna, ipsaq; beata vita prædicata ab Apostolis qui fuerunt pulchræ arbores utiles. etiam Prophetæ ederunt fructus æternæ vitæ. quorum Apostolorum doctrina fuit irreprehensibilis, à Spiritu Sancto præcepta, & salutaris: magnaq; fuerunt in ipsis munera & dona Spiritus Sancti. nec est vt reperam in arborib⁹ signari Prophetas, Apostolos, & magnos, quos dedit Deus in Ecclesia vi-

† bonā.

ros. id enim iam ex primo capite patere debet, & in Prophetis sæpè videbimus: nec etiam, quòd in arbore in medio Paradisi sita signetur Christus secundus Adamus, qui è coelo descendit. quia & ipse dicitur radix Iesse, & vocat se vitem. Ergo in terra hac intelligimus Ecclesiam, in qua dati sunt Prophetæ, dati sunt Apostoli, dati doctores, & multi plurimis facultatibus, & muneribus præditi: dati omnes ad vtilitatem, & commodum Ecclesiæ. & dum dicuntur arbores concupiscibiles visu, & ad vescendum suaues, seu boni significatur coitio, & participatio fidelium inter se; significatur Cœna Dominica, in qua charitas omnium in omnes & in singulos se aperit. Ac communicatio eorû, quæ sunt singulorum in omnes & singulos tum amoris, tum bonorum, tum officij, tum facultatum animi, & Spiritus, extat iucunda & fructuosa omnibus in Ecclesia, & in Cœna Dominica, & in concilijs, & in omni administratione, & in communi vita. In arbore autem vitæ intelligim⁹ Christum Iesum qui est arbor vitæ quòd ipsius vita viuamus in æternum suo Spiritu facti participes, tanquam membra in suo corpore nunquam moritura, vt ipse iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur. idque assequimur ei credentes, ei soli adhærentes, in eo solo cognoscentes extare nobis vitam æternam. est verò ipse in medio Paradisi, qui venit in medio temporû, quem solû caput, & Dominû debem⁹ omnes habere in Ecclesia. Et hîc assumatur, quæ de magnitudine Christi Paul⁹ memorat cap. primo Epistolæ ad Colossenses. Ac cum sit Christus lignum vitæ nobis in Ecclesia, est quoque lignû scientiæ boni & mali: ipse est Sapiencia Patris: in ipso sunt thesauri Sapienciæ & scientiæ Dei. Verbum Patris est ipse Filius. Quæ ergo Sapiencia est Patris profertur & nuntiatur in Filio. Omnis ergo Diuina Lex, quæ in tota Diuina scriptura iubet bonum, & malum vetat: alterum ab altero distinguit, & verum à falso, per Fi-

lium est sancita. ipsius solius est prudentia, sapientia, & scientia distinguendi, & secernendi bonum à malo; verum à falso; iubendi, & vetandi. Ergo dum constituit Christus Ecclesiam; dedit in ea Apostolos, Prophetas, doctores, & alios muneribus Spiritus Sancti præditos; debet esse communio, & participatio bonorum, & munerum omnium cum omnibus: quemque quod bonum in se erit in alios conferre: nec recusare, nec contemnere, quod bonum in quouis alio erit. Id est enim edere, audire omnes in Ecclesia, nec quenquam contemnere: veluti semper simus in concilio, vbi cuiq; sit suus locus: simus in Coena Domini, vbi quisque cognoscatur membrum Christi: quod in se loquitur Dominus, profertur: ac simul attendat quid loquatur in quouis alio. Nec in Ecclesia, nec in congressionibus familiaribus, nec in concilijs, nec alibi quisquam audeat constituere se lignum vitæ, vt velit, quod ipse sentit separatim, sentiant & alij: velit alios esse hæreticos, ni secum sentiant: non mediū locum affectet, non faciat se caput, cū sit membrum. non faciat se Christum, non suū Pontificem: non tribuat sibi scientiam boni & mali; vt ipse præscribat alijs legem, & rationem vitæ, & omnis administrationis, quæ solum in Verbo Dei sunt cognoscenda, & habenda. Et hæc, quæ consignata sunt in arboribus Adamo, consignata sunt nobis in Coena Dominica: in qua profiteamur nos esse membra Christi, non caput; participes nos fieri Spiritus Sancti, non esse nos Spiritū Sanctum, non esse Christum. Ergo videmus, quæ duo Sacramenta data sunt nobis Baptismatis, & Coenæ Dominicæ, eadem data esse Adamo, dum fuit ei expositum ter, se creatum ad imaginem Dei, & quomodo fuerit creatus: vbi cognoscimus Baptismum nostrum, & hic in horto Coenam.

10. Et fluvius egrediebatur è loco voluptatis ex Hæden, ad irrigandum hortum, qui deinde dividitur in quatuor capita.
11. Nomen uni Pifon. ipse est qui circuit totam terram Chauilah, ubi est aurum.
12. Et Aurum terræ illius est bonum. ibi bdellium, & lapis onix.
13. Et nomen fluij secundi Sihon. ipse circuit omnem terram Æthiopiæ.
14. Et nomen fluij tertij, Tigris. ipse vadit contra Afirios. fluvius autem quartus est ipse Euphrates.

Cap. 3. Oſæ dat Chriſtus mulieri quindecim argenteos, & hordeum. ibi diximus ſignatum eſſe Verbum Euangelicum, & Cœnam Dominicam: ita hic mihi videtur poſt hortum datum, & arbores in eo, hoc eſt poſt datam, & conſtitutam Eccleſiam, & datos miniſtros, & rationem adminiſtrationis, & quæ ſunt Cœnæ Dominicæ; dari quoque Verbum æterni Euangelij ſignatum in fluminibus, dicamus igitur de Verbo Dei ita. Ex Eccleſia natus eſt ipſe Chriſtus, in quo ſunt omnes theſauri Diuinitatis, æterna & beata vita: cuius participes ſunt in eodem Chriſto omnes credentes, in quem qui credunt, fit in eis ipſe fons aquæ ſalientis in vitam æternam. quia Euangelium prædicatum à Chriſto eſt flumen, in quo lauantur credentes ab omnibus ſordibus peccati, & in quo ſitis expletur beatæ vitæ. Hoc flumen eſt æternum Euangelium, prædicatum Patribus, Abrahamo, & Adamo antè, vt diximus. in quo Euangelio fuit viua illorum omnium Spes, & Fides; atque in Eccleſia omnium temporum perennis. Hoc flumen diuiſum fuit in quatuor capita, quia ſcriptum fuit quatuor voluminibus à quatuor Euangelis, vt deportetur in quatuor mundi partes, ad ortum, ad meridiem, ad occaſum, ad ſeptentrionem: quod perfici debuit ætate ſeptima. Et quamuis ſit
alia

alia contemplatio in quatuor animalibus quatuor Euāgelistarum, de ea agetur in Exodo, & alibi. nunc tantū dicamus de prædicatione Evangelica delata in quatuor mundi partes. Hæc igitur prædicationis, quæ ante fuit reuelata patribus, atque eius gratia in promissionibus, & mysterijs exhibita, per Christū populo Hebræo est nuntiata, & oblata: per Apostolos deinde, & horum discipulos illius vox & fama per totum orbem deportata. eandem præterea prædicationem scripsit Christus in cordibus fidelium, quæ & quatuor voluminib⁹ descripta, delata est per totum orbem, atque in manibus, & ante oculos omnium posita. Hoc vnum idem Euangelium fuit vt dicebam reuelatum patribus, atque eius gratia exhibita toti populo Israëlitico in promissionibus, & signis mysticis: consignata quidem in libro Geneseos tanquā in vno fonte, deinde deducta, & exposita in quatuor libris Legis. quorum mysteria deinde fuerunt expressa in quatuor libris Evangelicis. atque tandem consensus Legis, & Euangelij aperiretur omnibus populis ex libris quatuor Prophetarum. de qua re dabitur dicendi locus, cum egressi ē fonte, & flumine Geneseos, deducemur in quatuor flumina Legis. Et si in nominibus quatuor quatuor fluminum aliquid quoque intelligendum sit, existimarem ego cognoscendam Legem, Prophetiam, Euangelium, & reuelationem, ac apertionem librorum. quæ reuelatio fiet quando in valle Iosaphat fiet magnum Iudicium ad flumen, quod signatum est cap. 46. Ieremiæ nomine Euphratis.

15. Tulit ergo Dominus Deus hominem, & posuit eum in horto Hædem ut coleret, & custodiret eum.

Electi sunt, vocati sunt omnes omnium ætatum credentes, vt in Ecclesia in qua habent promissiones, Legē, Euangelium, & Prophetiam: habent institutionem Cœ-

næ Dominicæ; suam operentur salutem obseruantes Diuina præcepta: simulq; Dei cultum, & Ecclesiæ emolumentum in omni suo munere, & opere quærant, & promoucant. & hæc dicta sint de omnibus, & singulis deductus in hortum, & vineam, & Ecclesiam Christi, qui autem erunt in munere Ecclesiastico & Politico serui Christi, administrabunt in Ecclesia, & populo Dei: ac id agent, vt ipsi & alij conferuentur in institutis Christi, cui reddituri sunt de sua administratione rationem.

16. *Et præcepit Dominus Deus homini dicendo. Ex omni ligno horti comedes.*

17. *De ligno autem scientiæ boni & mali, ne comedas ex eo. quocunq; enim die comedas ex eo, morte morieris. &c.*

Dictum est supra Dominum Deum plantasse hortum, constituisse non solum Ecclesiam; sed & statum publicum, & liberum Romæ. nam hic status publicus, & liber Christianorum, maximè fuit conspicuus & insignis. vnde dantur præcepta & pacta seruanda ab his, qui administrant Ecclesiam, & Regnum Dei. In Ieremia cap. 2. & in Ezechiele cap. 28. & 31. ostenditur Ecclesia per hortum voluptatis. cum autem hi Prophetæ ex hoc loco loquantur de statu Papistico, ergo, quæ hic præcipiuntur pertinebunt ad Papam, & ad Ecclesiam Romanam, & ad imitatores Papistarum. Dum ergo obtinent Christiani statum publicum Romæ & alibi, paciscitur Deus cum ministris, & populo: vt perseveraturi sint in Regno Dei, si obseruarint præcepta. Lege totum vetus, & nouum Testamentum; vide promissiones factas Abrahamæ, & deinceps omnibus in populo Dei, perpetua successio datur perseverantibus seruare pacta, & præcepta: alioquin nulla censetur esse successio. videamus pactum. præcipitur, vt edamus de omni ligno Paradisi, verum lignum scientiæ boni &

ni & mali, ne attingamus. & quia, vt supra vidimus, arbor hæc dicta est quoque lignum vitæ, & quod sit in medio Paradisi; videamus hæc tria distinctè. Arbor in medio Paradisi est Christus, qui est lux mundi, caput Ecclesiæ. qui appetunt primum locum in Ecclesia, hi appetunt locum Christi, faciunt se Christos. arbor scientiæ boni & mali est Christus Sapiencia Patris. edunt ex hoc arbore, qui præscribere volunt Ecclesiæ suæ: suis legibus loco Verbi Dei volunt administrari omnia, vt alij Dij, arbor vitæ est Christus cui acceptam ferimus salutem. Qui faciunt alios hæreticos: qui suam separatim sequuntur sententiam, faciunt hi se arborem vitæ. in arbore posita in medio Paradisi significatur status Euangelij, in quo Christus est caput. Quando autem Papa & Ecclesia Romana & Patriarchæ, & Episcopi alibi fecerunt se tyrannos aliorum, locum Christi suum fecerunt. in arbore autem scientiæ boni, & mali cognoscimus. primum statum, in quo data est à Deo Lex; & tamè dum in Papatu sunt, qui locum Christi sibi vendicant, etiam Deos se statuunt, suas leges præscribentes Ecclesijs, & populo Dei. in arbore vitæ signatur tertius status, quando fiet Iudicium, & obtinebitur in Christo per Spiritum Sanctum æterna vita. facit homo se arborem vitæ, quando Papa, & Papatu locum Christi accipiunt, se Deos faciunt, vitam volunt vt habeas æternam in se jurando, secum in omnibus rebus, quæ ad vitam æternam pertinent sentiendo, vt habeatur à Papa remissio peccatorum. Qui hæc fecerint, morientur, eiectione ex Ecclesia & Regno Dei. quod apparuit seu apparebit nunc in Iudicio Christi. ex omni ligno Paradisi debuerunt edere: colere seu celebrare debuerunt Cœnam Dominicam; cognoscere se membra Christi, & non capita: cogere Ecclesias, sententias singulorum exquirere: Cogere concilia, in singulis quarere,

vbi, & quid loquatur Dominus. Hæc summam dicitur
 sint: videatur quid dicat Deus cap. 2. Ieremiæ versu 7. &
 8. in Ezech. cap. 28. versu 2. 3. 13. & 14. cap. 31. versu. 9
 16. & 18. atque cognoscite veram, & propriam interpreta-
 tionem. Reliqua addite vos, quæ hic dici possunt.

18. *Dixit quoque Dominus Deus, non est bonum esse homi-
 nem solum, faciamus ei adiutorium, quod coram eo sit.* Vide-
 tur quærendum, quidnam ad rem faciat commemoratio
 illa de animalibus, quod antequam ædificauerit Deus E-
 uam, suo nomine vocasse dicatur Adamus quæque ani-
 malia, mihi videtur Moses inseruire, vt dixi, rebus futu-
 ris, & temporibus; quæ hîc significantur. Quare dura
 dictum est, tulit ergo Deus hominem, & posuit eum in
 Paradiso voluptatis; existimo signatam ibi fuisse quin-
 tam ætatem mundi, siue potius certum tempus quartæ,
 quia in dimidio hebdomadæ defecit hostia, quâdo Ec-
 clesijs, & populo Christiano à Deo datus est Dominatus,
 & Imperium Romanum. & si sit quinta ætas, reuocatur
 illa ad quartam status secundi Filij: in quo prima ætas
 numeratur à Christo nato: secunda fuit Martyrum: ter-
 tia pacis Christianorum à Tyrannis: quarta Papæ reuo-
 cantis Regnum Christi in suam Tyrannidem. quæ ratio
 horum statuum, & ætatum distinctius habebitur in Apo-
 calypsi: quarta iam ætas mundi, quæ fuit Christi, &
 quarta secundi status, quæ fuit Antichristi, habent eam
 comparationem inter se, vt in ipsis de eodem horto vo-
 luptatis, de eadem Ecclesia agatur. Christus est in ea
 Lignum vitæ: Papa autem, qui custos debuit esse pomæ-
 rij, & inde viuere, desiit esse custos, & seruus: se Dominū
 facit, occupat hortum, Vineam, & Ecclesiam Christi, &
 omnia quæ in ea sunt. Nulla igitur tunc existente Ec-
 clesia Christi, vt docet Oseas cap. 2. & Apocalypsis cap.

12. & 13. videtur pronuntiare Deus, non esse bonum, vt Christus sit sine Ecclesia sua. Quamobrem retineatur historia, vt Deus ex homine eduxerit Euam: atque propter narrationis variam rationem cognoscamus mysteria. Cùm Deus permiserit Papæ, vt regnaret, nec habuerit Christus in suo statu publico fideles, qui publicum statum qui debuit esse ipsius Christi, administrarent; statuit tamen Deus, se id effecturum nec permiffurum, vt Antichristi regnēt. pronuntiauit, inquam, Deus non esse bonum, non conducere fidelibus, vt non sit Ecclesia, vt nō adducatur ad Sponsum suum, quæque non sit coram eo in Regno suo. Quòd autem eo tempore non fuerit Ecclesia, affirmat Deus cap. 2. quoque Osee vt dixi atque apparatus eam restituendi describitur cap. 14. Apoc.

19. *Et formauit Dominus Deus e terra omnem bestiam agri, & omne volatile cæli, & adduxit ad Adam, vt videret, quidnam vocaret ea. & omne quo vocauit Adam anima viuentis ipsum est nomen eius.* Ponitur verbū formauit, & de terra dicuntur animalia formata veluti homo: vt homines intelligas sub nominibus bestiarum signatos scilicet ætatis quintæ, & sextæ. nam hic memorantur volucres ætate quinta, bestię ætate sexta cum homine formatae. dicuntur adductæ hæ bestię ad hominem, vt videat, quo nomine vocandæ sint. quia Deus omne Iudicium dedit Filio, & in Verbo Dei declarantur quales bestię appellandi sint homines Papistici vtriusque status Ecclesiastici, & Politici, qui fuerunt ætate quinta & sexta tota, occupantes Ecclesiam Christi, & medium locum in ea. Et hæc exposita sunt primo capite in quinto, & sexto die, atque in Daniele, Ioële, & in alijs Prophetis nomina tribuuntur ferarum Papistis quintæ & sextæ ætatis, in primis autem signatur hic Christus vocare quamque bestiam suo nomine, quòd in Apocalypsi statum Papisticum nominibus

nibus multarum bestiarum nobis descripserit. & hinc attende ordinem Propheticum, quo acceditur ab ætate ad ætatem. Ergo ita collige sententiam. Dum tandiu regnavit Papa, ne videatur Christus dormire, ut visus est quamplurimis, significatur, dum non adest eius Ecclesia, se tamen esse Dominum: & numerare omnes bestias Papæ: quas singulas sit puniturus in suo Iudicio.

20. *Et vocavit Adam suis nominibus cuncta animalia, & uniuersa volatilia cæli. & omnes bestias agri.* Ut hæc denuntiavit futura Deus, ita & facta sunt suis temporibus. deinde signatur in repetitione ætas sexta ultra quintam, & initium septimæ, quando bestia apparuerunt Papæ cum earum curialibus bestiis innumeris. item aliæ in statu Politico bestia Papæ omnis generis: ut in Apocalypsi, & in Prophetis vidimus. Vnde apparebit tandem qualis descriptus fuit Papa Antichristus cum suis omnibus Papistis, talis etiam fuisse post ab omnibus cognitus in toto mundo.

12. *Et Ada non inueniebatur (non erat) adiutorium, quod coram eo esset (sive simile sibi)* In tota ætate quinta, & sexta in populo Christiano, non fuit Ecclesia, quæ esset Spôsa Christi: ut ait Christus in Osea cap. 2. dicite matri vestræ, non ipsa vxor mea. quia in toto Papatu, in Papa, in Ecclesia Romana, in Ecclesijs cum Romana facientibus, in statu Politico, qui Papatum fouit, & cum eo fuit coniunctus (quamuis inimicitia inter certas personas extiterint aliquando) non fuerunt inuenti, qui Christum imitarentur, ut ei similes essent, qui eum referrent in vita, & doctrina: qui secundum eius præscriptum administrarent Ecclesiam, & Rempub Christianam, qui cum eo essent coniuncti, essent ex eius corpore. Qui erant in locis desertis, & solitudinibus Christiani pie viuentes, etiam corrumpi cœperunt ætate quinta, ut videbimus
cap. 15.

cap. 3. Apoc. non se gesserunt vti coram Christo essent. quod & obijcitur nunc nobis, qui dum adest præsens Christus in ipsius secundo Aduentu, non stamus coram illo: vt agamus omnia vt Sponfa coram suo Sponso; sed contrà eum negamus adesse, nolumus eum videre, quæ agimus, quomodoq; nos gerimus. vnde in Psalmis, in Prophetis, in alijs Diuinis scripturis videmus Christum repræhendere quæ fiunt ante se, in suis oculis, in suo conspectu. Est præterea aduertendū in ratione illa loquendi. Adæ verò non erat adiutorium, indicari in alijs beatijs hoc est gentibus illud fuisse: vt scilicet *fa^l* Dij haberent suos cultores, qui idolis multos filios pepererint, vnde cap. 2. Ieremiæ exprobratur populis Christianis, quòd à Christo defecissent, cum gentes cæteræ nunquam mutassent suum cultum. quod factum Christianorum ostenditur admirabile. idem significatur capite 35. In Rechabitis.

21. *Et cadere fecit Dominus soporem in Adam, & dormiuit, & accepit unam de costis eius, & clausit carnem pro ea.* Christus in fine sextæ ætatis, & initio septimæ, quando coepit prædicare Lutherus, & credentes vbique comburebantur & necabantur; dictus est iterum crucifigi in membris suis. in capite enim intelligitur quoque extitisse, quod factum fuit in membris: præsertim quando adfuit secundus Aduentus Domini in Spiritu. vnde & in Apoc. dicitur Christus crucifixus in Aegypto, & noui Prophetæ, qui fuerunt iam ab Abbate Ioachimo, scripserunt futurum, vt his nostris temporibus iterum Christus crucifigeretur in membris suis. de quare & nos habemus magnum testimonium. de hac autem dormitione Adæ noui scilicet dicitur Psalino tertio. Ego dormiui & somnum epi intellige primùm mortuo Christo emerfisse è se Ecclesiam Apostolicam: post similiter innouatam & Catholicam.

ff. Et

*Et dormiuit & accepit unam de costis suis, & clausit car-
nom pro ea.* Dum per quadraginta annos hoc tempore
nostro interempti sunt hi, qui prædicarunt, in quibusque
concionabatur Christus: dum interierunt, qui credide-
runt quàm plurimi: in quibus his omnibus habitauit
Christus, ecce Deus seruauit sibi partem Fidelium ex his,
qui fuerant corpus Christi redempti eius sanguine, atq;
passi sunt in magna vexatione Antichristica: eamque
suffecit in locum demortuorum, vt sint Ecclesia Christi
coram ipso, ipsi desponsata, quæ cum eodem admini-
stret, & regnet, vt antè in nece martyrum surrexit Reg-
num Christianorum. In latere quidem significatum est
tempus Apostolorum, qui in Christo occubuerunt. Er-
go Ecclesia Apostolica in latere signatur, vt videbimus
in ornatu Aaronis. Et quia in secundo Aduentu repe-
titur eadem prædicatio, iterum moriuntur prædicato-
res, & Christus in ipsis, quasi educti è latere Christi: sed
qui simul manus sunt Christi peragentis nuntiata in Pro-
phetis, uiuent.

22. *Et edificauit Dominus Deus costam, quam tulerat de
Adam in mulierem, & adduxit eam ad Adam.* Itaque ex
his, qui remanebunt superstites Antichristo, atque in
magna vexatione orbis credentes Christo secundo ad-
uenienti, & Prophetiæ; non interibunt, ædificabitur Ec-
clesia innouata Sponsa Christi, quæ tunc præparabit se
ipsam, vt dicitur in Apocalypsi: & amictietur byffino
puro, & splendenti. atq; tu interea in verbo, ædificauit,
cognosce mysterium Sponsæ, & Sanctæ ciuitatis Ierusa-
lem. Et quando peccabat Ecclesia Romana, seruabatur
femen mulieris, quæ fugerat in desertum, & stetit coram
Christo. Ergo in muliere hac cognosce mulierem, quam
vidit Esdra 4. lib. cap. 10. cuius Filius moriebatur in mem-
bris suis, in verbo ædificauit, cognosce ciuitatem quam
idem

idem Esdras vidit: & attende verba Angeli: hæc mulier, quam vidisti, est Sion, quam & nunc conspicias vt ciuitatem ædificatam.

23. *Dixitque Adam, hoc nunc † os ex ossibus meis, & caro è* †
hac vice
carne mea. Nunc hoc tempore tandem, atate scilicet septima inuenit Christus statum publicū totum esse Ecclesiam suam. tempore quidem Apostolorū extitit Ecclesia Apostolica; sed in ea modicus extabat numerus, & crescere debebat, & in eam coire debuerunt omnes pertinentes ad corpus Christi: atque status publicus omnis debuit in eam ingredi. verū tempore Papatus nulla fuit Ecclesia, quæ tunc maximè esse debuit; sed semè eius seruabatur in deserto. at expulso Papatu, dum omnes gentes credentes aucto, & multiplicato semine mulieris ingredientur in corpus Christi: constitutoq; ex credentibus statu Ecclesiastico & Politico; tunc dicet Christus, nunc quidem tandem, hæc est Ecclesia mea, os ex ossibus meis, caro ex carne mea. propterea quòd omnes homines credentes renati ex Spiritu Filij Dei, qui & homo extitit, atque Spiritu illius viuentes, sapientes, & agentes, vnum corpus cum eo existūt. vt enim factus homo Dei Filius accepit carnem, & ossa nostra, ita nos accipimus eius Spiritum, & vitam: vnde sequitur.

Propterea hæc vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est.

Renatus in Christo fidelis vocabitur Christianus, vocabitur membrum Christi, vocabitur filius Dei, vocabitur virgo Christo desponsata. quia è semine Filij Dei nati sunt Dei filij in Christo. Viri Evangelici satis exposuerunt, quamnam habeamus per Christum, & quidnam simus in ipso: sed in verbis Prophetæ, in quibus dicitur virago sumpta de viro, & os ex ossibus viri, item caro; totus homo significatur ductus à Christo. qui totus differat ab infideli & secundum carnem, & secundum Spiritum.

tum. nam generatio Christi secundum carnem describitur à Luca ducta quidem ab Abrahamo; sed ante ab Adamo; sed ante à Deo: vt à Deo sit vnigenitus Filius, atque in ipso omnes credentes toti quantique sunt, qui & edere carnem Christi, & bibere eius Sanguinem dicuntur, facti & vnum corpus in ipso. qui Filius Dei, & Deus suscepta carne nostra cum ea ascendit in coelum, quã sanctificauit, & beatificauit. Et hic Filius Dei, Deus & homo mittit Spiritum suum in credentes, quos reddat similes sibi. quod non continget alijs Spiritu Filij Dei non regeneratis per Fidem.

24. *Quamobrem relinquet homo Patrem, suum & Matrem suam & adheret uxori suæ, & erunt in carnem unam.* Vt Christus reliquit Synagogam, & populũ, in quo natus est: ac fuit Ecclesiæ Apostolicæ; ita relinquet Ecclesiam Romanam, & erit Ecclesiæ Euangelicorum. Verũ Euangelici attendite, ne inueniamini & vos imitatores Papistarum, dum non similes estis Christo, eum imitando, & sequendo, dum coram Christo non estis, non agitis omnia vt ipso præsentente, & loquente vobis, vt queritur in Isaia cap. 65. vocaui, & non respondistis, locutus sum, & non audiuistis, fecistisque malum in oculis meis, & quæ nolui elegistis: relinquatque vos, & è se educat alios credetes per alios prædicatores, qui simul vni viro virgo casta exhibeantur Christo. similiter fideles relinquent Papatum, relinquent omnes patres, qui non pestiterunt, vt essent virgo casta; relinquent primũ hominem cum omnibus affectionibus, studijs, & operibus suis; adhærebunt Sponso suo Christo, in quo vnum sint, vt vnum sint cum Patre. hinc se aperit mysterium, quod magnum dixit Paulus Christi & Ecclesiæ. ac satis est rem attigisse, ministri Verbi hinc dilatent se.

Et erunt in carnem unam. Adhærebit Christo fidelis

lis deinceps, vt vxor viro, à quo nunquam separandus fit. erunt duo in vna carne: erit vnus Spiritus Christi, quo viuet, & ducetur in omnibus rebus Ecclesia: erit vna caro, vt natus est Christus ex carne nostra ducta tamen ab ipso primùm. vnde & caro, & quæ sunt carnis in fidelibus non dissentient à Christo homine: vt tandem in homine omnia concordent cum suo capite Christo Iesu. hæceadem concordantia intelligatur status Ecclesiastici, & Politici: ministrorum publici status, & populi: viri, & vxoris, &c.

25: *Et erant ambo ipsi nudi Adam, & vxor eius, & non erubescabant.* Docuerunt doctores, & ministri Evangelici non erubuisse Adamum, & Euam, dum essent nudi, propterea quod vigeat adhuc in illis simplicitas, & animus abhorrebat à malitia: nec vlla in re adhuc turpitudinem meditabantur. quod fecerunt, postquam Deo non obediuerunt. In statu Evangelico significabantur credentes non erubescere paupertatem, nuditatem, verbera, ignominiam, & inopiam rerum omnium, dum erant induti Christo, mulier amicta Sole Apocalypsi 12. dum persistebant in præceptis Evangelicis, & in Dei disciplina. erubuerunt tum demum, quando Papa, & Ecclesiastici prodiderunt Christum, & vt rem attingam, Papa non erat ante, qui abuteretur Ecclesia, non erat Ecclesia, quæ deficiens à Christo, exuta Christo fornicaretur cum Papa, & Regibus terræ. quod post fuit, vt dicemus in alio capite, quod sequitur, in innouata Ecclesia non erit eadem turpitud. non obijcietur ministris vtriusq; status turpitud. Papæ, & magnæ meretricis adulterantis à Christo.



CAPVT III.

Quoniam fit mentio de calliditate serpentis, unde Adami extitit peccatum, reuocandum existimo hoc caput ad tenebras, quæ dictæ sunt fuisse super faciem abyssi, quomobrem repetendus est summam tim ordo, qui nobis visus est à Mose seruatus in annuntiandis rebus futuris ab initio ad finem vsque mundi. Diximus igitur, more Prophetico, quo sæpè vltima, & postrema solent primò nuntiari, Mosem initio, atque adeò primo capite comprahendisse omnia, quæ erant futura tertij status, ac septimæ postremæque ætatis. Et quia septima ætas omnes in se contrahit priores ætates, quæque ab initio nuntiat Deus nouissima à fundamentis mundi, cructantur occulta ab initio; idcirco repetita esse ab initio omnia ad finem vsque mundi. capite secundo signatus est status secundus, & ætas quarta, in quam ingressæ sunt priores ætates, atque deinceps extitit denuntiatio rerum futurarum, & ætatum. Capite autem hoc tertio fit reditus ad principium peccati Adæ: vt inde tenebræ exponantur, quæ extiterunt in mundo ante finem ætatis sextæ, quando Antichristus fuerit ciectus ab Ecclesia Christi, vnde videmus hoc tertio capite exponi, quæ sunt peccati, maledictionis, & mortis in primo homine. Capite secundo quæ sunt secundi hominis iustificati, & saluati in Christo, primum caput vtrumq; complectitur, statum tenebrarum, & lucis omnium temporū, & ætatum; vt in tertium statum, ac postremam ætatem conducat lucem priorum statuum, & ætatum depulsiis tenebris. Sed quia de his, quæ primo, & secundo capite continetur, dictum est, iam videre oportet ab ipso Adamo

mo statum tenebrarum, & maledictionis, nam tenebræ prius semper positæ sunt, deinde manè. auctæ deinde illæ per Legem vsque ad Christum. Et quoniam Papa reuocauit nos ad statum tenebrarum priorem, in quo fuerunt omnes non credentes Christo; tempora quæ consecuta sunt à Papæ ortu vsque ad eius interitum, reuocantur simul ad peccatum Adæ, atque ad maledictiones, quas in Lege nobis Deus minatur. repetito ordine iam interpretationem prosequamur.

1. *Serpens autem erat callidior omni bestia agri, quam fecerat Dominus Deus & dixit ad mulierem: etiamne est, quod dixit Deus. non comedetis ex omni Ligno horti.*

2. *Et dixit mulier ad serpentem, de fructu Ligni horti vescimur.*

3. *De fructu autem Ligni quod est in medio horti, dixit Deus: ne comedetis ex eo, & non contingetis illud, ne forte moriamini.*

4. *Et dixit serpens ad mulierem, non moriendo moriemini.*

5. *Scit enim Deus, quòd qua die comederitis ex eo, etiam aperientur oculi vestri, & eritis sicut Dij scientes bonum, & malum.*

Serpens hic dum dicitur callidior cunctis animantibus, quæ fecerat Dominus Deus, intelligitur positus in eorū numerum, quæ formauit Deus, quibusque dedit nomina Adamus. Ergo in serpente intelligitur quoque homo callidior cæteris: siquidem sub bestijs illis signabantur Tyranni, & qui abhorrent à præceptis Dei homines. Et quia Ioan: in Apoc. cap 12. ait hunc serpentem, dum vocat eum antiquum, & esse Diabolum & Satanam, calūniatorem, & aduersarium nostrum; tres in hoc serpente videntur intelligendi, siue etiam quatuor. primum Diabolus, qui falsa interpretatione Verbi Dei in errores, & peccata induxit primos parentes: deinde serpens verus, in quo locutus est Diabolus Eux: deinde homo Antichristus

christus signatus sub certa specie serpentis appellati
 Draco in eodem cap. Apoc: tum Satan aduersarius, &
 hostis noster, qui operatus est per Papam mortem in Ec-
 clesia Christi. Et cum notum sit, quid sit Diabolus, &
 Satan, videre quoque oportet, quare dictus sit serpens,
 dictus sit Draco. ac Draco quidem dictus est, propter
 multa Antichristica capita, & propter sauitiam, quae
 maximè apparuit in statu Antichristico, vt videbimus
 cap. 12. & 13. Apoc. serpens dictus est, & Draco propter
 malitiam quidem, & sauitiam, & multiplicem vim virtu-
 lentiae & veneni: verum in longitudine corporis signatur
 quoque longitudo temporis: quia perseuerauit serpens
 tentare homines, ab Eua scilicet vsq; ad innouatam Ec-
 clesiam: & rursus ab initio Papatus vsq; ad idem tempus:
 vt facile quisq; doceri potest ex 12. & 13. cap. Apoc. no-
 men autem proprium Draconis & serpentis est Diabolus,
 & Satan, qui operatur in filiis suis ab Eua vsque ad Sab-
 batisimum, quando ligabitur, nec vltra ei permittetur,
 vt tentet homines. magnus autem Draco dictus est, qui
 a in Papa Antichristo se magnum aduersarium, & hostem
 Christi declarauit, & calumniatorem tenebras offunden-
 tem luci Euangelicae. dictus est antiquus serpens, quia
 idem est, qui agit in Papatu toto, & qui seduxit Euam.
 Hinc colligim⁹ hoc capite agi de primo statu, siue de to-
 to tempore, quod extitit à peccato Adae vsque ad Chri-
 stum, quando alter serpens Christ⁹ Iesus pendens in lig-
 no sanauit vulnera nobis illata per serpentem callidum;
 ac reserauit Paradisum, vt in illū daretur ingressus cre-
 dentibus. atque hinc dictus est Iesus Christus serpens: qui
 & ipse maximè ab Adamo vsque ad postremum fidelem
 futurum in mundo operatus est semper, & operabitur
 eorum salutem in omni cursu temporum: vt Satan om-
 ni tempore sibi concessō non destitit deuorare, quos po-
 tuit

ruit sibi parentes. At postquam vidit Satan hominem iterum ingressum in Paradisum, iterum descendit in pugnam, vt eum denuo inde extruderet: quod cum optimè nouisset Petrus, monebat omnes, vt sobrij essent, & inuigilarent; quòd Diabolus aduersarius noster tanquam leo rugiens lustraret vndique, quos deuorare posset. Cum iam restitissent credentes diu intuentes Christum, qui restiterat; tandem Papa, & Ecclesiastici passi sunt se seduci, atque ederunt de ligno vetito: iterumq; est homo eiectus è Paradiso: iterum extitit maledictio in toto statu populi Christiani. non ederunt iam homines nomine appellati Christiani vulgò de fructu Verbi Dei, & doctrinæ Apostolicæ, & Euangelicæ in statu beato Ecclesiæ Dei: atque qui fuerunt semen mulieris vestitæ Sole priuati & obscuri suspirantes ad hortum voluptatis in solitudine, & angore animi perpetuò duxerunt vitam. Hinc videtur aperta sententia mystica huius capitis, & argumentum: vt status primus primum signetur, in quo fuerunt patres nostri sub maledictione, deinde status Pa-

Argumentum huius capitis, & aperta sententia mystica.

pisticus: in quo per eundem Satanam operantem in Partu, iterum fuit humanum genus maledictum, & eiectum è Paradiso. Et quemadmodum patres nostri expectarunt primum Aduentum Christi, vt liberarentur à Satana; similiter expectauimus nos secundum, vt liberemur ab Antichristo filio Satanæ. Quantum iam sit callidus serpens verus, & naturalis, non est, vt ego dicam, nec quantum sit Satan; sed in filiis Satanæ est aduertenda calliditas, in quibus ille operatur. Iam verò incipere à Cam, & persequi reliquos impios, & Gigantes, & ædificatores turris Babel, Sodomitas, Aegyptios, Cananæos & alios finitimos: Iambre, Datan, & Abiron, & alios Reges impios, & alios interfectores Prophetarum: Assyrios, & Chaldæos, Antiochum, Scribas & Pharisæos,

tyrannos, & cum his alios interfectores martyrum; omnes possunt id facere. Sed in Papatu in Ecclesiasticis Papæis quanta calliditas, dolus, fraus, & malitia extiterit, prædixit Christus & Apostoli: monuerunt post noui Prophetæ, atque historia Papatus, & qui scripserunt de Antichristo exposuerunt. atque nos tandem vidimus. Et quia multa scripta sunt de perturbationibus bellicis nostri temporis, in quibus patefit fraus & perfidia, dolus, & malitia Papistica in perdendis pijs. nec de his etiam multa nunc verba faciemus. nam esset nunc nimis longum recensere fraudes Papisticas ducto initio à Lutero, quibus vsi sunt ad euertendos, & perdendos Euangelicos vsque dum sunt ipsi euersti: aperire deinde malitiã, & scelera Inquisitorũ, esset descendere in puteum abyssi & scrutari intima quæque Satanæ, & omnium malorum Spirituum.

Et dixit ad mulierem. Doctores Euangelici satis exposuerunt verba, & sententias, quæ continentur in historia: nostrum est iam solum mystica intueri, quæ aliorum temporum sunt, & statuũ. Quæ igitur suggererit omnibus temporibus Satan, & quid peccarint inde homines; possumus cognoscere. cum varia autem suggerat Satan, conatur illud imprimis, vt Fidem à Verbo Dei auertat, (vnde instabat Petrus, cui resistite fortes in Fide) vt præceptis Dei non pareatur. Deum item non vult Satan prospicere nobis, quod bonum sit: vult ipse indicare nobis, vbi sit beata vita: vult nos quoque scientiam habere, vbi nam sit illa, & vbi miseria: vult Deum pro beata vita proponere nobis miseriam, pro miseria beatam vitam: vult hominem esse de hac re iudicem, & tam bene scire, quam Deum, atque hominem esse Deum. Et si homines videant & legant, quæ præcipit Deus; amouet à Diuina scriptura illorum animos, vt contraria sentiant,

tiant, & agant. Veruntamen ibi malitia apparet Satanae,
 vbi se transfiguratur in Angelum lucis, vbi in cultum Dei,
 in populū Dei, in Ecclesiam Dei trudit suos: vt Eccle-
 siam hī obtineant, pī in ea locum non habeant: vendi-
 cent sibi cultum Dei in Ecclesia, quō eum ex hac pro-
 pellant. hinc Cain simulat se piē sacra facere, ac fratrem
 piē Deum colentem interficit: alienus est totus à Deo,
 seque Deum facit: huius libidinem secuti sunt alij deinde:
 Dominos & authores se constituerunt omnis degendæ
 vitæ: ædificarunt etiam fornaces Babelistæ, vt in his
 comburerentur, qui Altissimo cultum præstitissent. Ae-
 gyptij nullo modo Deo parere voluerunt: non Cana-
 næi, non Philistæi, quemadmodū nec aliæ gentes, quas
 enumerare non est necesse. In populo Dei memoratur
 Esaiū auersus à præceptis Dei, hostis pietatis: in deserto
 magna pars noluit parere præceptis Diuinis, ac promissio-
 nibus credere; non Deo ipsi loquenti obedire. Quan-
 tum, & quā sæpē peccarint Israëlita; Deum non audi-
 entes conuersi ad Satanam, suas cogitationes, ac cupi-
 ditates sequentes, historia memorat. Vnde per Iosue
 vrget præceptum suum Deus, vt non recedant Israëlita;
 ab eo, nec ad dextram, nec ad sinistram se vertant: non
 addant, non minuunt, vt intelligant cuncta, quæ agant.
 Et hoc est peccatum Adæ, & filiorum primi Adami, re-
 cedere ab his, quæ mandauit Deus, & se, aut quemuis
 hominem constituere authorem eorum, quæ agenda, &
 fugienda sint: locum Dei subire, iudicare & discernere de
 beata vita, & de bonis & malis: nec attendere de bonis,
 & malis, quidnam statuatur Deus donator beatae vitæ. Hæc
 iam sibi tribuere, & Philosophis, & tyrannis, est edere
 de Ligno, quod est in medio Paradisi. Hæc peccarunt
 omnes gentes, qui audientes vbi erat Verbum Dei, ibi
 illud non quæsierunt: quærent tandem, & dicent illud
 g g 2 Isaia,

Isaiæ, cap. 2. Venite ascendamus ad montem Domini, & docebit nos vias suas, & ambul. &c. peccarunt in populo Israëlítico, qui secundum carnem, non secundū Spiritum fuerunt Israëlitæ, non attendentes quidnam in se exquireret Verbū Dei. Post Apostolos. autem, & tempore Apostolorum coeptum est iterum edi de ligno vitito ab his, qui se magistros constituerunt in populo Dei, laudem venantes in sua doctrina, & in suis operib⁹ carnalibus: qui primatum, quem vocant, in Ecclesijs appetuerunt. Peccarunt tandem Papa, & Ecclesia Romana, cum Principibus Papæis & cum toto populo Christiano, qui Papam secuti sunt. Voluerunt illi suis legibus administrari statum populi Dei. Papa erexit suum Decretale: jus Canonicum venit in comparationem cum iure Ciuili: regulæ quoq; Monachorum inuehuntur. Papa contendit in primo Concilio Tridentino, vt fiat decretum, quo credatur Papa esse suprâ Conciliū, vt statuatur & illud. Traditiones patrum pari authoritate, ac reuerentia esse suscipiendas, ac Verbum Dei. Hoc dum non obtinet, assequitur illud in secūdo Concilio, vt probetur Antichristus. Hæc autem interpretatio, quam hic attulimus, comprobatur in Osea cap. 6. vbi dicitur. Sicut Adam transgressi sunt pactum. item in Esdra lib. 4. cap. 3 vbi dicitur: In omnibus facientes sicut fecit Adā, & omnes generationes eius. utebantur enim & ipsi corde maligno. capita illa conferantur cum his quæ diximus, & attendatur, quid loquatur nunc nobis Deus. vnde intellige vt serpens tentauit primum hominem, similiter tentasse omnes homines semper, vsque ad statum innouationis Ecclesiæ, & mundi per secundum Auentum Domini. quod significabatur in longo animali.

Et dixit serpens ad mulierem. In muliere signatur is, qui paret, & est dignitate inferior: in viro is, qui iubet, & est

& est dignior. in muliere ergo signatur hoc in loco status Politicus; qui vocatur sæpe filia Sion in Prophetis. Satan igitur hortatus est Imperatores, qui prædicationibus Euangelicis crediderunt, & in Ecclesiam Christi venerunt, vt retinerent suum statum priorem, adorarentur tanquam Dij: suis legibus sanciretur, quidnam bonum, & quidnam malum esset, perinde ac essent ipsi Dij.

6. *Vidit igitur mulier, quod bonum esset lignum ad vesendum & desiderabile oculis, & concupiscibilis arbor ad intelligendum: & cepit defructu eius, & comedit: & dedit etiam viro suo secum qui (secum erat) & comedit.* Considerarunt tyranni fructus copiosos, grande vectigal, splendorem Imperij, & Regni: magnum & pulchrum ipsis videbatur, se Dominos haberi, & esse tantarum opum: adorari ab omnibus, dare jura tanquam Deos omnibus, præscribere, quæ sibi viderentur omnibus, iubere omnibus. *Et tulit de fructu.* Assensi multi sunt Satanæ, perstiterunt præbere se Idolas; se velle adorari, ac tyrannos esse, infinita sua licentia agere omnia, & vindicare sibi Regnum Christi, & ius Diuinum. *Deditque viro suo.* Constantinus zelo Religionis ductus, ditavit Ecclesiasticos. vnde orta sunt mala deinde, & aucta semper, vt vidimus, & videmus, & quod dedit pallium rubeum Papæ pro nigro, & fecit vt & ipse secum adoraretur, id fuit Ecclesiæ, & populo Christiano maius malum, dum ille putauit se piè facere. *Qui comedit.* Cum hoc Episcopus Romanus recusare debuisset, suscepit tamen, ac pro pallio nigro rubeum induit. factus est ipse quoque idolum, supremum idolum in terris: ac voluit ipse quoque adorari: voluit ipse quoque præscribere jura mundo: locum Dei, & opus, & authoritatem Christi sibi vindicare. Legatur forma iuramenti Pij quinti. Quid autem oportuisset tunc,

Papam & Imperatorem facere dicitur in Osea cap. 2.
 7. *Et aperti sunt oculi amborum ipsorum: & cognouerunt se esse nudos: & consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi centoria.*
 Interpretationem historię relinquam cognoscendam in doctoribus Sacris: quantum ad historiam mysticam, quā sequimur, attinet; existimo hīc intelligendum Imperatores, & reges Papæos, Papam, & Ecclesiasticos, postquā desierunt intueri Verbum Dei, ac in eo versari, humanamque prudentiam consuluerunt; existimasse se nudos, existimasse malum, & turpe sine Imperio esse, ac dignitate. Quamobrem folijs ficus se cooperuerunt: ornarūt se vestibus regijs, & insignibus dignitatis. quæ ornamenta & insignia sunt folia sine fructu. vnde maledicta fuit à Christo arbor illa, quæ ferebat huiusmodi folia sine fructu. signabant enim hæc folia falsam, & vanam dignitatem Papisticam: quod non esset Deus, non esset vice Christi in terris Papa propter suam triplicem coronam, pallium auro, gemmisque onustum. quod patebit in siccata arbore, quando nunc totus Papatus, & status Papistarum exsiccatus, & exustus abolebitur. Vt fuit lux & tenebræ semper, ita dum fuerunt mali Ecclesiastici, & principes; ita fuerunt quoq; boni. ac dum de malis agimus, non intelligimus omnes fuisse malos. Syluestrū, & Constantinum video præclara egisse: veruntamen vt in Salomone post bona initia, consecuta sunt mala.

8. *Et audierunt vocem Domini Dei inambulantis in horto ad auram diei: & abscondit se Adam, & uxor eius à facie Domini Dei in medio arboris horti.* Dum à Deo per suos ministros arguuntur, & monentur Ecclesiastici, & Principes; muniunt se doctrina Apostolica aut Papa se esse successorem Petri: instat Ecclesia Romana se succedere Apostolicæ. aiunt tyranni se esse Magistratum, cui obedire oporteat: atque nomine successionis, & Magistratus se

Antichristos, & idola præbent in Ecclesia Dei. verum nulla est successio, vbi præcepta, & pacta non seruantur. quare nec ita se defendent Papistæ. *Quia deambulat Deus in horto ad auram diei.* Quamuis sint tenebræ hæ Papistica: Papa, & Principes Papæi suo arbitrato agant omnia in Ecclesia, & populo Christiano; tamen adest Christus, qui ambulat inter septem candelabra aurea, ambulat & inter tenebras. vt nil fieri possit contra eius voluntatem, & præscriptum. qui suo tempore puniturus sit Papatum, & hypocritas, & tyrannos, & contra se pugnantes.

9. *Et vocauit Dominus Deus Adam, & dixit ei. ubi es tu.*

10. *Qui ait. vocem tuam audiui in horto, & timui. quòd nudus essem, & abscondi me.*

11. *Et dixit. quis indicauit tibi, quòd nudus esses. nonne ex arbore, quam præcepi tibi, ne ederes ex ea, edisti?* Quia non attenti fuerunt in Verbo Dei, & locum Christi sibi vendicarunt Papa, & Tyranni; beatum statum existimarunt tyrannidem: & contra miseriam, seu seruile opus inservire ministerio Christi, & Ecclesiæ more Apostolico, & piorum Regū. ergo & Ecclesia, & Regno Dei priuabuntur.

12. *Et dixit Adam. Mulier, quam dedisti mecum. ipsa dedit mihi ex arbore, & comedi.*

13. *Et dixit Dominus ad Mulierem. Quid hoc fecisti. & dixit Mulier. serpens seduxit me, & comedi.*

Et hîc loquimur non de secundo Adamo; sed de primo, & de Papa, in quo maximè extitit & patuit inobedientia, & peccatum è Satana haustum. qui Papa cum arguitur, ait socium sibi datum à Deo in administratione Regni eius Imperatorem: atq; hunc dedisse sibi bona, quæ possidet, & Regnum, & vestem rubeam, & adorationem, & alia: vt videbimus cap. 2. Oseæ, & 12. ac. 13.

Apoc.

Apoc. atque hinc iactatur donatio Constantini. Imperator autem ait se succedere Imperatoribus, & dari sibi omnem potestatem in omnes & in omnia, quia Imperatores sunt Principes huius mundi.

14. *Et dixit Dominus Deus ad serpentem. quia fecisti hoc, maledictus eris præ omni animante & præ omnibus bestijs agri: super ventrem tuum gradieris, & puluerem comedes omnibus diebus vitæ tuæ. &c.* In Apocalypsi ut videbimus cap. 12. & 13. & alibi in serpente significatur etiam is, in quo agit serpens, Principes tyranni scilicet & Papa, item omnes superbi, & auari. Ut autem Diabolus maledicatur præ omnibus creaturis, atque illum omnes execrabuntur, idem intelligitur futurum de tyrannis, præsertim de Papa, qui est ut dicitur in Iobo cap. 41. Rex super vniuersos filios superbiæ.

Super ventrem tuum gradieris, & puluerem, &c. Ut serpens supra terram, & Diabolus infra terram gradiuntur; sic superbi, & auari, & inprimis Papa cum suis inhærent terrenis; ac terrenis repleti pascentur in radicibus terræ sulfure, & igne.

15. *Inimicitias ponam inter te, & inter Mulierem: & inter semen tuum, & inter semen eius. ipsum conteret caput tuum & tu conteres calcaneum eius. (percuties, mordebis, insidiaberis)*

In filijs Satanæ apparent inimicitia, & bella Satanæ contra Ecclesiam, & Christum. incipe tu à Cain, ut antè dicebamus, & percurre historiam patrū, & Prophetarum, & Apoc. & quas vidisti hoc tempore contentiones Antichristi contra Euangelicos; & cognosces inimicitias. & dum memorantur inimicitia, intelligis filios Satanæ, alienos futuros à Regno Dei, & nihil habituros commune cum Ecclesia eorum, quæ sunt Christi, & beatæ vitæ. additur. *Inter semen tuum, & semen eius.* Ut intelligantur filij Satanæ, qui persequuntur pi-

os viros, & Euangelicos, ac feruntur contra Verbum Euangelicum. quibus ait Christus, vos ex patre Diabolo estis. Hi inimici Christi, & eius Ecclesiæ, omninò cū hac non venient, vt dixi, in partem Regni Dei, & eorum quæ sunt Christi. *Ipsam conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo illius.* Finis futurus ostenditur Regni Satanæ, & impiorum: item eorum qui erunt semen Mulieris. & hîc recordemur antè dictum esse, serpentem esse animal longum in cuius longitudine significatur tempus ab Adamo vsque ad secundum Aduentum Domini: quando fiet Iudicium, ac reddetur cuique secundum opera sua. tunc caput serpentis conteretur ab Euangelicis currentibus, & ingredientibus in nouum statum, qui erit noui cœli & nouæ terræ, hoc est nouus status mundi, & Sabbatismus, & status Spiritus Sancti. tunc insidiabitur serpens calcaneo seminis mulieris. quia vt videmus, Satan per Antichristum, & Papæos contulit omnes suos conatus ne Euangelici obtineant statum publicum, & constituent Regnum Christi. veruntamen agant quantum vnquam possint, & velint Papistæ, quantum multi moriantur Euangelici, obtinebūt victoriã tandem hi, & constituent Regnum Christi, ac conteretur Regnum Satanæ, & Papæ. Quòd verò dicatur caput nunc conteri, intelligere debemus, cauda primum hominem fuisse tentatum, item tempore Syluestri Ecclesiasticos: atque ab Adamo, & à Syluestro ad secundum Aduentum Christi corpus Satanæ perductum à cauda ad caput, semper tentando, & seducendo quos potuit. in qua re intelligimus pariter, & magis, & apertius semper apparuisse opus Satanæ, vt temporum fuit progressus & longitudinis serpentis patefactio. Quod doceris cap. 12. Apoc. vbi serpens trahit cauda stellas e cœlo: & cap. 17. vbi turget septem capitibus bestia contra præ-

h h dicati-

dicationem Euangelicam nunc repetitam, vnde vides
 Papam Antichristum à paucis initio fuisse animad-
 uersum: magis autem successu temporum fuisse cogni-
 tum: maxime verò nunc, quando bellum apertum sus-
 ceperunt Papistæ contrà Christum, & eius Euangeliũ.
 in quo bello & pugna patefactus est Papa Antichristus,
 atque eius Regnum Satanæ Regnum: vt alibi ostende-
 mus, & in Apoc. & in quaestione de Abominatione.
 Quòd autem tentatio, & peccata aucta fuerint, quando
 serpens extulit caput, aduertimus primùm id in tempo-
 re, quando natus est Christus, & liberauit nos ab æterna
 morte. tunc enim serpens caput à se extollendum con-
 trà Christum putauit, inde aucta fuerunt peccata, & viti-
 a hominum. Cùm autem abundauit peccatum, supera-
 bundauit & gratia. Quantum autem nostro hoc tem-
 pore aucta sint peccata, quando septem capita contrà
 prædicationem secundi Aduentus Christi extulit serpens,
 atque Papa declaratus est Antichristus in secundo Con-
 cilio Tridentino à suis, contemplari quiuis nostrum po-
 tuit. non puto historiam aliquam consecuturam narran-
 do, vt posteritati diritatem vitiorum, vt est rei indigni-
 tas, exponat. Ex historijs quidem aliqua ex parte cog-
 noscentur errores, & peccata, & malitia aucta in Eccle-
 siasticis semper ab initio Papatus vsque ad finem. Ge-
 neratim autem vitia Prophetæ memorant, vt Oseas cap.
 4. Micheas 7. separatim nobis in interpretationibus erit
 dicendum, vt res dabunt. Quamobrem meritò status
 Satanicus conteretur, & auferetur è terris cum Antichri-
 stis. Atq; Euangelici facti semen Dei recurrent in Pa-
 radisum, è quo eiecti fuerant, dum Satanæ obedierunt.

*16. Mulieri quoq; dixit, multiplicando multiplicabo dolo-
 rem tuum & conceptum tuum, cum dolore paries filios, & ad
 virum tuum erit desiderium tuum, & ipse dominabitur in te.*

Si

Si mysticè hæc referantur ad pios qui gestarint imaginem primi hominis; intelliguntur in dolore peperisse credentes in Ecclesia propter afflictiones, quas Prophetæ, & Apostoli, & martyres, & alij passi sunt: atque patimur nos hoc tempore, quando Iudicium cœpit à domo Dei. cuius partus, & dolorum fuit etiam figura, & imago Rachel, quæ moriens peperit Benjamin. vnde in magna perturbatione memoratur hic partus cap. 4. Michea: Dole, & ingemisce filia Sion, veluti parturiens: venies vsque ad Babylonem; ibi liberaberis. tunc pariet Ecclesia suum Regem, tunc reuelabitur Filius hominis post tot afflictiones, cruces, & internecciones. Peccatum Papæ hæc mala attulit, vt peccatum Adæ mortem. Sin referantur dolores partus ad Principes Politicos, & ad populum, sui peccati pœnas tulerunt Principes, qui continuis bellis fuerunt agitati semper, & in his inuoluti. priuati quoque semper pugnarunt, contenderunt & laborarunt tuendo & constituendo suas familias, & bona. nunquam fuerunt liberi, semper habuerunt, sub cuius potestate esse debuerunt: contentiones, & graues curas sustinuerunt; tandè cogentur esse, *Sub potestate viri*. Omnes magni & parui Christo subijcientur post Papatum euersum.

17. *Quia audiuisti vocem vxoris tuæ. Et comedisti de arbore, quam præcepi tibi dicendo non comedes ex ea, maledicta terra propter te. in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ.* Tu Papa, vos Ecclesiastici audiuistis Principes, & tyrannos: eos secuti estis: & comedistis de Ligno. hoc obijcitur Papæ maximè qui appetiuit summum Pontificatum Romulæum, Vicariatū Christi, & Dei locum. *Maledicta terra propter te.* Totus status populi Christiani redactus fuit ad statum gentium, in quo fuit antequam à se cognosceretur Christ^{us}: maledicti fuimus

omnes sub Papa, dum Papæ in his quæ non fuerunt Christi, obediuimus. vnde dictus est ipse homo peccati. & nisi prædicatio nunc repetita fuisset Euangelica, totus populus Christianus fuisset anathema, vt ait Malachias. idque opere Papæ.

In labore comedes ex ea cunctis diebus vite tue. Quam obrem? quia attulit Papa, & Ecclesiastici maledictione terræ; nec ipsi quieuerunt in ea, semper habuerunt bella, & contentiones, vt tuerentur suas opes, & dignitates 18. *Spinæ, & tribulos germinabit tibi, & comedes herbam agri* Hoc nunc fit, quando tot sunt perturbationes, quæ deducunt tandem malos, vt comburantur, vt spinæ *Et comedes herbas terræ.* Fiet Papa manifestus Antichristus, summa bestia, vt dictum est de Nabuchodonosore: cap. 4. Danielis.

19. *In sudore vultus tui vesceris pane, donec reuertaris in terram, quia ex ea sumptus es. nam puluis es, & in puluerem reuerteris.* Atq; sudat nunc Papa, & Papistæ in tuendo suo Regno, & suis diuitijs. *Donec reuertaris in terram.* Et sudabunt Papistæ vsque dum reuertantur credentes ex ipsis. vt dicitur in Osea cap. 2. ad suum primum statum; Ecclesiastici, & Politici ministrent vt oportet Dei Regnum. Et qui puluis sunt & animalis tantum homo, non fient in Christo Spiritualis homo, vt cum Christo viuant & regnent: vnde eijcientur è Paradiso, ex Ecclesia, ex Regno Israëlitico.

20. *Et vocauit Adam, nomen vxoris sue Eam, eò quòd esset mater omnium viuentium.* Hoc mihi videtur additum, vt indicetur quæ dicta sunt de Adamo, & Eua mysticè reuocanda esse ad omne genus humanum, vt sumus interpretati.

21. *Fecit quoque Deus Adæ & vxori eius tunicas pelliceas, & induit eos.*

22. *Et dixit Dominus Deus. ecce Adam factus est sicut unus ex nobis sciens bonum, & malum. nunc autem ne forte mittat manum suam, & sumat etiam de arbore vitæ, & comedat, & uiuat in seculum.*

23. *Et emisit eum Dominus Deus de horto Edem ad colendum terram, ex qua sumptus est inde.* Christus significatur occisus ab origine mundi: & qui reuocandi sunt in hortum Dei futuri ex Ecclesia, & Regno Dei, non folijs ficus cooperiendi sunt; sed veste pellicea. exuet Christus Ecclesiasticos, & Politicos suis Papatibus, & tyrannicis ornamentis: priuatos quoque viros priuabit his in quibus gloriantur: adducet Iudicium, & macerationem. quod Iudicium cœpit à suo ouili & à domo sua. Inde Abel primus à fratre macatur, ita deinceps vsq; ad hæc tempora facta est macratio ouium Christi, quib; in morte Christi expectanda fuit salus. mundus quoque impius punitus fuit tempore Noë: item alij, & Iudæi post 40. annos elapsos à morte Christi, idem nunc Iudicium exercetur contra Papatum: vt deinceps non edant de Ligno vitæ, faciant se Deos, & alia quæ dicta sunt antè. qui eijcientur omnes ex Ecclesia Christi, & è terris. quæ omnes vbique erunt Paradisus, seu hortus delitijs affluens factus à Christo, ex quo deinde deducemur in cœlos, vbi agemus æternam vitam.

24. *Eiecitque Adam, & collocauit ab oriente ad hortum Edem Cherubim, & aciem gladij versatilem ad custodiendum viam arboris vitæ.* Custodietur Ecclesia, & Regnū Israëliticum, nec vltrà animalis homo, mala bestia Belial Antichristus in illud ingrediatur, quia perseuerabit Iudicium Domini deinceps punire fontes statim: nec sustinebit Deus peccata priorum temporum, & ætatum, vt sæpè dicemus in Prophetis, qui ista narrant.



CAPVT IIII.

Argumentum hîc sumatur eorum, quæ sequuntur, vsque ad caput vndecimum. Dum incipit propagatio generis humani ab homine vno dicta, & familiarum historia narratur; videndum est, quænam mysticè significantur: & ordo rerû, quæ significantur, cum superioribus coniungendus, ac primum quidè vt cap. primo sex ætates dictæ sunt per tenebras, & lucem excurrere: atq; antè tenebræ inumbrabant abyssum, & Spiritus Domini ferebatur super aquas; sic nunc filij tenebrarum, & filij lucis proponuntur, & eorum propagatio narratur: atque hoc quarto capite vsque ad vndecimum exponitur tempus, quod dictum fuit legis naturæ, priscus mundus, mundus impiorum. quod tempus in primo capite diximus significatum versu illo, terra autem erat inanis, & vacua: & tenebræ erant super faciem abyssi; & Spiritus Domini ferebatur super aquas. Primi igitur homines post Adamum Cain filius tenebrarum, & Abel filius lucis nascuntur. hic ab illo interficitur: perseuerat familia Cain, & eius nati, ac nepotes recensentur: post loco Abel ex Adamo exsuscitatur Seth filius lucis, è quo gignitur Enos. Huius tempore incipit inuocari nomen Domini. vnde recensentur familie filiorum lucis, ex quibus præterea fuit Enoch, quem tulit Dominus, & Noë, qui in diluuiio aquarum seruatus est cum ipsius familia. Itaq; dum narratur historia prisce mundi, cuius finem attulit diluuium, memorantur filij tenebrarum, & filij lucis præcipui, in quibus & futurus post diluuium mundus & futura secula adumbrabantur, in

in pijsque & opus Dei, & ipse Deus, qualis se ostensurus esset in futuris ætatibus significabatur. Quamuis enim tempus, quod dictum est legis naturæ, fuerit totum tributum tenebris, in quo libertate sua usus est Cain, & eius semen; tamen, qui retinere voluerunt timorem Domini, & præcepta data à Deo Adamo; in his aderat Spiritus Domini, qui dicebatur ferri super aquas: fouebatur in his inquam semen filiorum lucis, quod post diluuium retentum in Sem maximè, & in eius familijs debuit apparere germinans in Abrahamo. nam in mundo prisco multitudo impiorum, quæ sequebatur impetum animi ad explendas cupiditates, inundabat vbique & circumfundebat suas tenebras per latam terram, vt piorum lux non conspiceretur. veruntamen erat illa retenta in Adamo in eo illucescente secundo Adamo, qui illuxit Abrahamæ: qui secundus Adamus victima factus claruit in Abelo, & mortuo, & exsuscitato in Setho. in his tecta manent mysteria. vnde historia nil memorat de Setho; sed de eius filio Enofo. dicitur tum coeptum esse inuocari nomen Domini, vt lux inter tantas tenebras in parte illuxerit, atque Deus dederit, vt sui innuocarent nomen sui Seruatoris, qui Abrahamæ solenni verbo fuerit patefactus, & promissus. deinde in Enocho idem Seruator ostendebatur resurrecturus ex mortuis, & conscensurus in cœlum: & in Noë eiusdem Iudicium futurum ætate postrema in secundo Aduentu Domini. Ergo dicamus dum capite primo Deus in rebus creatis posuit, quæ erant futura, quæque ipse erat acturus omnibus seculis mundi: dum secundo & tertio in homine per quem fecit mundum significarit quæ acturus erat in filijs lucis, & quæ consecutura essent in filijs tenebrarum; hoc quarto capite sit reditus ad primum caput atque veluti in secundo & tertio capite sit generatim expositus primus ille versus
 primi

IAC. BROCARDI IN, IIII. CAP. GEN.
primi capitis: In principio creauit Deus coelum, & ter-
ram: hoc capite quarto exponatur alter versus. terra au-
tem erat inanis & vacua, & tenebræ erant super faciem
abyssi, & Spiritus Domini ferebatur super aquas. Et vt
quæ sunt secundi, & tertij capitis, nuntiarunt futura, vt
vidimus; itaque de Cain, & Abelò narratur in hoc ca-
pite, & deinceps de alijs vsque ad finem diluuij, & ad
Abrahamum; videantur pariter significare illa futura,
quæ diximus.

ARGUMENTVM SEPA- ratim in caput quartum.

DVm narratur ortus Cain, & Abel: & hic inter-
fectus ab illo: item historia Cain cum suis fami-
lijs, significatur quoque status impiorum, & ar-
te Abrahamum, & post Abrahamum, & maximè Papa-
tus, vt ostendemus.

1. *Et Adam cognouit Euam uxore suã, & peperit ei Cain, & dixit. acquisui virum cum Domino (vel à, vel per Dominũ)*
2. *Et addidit, vt pareret fratrem eius Abel. & erat Abel pastor pecudum, & Cain erat colens terram.* Historia non opus habet interpretatione, quæ memorat Adamum cognouisse vxorem suam Euam, & hanc concepisse, & peperisse Cain, & dixisse, acquisui virum è Domino: & item peperisse fratrem huic Abelum. verum ratio Di-
uini sermonis, cuius est signare in vno statu, & tempo-
re, quæ sunt alterius, & futuri temporis: item Euange-
lica prædicatio, quæ factum Cain reuocat ad statum se-
cundum, siue ad ætatem quartam, & alias, vt post osten-
demus; faciunt vt mysteria hic quoque contemplantur.
præterea in verbis ipsis historiæ sunt, quæ ducunt nos in
mysteria, vbi dicitur, acquisui virum è Domino, siue à
Domi-

Domino, cum Domino, per Dominum dicas: quia potes & ita vertere, acquisiui virum ipsum Iehoua; in qua interpretatione signatur in Eua Ecclesia, præsertim cum in superiori capite fuerit Eua vocata Mater omnium uiuentium. Si iam hîc Ecclesia intelligitur, indicabit hîc quoque Adamus Patrem cuius Spiritus venit in Mariam Virginem, siue dicas in Ecclesiam suam, quòd more Prophetico vtrunque dicatur, ex primo capite Osæ potes cognoscere, nam concepit Maria, & Ecclesia, ac peperit Christum, Deum & hominem. atque hîc Eua dicitur eum concepisse & peperisse: quæ Eua signat Ecclesiam, quæ & concepit, & peperit semen, ex quo est natus deinde Christus, hîc & in Luca dicitur primùm concepit, deinde peperit, vt ostendatur verus homo procreatus, & factus ipse Dominus, qui debuisset contere caput serpentis. Hinc colligimus Euam cognouisse ex se, ex Ecclesia, è Maria Virgine nasciturum Christum hominem, qui esset ipse Iehoua, qui liberaturus esset credentes à Satana, & à morte. Est item considerandum, dum deductus es in hoc mysterium, & intelligis Ecclesiam, quæ acquisiuit virum sibi, ipsum Dominum nostrum Iesum Christum; te quoque debere colligere è Iehoua, è semine Dei esse natos omnes, qui fuerunt filij promissionis. Vnde cum putaret Eua in primogenito esse semen promissionis, vnde nasci debuit vir, qui debuit esse ipse Iehoua Dominus noster; dixit de Cain, acquisiui virum è Iehoua, siue ipsum Iehoua, qui nasciturus erat è semine promissionis. Hinc & de Noë dictum fuit, ipse consolabitur nos ab operibus manuum nostrorum. Verùm falsa fuit Eua, quia erat illud in Abelo, & quia hic Abel fuit occisus, exfuscitatum fuit semen promissionis in Seth, eodem modo falsus fuit primò Isaac, qui putauit semen promissionis futurum in

Esaii, cum esset in Iacobo. ita errabat Ioseph in Ephraim & Manasse. non enim secundum rationem humanam; sed secundum statutum Dei est promissio: & mysterium Patris, & Filij, & Spiritus Sancti debuit cognosci publice postremis temporibus. quod signatur in secundis, & in postremis filijs aliquando: atque populus, qui erat cogniturus donum Filij Dei, & Spiritus Sancti, non obtinuit, ut putabat, veram seu postremam requiem in Syria sibi donatam expulsis Cananæis, & alijs; sed à Christo in secundo statu, & à Spiritu Sancto in tertio perfectam erat adepturus requiem, ut docet Paulus ad Heb. 3. & 4. Quamobrem ut ad verba illa redeam, quæ de Cain dicta sunt: non minus mysteria, quæ memorauimus, sunt cognoscenda, quòd dicta sint de Cain nato. quia putauit Eua in primogenito illo fuisse semen promissum. Dum autem occidebatur à Cain Abel, apparebat Cain non fuisse semen benedictum. Et quia occidebatur Abel, in alio adhuc expectandum fuit semen benedictum. loco igitur Abel nascitur Seth, nec in hoc apparet semen optatum, nisi dum in Enoso conspicitur inuocatio nominis Iehoua, siue Iesus. ita producta fuit expectatio seminis Sancti ab Abrahamo ad Mosem, à Mose ad Prophetas, à Prophetis ad ipsum natum tandem Christum: qui tamen fuit Fide, ac Spe acquisitus non solum ab Abrahamo, à populo Israëlitico, à Prophetis; sed ab Enoso, Seth, & Abel, denuntiatus ab Enocho, figuratus à Noë, promissus iam in Adamo & Eua. Quæritur simul hic, quæ causa sit, ut prius memorentur præsciti & aduersarij, ac eorū propagatio, quam prædestinatorum Dei cultum tuentium. hoc enim capite ponitur Cain caput filiorum tenebrarum, & eius posterij, deinde recensetur propagatio filiorum lucis. Capite primo Geneseos dicta sunt, quæ ad hanc quæstionem.

nem pertinent, vbi causa redditur, quòd prius ponatur vesper, quàm manè; & prius actum sit de tenebris. Et cap. 6. lib: 4. Esdrae ratio huius rei redditur, quòd Dominatus mundi sit datus filijs Esaü in sex primis ætatibus: septima ætas futura sit Israëlitarum, & seminis obtinentis promissa vtriusque Aduentus Domini. Et quia futurum erat, vt Cainistæ, & filij Diaboli insinua- rent se in cultum Diuinum, in hæreditatem Domini, in administrationem eius Ecclesiæ, & in Dei filios; factum quoque existimo, vt de Caino dixerit Eua, acquisiui virum ipsum Iehoua. quia se Messias, se Christos profes- si sunt filij Cain tempore Apostolorum, & post Aposto- los; Papa maximè, & Ecclesiastici. atque nunc inter il- los, qui profitentur Euangelium, inuenias qui se Chri- stos faciant, quibusq; ne crederemus, monuit nos Chri- stus in Mathæo cap. 24. & alibi. Si iam mysterium con- templemur verborum illorum. acquisiui virum ipsum Iehoua; significatur nobis Christus Iesus, Deus, & ho- mo: Sponsus Ecclesiæ, ex quo ipsa ducta sit ab initio, & ante mundum, auctaque in mundo, & seruata in eodem Christo. in quo æternam est adepta vitam. singula hæc probari multis modis possent, ex verborum illorum in- terpretatione; sed satis sit attigisse rem ipsam.

Et fuit Abel pastor ouium & Cain erat colens terram.

Quisnam sit vterque indicatur in suis studijs. in pastore ouium significantur ministri, qui Verbo pascunt gre- gem Christi, quique pro hoc, & pro grege tuendo pro- fundunt vitam. In agricola quamuis signentur sæpè prædicatores; & qui præsunt Ecclesijs; tamen aliquan- do signantur & proditores, qui vineam sibi locatam, su- am faciunt, atque fideles seruos, & Dominos vineæ in- terficiunt. isti in Cain, illi in Abelo signati sunt, quot quot fuerunt ab his duobus primis fratribus, vsque ad

postrema tempora, quando fratres fratrem interemerunt Religionis ergo.

3. *Et fuit in fine dierum & adduxit Cain de fructu terræ oblationem Domino.*

4. *Et Abel adduxit etiam ipse de primogenitis pecudum suarum, & de adipe earum. & respexit Dominus ad Abel, & ad oblationem eius.*

5. *Ad Cain autem, & ad oblationem eius non respexit, & iratus est Cain valde, & concidit vultus eius.* Hic significatur status temporis legis naturæ, seu priscus mundus impiorum à Cain vsque ad holocaustum, quod obtulit Noë postquam exiuit ex arca, item illi, qui omnibus temporibus in Circuncisione, & in Baptismo Cain imitati sunt: præsertim verò Scribæ, & Pharisei tempore Christi, & post præter cæteros Ecclesiastici Papistæ. omnes hi filij Cain sibi tribuerunt cultum Dei, & locum Christi, cum mimici Dei extiterint, & euersores Divini cultus: atque verè pios, Verboque Dei parentes hæreticos vocarunt, & interfecerunt. de quibus dixit Christus sanguinem iustorum venturum super ipsos à sanguine Abel vsq; ad sanguinem Zachariæ. & Apostoli loquentes de postremis temporibus aiunt homines venturos in viam Cain, quod & significauit Moses, vbi dixit. in fine, seu à fine dierum. vbi significauit certum tempus elapsum, quando pij & impij, filij Abel, & filij Cain veniunt in Iudicium de ipsorum cultu; & Evangelici propter illum interficiuntur à Papistis, vt quod factum fuit tempore Abel, & Cain; fiat hoc tempore, quando de cultu Euangelico, & Papistico fit Iudicium.

Et respexit Dominus ad Abel, & ad oblationem eius.

Quæri potest hîc, quomodo Deus respexerit, & id Cain aduerterit, multæ causæ possunt adduci, vti quòd Sacrificia fuerint conuersa, & non conuersa in cinerem: fuerint

fuerint Angelorum monita, patris Adæ Indicium, siue aliter, ego quidem existimo illam omninò fuisse, quòd oues, & bona Abeli crescerent, contra res Cain minuerentur: vt nunc Papistæ indignantur quòd à se ad Christum deficiant Euangelici, eorumque bona, & ditiones, & autoritas diminuatur. hinc ebullit, & feruet Cainica ira Papistarum eorum, qui à Religione defecerunt.

6. *Et dixit Dominus ad Cain. cur iratus es, & quare concidit facies tua;* Ira hæc Cain est ira ædificatorum turris Babel, Aegyptiorum contra filios Israel, interfectorum Prophetarum, Iudæorum contra Christum, & Apostolos: Papæ, & Papistarum contra Euangelicos. qui vt hos perdant, non verentur periculis vitæ se obijcere, incertam, ac dubiam tentare victoriam; & bella suscipere, in quibus de omnibus suis bonis agatur. adeo furore & amentia agitantur, vt nolint viuere, cum incolumes vident Euangelicos. vtuntur & perfidia, & malitia sui patris, qui imparatos, & inermes adoriantur suos fratres: Euangelium oppugnant, quod multi complectuntur.

7. *Nonne si benè egeris, erit acceptatio (bene eris acceptus ferēs reportabis) si non benè egeris, ad portam peccatum cubat. & ad te desiderium eius, & tu dominaberis in eum.*

Si benè egeris, eris acceptus, ac ferēs, reportabis jus scilicet primogenituræ, vt in te firmentur omnes promissiones. Existimo fuisse eandem simultatem & odium in Cain, quod fuit in Esau: quod est in Papatu contra Euangelicos: vt quemadmodum aduerterat Esau Iacobum aspirare ad primogenituram, & à patre nuntiatam benedictionem, quam ipse expectabat; ita aduertunt Papistæ Euangelicos obtinere Ecclesias, & statum publicum. Causa autem amissionis primogenituræ refertur hic à Deo in peccata, itidem refertur à Prophetis,

& ab Apostolis cum agitur de Esaü. Ac quod dixit hic Deus Cain, idem dixit Iudæis sæpe, vt perfisteret in obseruatione præceptorum, quo Regnum Dei obtinerent, nec ex eo expellerentur, prædicatum fuit Iudæis, vt crederent Christo, neque obtinebant ipsi à Deo, darentur gentibus. quod & factum fuit. Prophetæ clamant non eijciendos ex Ecclesia Ecclesiasticos, non Principes Politicos è suis Regnis, si prædicationi Euangelicæ crediderint. vt Jer: 4. Si abstuleris offendicula, non dimouebis. totum illud caput assumatur huc. item 58. Isaia.

Si non benè egeris, ad portam peccatum cubat. & ad te desiderium eius, & tu dominaberis in eum. Quia verò noluit Cain benè agere, frater assumptus est in primogenituræ dignitatem. & quia Abelum interfecit, alius assumptus fuit in demortui locum. In seruitutem sæpè sunt ducti Iudæi, quia à Dei Lege recesserant; bello fuerunt sæpè consumpti, ciuitates eorum vastatæ, & direptæ. post Christum expulsi omninò è suo Regno, ac profugi facti etiam nunc vagantur in terris, vt nullibi propriam habeant sedem. Papistarum peccatū cubat nunc quoque in foribus, nunc iudicantur, vt illi fuerunt iudicati: ac propè adest, vt eijciantur, & priuentur iure hæreditatis, quod sibi tribuunt, bonorum Christi; atque in illud ingrediantur Euangelio obedientes, dum fit illud Iudicium, quod memorat Paulus Rom. 2. Peccatum enim dictum est cubat, non solum Caini; sed omnium peccantium.

Et ad te desiderium illius. Sententia hæc torquet multos, dum quæritur interpretatio, in qua singula cohæreant. ego confugi ad textum Hebræum, et vt potui, verba, & sententiam sum contemplatus, quæ tota ita mihi videtur cohærere. Si ad bonum conuersus fuerit tuus animus, vt credas, vt fiducia tua fit in semine mulieris;

lieris; in viro, eodemque Iehoua, te salutem consecuturum, in eoque Sacrificium, & oblationes tuas suscipiendas, vt facit frater tuus Abel; suscipientur à me illæ quidem; atque residebit apud te ius primogenituræ vt obtineas, quæ in illa promittuntur. Sin autem à bono recesseris, fueritque ab eo animus tuus auersus, vt non in semine promisso putes te retenturum primogenituram; sed velis illam tibi tribui, propterea quòd sis natus prior: atque ita contemnere, & contumelia afficere ipsum Iehoua, quod fuit peccatum tuorum parentum, in se velle recognoscere, quæ fuerunt ipsius Iehouæ: & propter quod continget condemnatio omnibus, qui tuum institutum secuti fuerint: *Ad portam peccatum cubat.*

Eris filius Diaboli, semen maledictum, quod interficiat pios: eris pater Antichristi. item est huius peccati & aliorum constitutum Iudicium, quod te, & tui similes manet, & expectat, vt perdamini expulsi à iure hæreditario, & à Regno ipsius Iehouæ. Vt enim incubat gallina ovis è quibus suo tempore prodibunt pulli, ita conseruantur peccata Cain, & omnium Cainorum ad Iudicium Domini, vt cum completa fuerint in Antichristo, de illis fumatur supplicium. cap. 15. Gen: hoc Iudicium significatur in Amorræis: vbi dicitur, cum completa fuerint peccata Amorræorum. atque hoc exponitur à Deo ipso & hîc, & cap. illo 15. Gen.

Et ad te desiderium illius. Iudicium illud, & poena illa, qua punientur cæteri, & Papa, idem malum quod tu, appetentes; te quoque inuadet, & perdet.

Et tu dominaberis in eo, &c. Tu habebis principem in eo peccato, quo cæteri condemnabuntur. Verum vt magis Euangelica, & Prophetica interpretatio conspiciatur, siue Euangelica verba in verbis Hebræis hîc recognoscantur; videtur aduertendum verbum
Therif

Thetif in quo significatur bonum nuntium Euangelij; sapè enim aduertu in verbo illo Tif signari Euangelij; veluti ibi. quàm speciosi sunt pedes Euangelisantium bonum. Ergo ita videtur fuisse interpretandum, vt diximus illud. si benè feceris, si credideris, scilicet promissioni, & prædicationi de Iehoua, & reliqua, quæ dicta sunt. & in verbo altero Sceeth signatur remissio peccatorum, condonatio, pius cultus gratus Deo, preces suscipi, & exaudiri à Deo, euchi in numerum eorum, qui hæreditatis Christi participes futuri sunt, in eius Ecclesia possidere eius bona; cum eo in eius Regno regnare, atq; hæc sententia eadem est cum illa. qui crediderit Euangelio, saluus erit. *Si non benè egeris, ad portam peccatum cubat.*

Hoc est, qui non crediderit, condemnabitur. ita enim creatus fuit Adam, vt baptizatus in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti: ac ita, vt Fide sit saluus factus. per portam scimus passim significari Iudiciũ in Prophetia. atque híc de vno certo Iudicio, & communi est sermo: in quo peccatum condemnabitur. & id propriè in Euangelio est peccatum, non credere in Iesum Christũ: vt ipse ait: siue illud est peccatum peccatorum, & peccatum in quo condemnantur omnia peccata. vnde condemnabuntur omnes non credentes, quorum Fides patefiet in opere, seu operibus ipsius Fidei. *Et ad te desiderium illius.* Nam Pharisæorum peccatum non credendi Christo, eum odio persequendi, & interficiendi: item Patrum horum peccatum, qui Prophetis non crediderunt, ac illos persecuti sunt, & interemerunt, idem fuit cum peccato Cain: qui diuersum Sacrificium offerebat ab eo, quod obtulit Abel. non credebat promissioni Dei, & prædicationi parentum, vt credidit Abel, ac híc odio insecutus est, & interfecit. Quare Christus cùm exprobraret hoc peccatum Iudæis, interpretatur nobis hæc verba,

verba, & ad te desiderium, siue inundatio illius: quod
 scilicet peccatum illud inundauerit in Iudæos non cre-
 dentes emanatum á Cain, diductum per interfectores
 Prophetarum. vnde dicebat Christus. vt veniat super
 vos omnis sanguis iustus &c. in quibus verbis idem pec-
 catum ostendit Christus Cain, & interfectorum Prophe-
 tarum, & Pharisæorum tempore Christi: item peccatum
 interfectorum Prophetarum, & Scribarum, ac Pharisæ-
 orum referri ad Cain caput, & authorem illius. vnde di-
 citur: *Tu dominaberis in eum.* Eris tu Cain caput & au-
 thor peccati illis, qui Christo Iesu non credent, qui ei se
 opponunt hostes, & interfectores. Et quoniam dum lo-
 quitur Christus cap. 23. Matthæi Scribis, & Pharisæis,
 loquitur etiam Papæ, & Papistis, vt in Euangelistis ostē-
 dimus; peccatum Cain, est quoque peccatum Antichri-
 sti, & peccatum Antichristi peccatum Cain, & pecca-
 tum Cain dicetur dilatatum, & inundatū in Papam, &
 Papatum: & horum peccatum referri quoque ad pecca-
 tum Cam, qui fuit similiter author, & caput peccati Pa-
 pistarum, vt fuit Iudæorum. Quòd loquatur Christus eo
 in loco de Papistis quoq; Abbas Ioachimus confirmat,
 qui Zachariam interfici inter templum, & altare, ait sig-
 nare Euangelicos interfectos in Papatu à Magistratu
 Ecclesiastico, & Politico. quæ interpretatio cum aliàs
 mihi visa fuisset admirabilis, nunc videtur valdè pro-
 pria, & vera, postquam intellexi in templo signari Chri-
 stum & Ecclesiam suam: & pro altari poni Sacerdotes,
 & pro templo populum, & pro porta Iudicium. Verūm
 ne nostra, & Ioachimi aliena videatur interpretatio, Iu-
 da Apostolus vaticinatur de statu Papistico, & ait Papi-
 stas ingressos in viam Cain: atque Paulus mihi videtur
 intuitus hæc verba, *ad portam peccatum cubat, & ad te de-
 siderium eius, & tu dominaberis in eum,* quando describit

Antichristum. peccatum enim quod ad portam cubat, est defectio Ecclesiasticorum à Christo, quæ expectatur punienda, quando & à Papa, & ab Ecclesia Romana deficient Euangelici, & populi: atque Papa fuerit declaratus, & iudicatus Antichristus in Concilio. in quo Papa conspicietur peccatum Cain, Scribarum, & Phariseorū, & aliorum antè: quod peccatum Cain maximè auctum apparebit in Papa. vnde dicitur ipse præter cæteros homo peccati: quod præter cæteros aduersarium Christo se præstiterit; vt quemadmodum peccata Cain, & omnium aduersariorum. Christi & Euangelij æterni inundarunt in Papam, in Ecclesiasticos, & in Papatum; sic & poena illis parata sit, quæ inuadet in omnes. Papa enim, in quo desinet semen Cain; Principem se præstitit in communi illo peccato veniens aduersus Christum, effereus se suprà omne, quod dicitur Deus: vt etiam in templo Dei sedeat, se Deum ostentans. verbum enim illud Maschal, in quo signatur Regnum, & Principatus Christi tributum Cain, à Paulo exponitur de Papa: vt hinc videamus, quæ docuerunt Apostoli petita esse ex mysticis Diuinæ scripturæ sensibus, quæ latent in sententijs, in verbis, in literis, & in minimis punctis, vt ait Christ^{us}. aperientur autem in innouata Ecclesia, quando in eandem conuenient & Iudæi. quibus nos & hanc historiam paramus eorum, quæ in secūda prædicatione agit Christus, veniens secundo in Spiritu, & innouans Ecclesiam, & afferens Regnum Israëliticum.

s. Et dixit Cain ad Abel fratrem suum, & fuit cum essent in agro, consurrexit Cain in Abel fratrem suum, & occidit eum.

Quæ locutus sit Cain ad Abel non dicitur. ego existimo Cain ea locutum, quæ solent Papistæ, quando petunt pacem ab Euangelicis, promittunt se eam seruaturus. promittunt omnia salutaria, quando illos prode-

re,

re, & interficere volunt. duxit ergo Cain fratrem longè à patre in agrum, vt ibi latrocinium, & cædem faceret. Eodem aperto, & manifesto latrocinio interfecti sunt antè Prophetæ, & nunc à Papistis Euangelici: vt memorat Ieremias cap. 7. Of: 6.

9. *Et dixit Dominus ad Cain, ubi Abel frater tuus? & dixit. non noui, nunquid custos fratris mei sum ego?*

10. *Et dixit, Quid fecisti, vox sanguinis fratris tui clamat ad me è terra.* Etsi Prophetæ multi palam interfecti sunt, vt Iesus Christus: & Euangelici multi publicè comburentur, tamen Phariseorum occulta nouimus confilia, & nunc maximè Papistarum: & clam quoque infinita multitudo est necata cùm alibi multis in locis, tum maximè Venetijs. culpam certè omnes voluerunt esse absconditâ sceleris, & impietatis Cainicæ: aliquando facinus palam admissum pro præclaro, & piè factò prædicando, & asseuerando: aliquando facinus occultando: at sanguis interfectorum clamat ad Dominum, qui poenis illatis faciet, vt appareat culpa peccati. Sanguis autem Abel, qui clamabat ad Dominum, est quoq; sanguis Euangelicorum, qui nunc pariter ad Deum clamât contra Papistas. vindica sanguinem nostrum.

11. *Nunc igitur maledictus es è terra, qua aperuit os suum ad suscipiendum sanguinem fratris tui de manu tua.*

12. *Quando coles terram, non addet, vt det virtutem suam (fructum suum) tibi: vagus & profugus eris in terra.*

Maledictio, quæ per Christum depulsa fuit à credentibus, perseuerauit in non credentes, & in Cain semen. In peccato enim Adæ fuimus omnes maledicti: at credentes in Christum fuimus ab illo exempti. Iudæi, & Papistæ & non credentes persistent maledicti in terra, vt Cain, & tempore Iudicij postrema poena punientur. de hac maledictione dicitur Deut. 28.

13. Et dixit Cain ad Dominum. Maior est iniquitas mea, quam ut remittatur.

14. Ecce eiecisti me hodie à facie tua terra, & à facie tua abscondar, & ero vagus, & profugus in terra. & erit (ut) omnis, qui inuenerit me, occidat me.

15. Et dixit ei Dominus. imo quicumque occiderit Cain, septuplum vindicabitur. & posuit Dominus in Cain signum, ut non percuteret eum ullus qui inuenisset eum. Ut cognoscent tandem Papistæ & impij omnes dum aderit Iudicium conscientia singulorum attestante, se meritò iudicatos, ut exponitur cap. 5. Sapientiæ; sic cognouit Cain erratum & poenam, qua dignus fuit: nouit se attulisse manus in Christū, qui erat in Abel, in filium Dei, quod fecerunt & eius filij. non punitus autem tunc fuit extrema poena, sed in eo ostendit Deus Iudicium suum futurum de interfectoibus Prophetarum, & Christi, & nunc Euangelicorum: & ait, eum qui interfecerit Cain septuplo puniendum: quibus verbis existimo signari semen Cain perseuerare debuisse vsq; ad ingressum in ætatem septimam: atq; pios debuisse pati, & sufferre omnia supplicia, & mortem. ut nec filij Abrahæ debuerint arma capere contra fratres: non Iacob contra Esau: non Ioseph contra fratres: nec Moses, & alij pij, contra quos multi ex suis in deserto insurrexerūt: nec Prophetæ contra eorum interfectores: nec quarta ætate Christus, & Apostoli, & martyres contra Iudæos, & tyrannos: nec quinta, nec sexta Euangelici contra Papam, & Ecclesiam Romanam: nec nunc ætate septima ingrediente, quando prædicatum est iterum Euangelium, debuerunt Euangelici sumere arma, nisi post prædicationem quadraginta annorum, quando Christus in Gallia euectus ut ait Isaias: 19. cap. super nubem leuem, posuit arma in manibus suorum: ut iudicet iam pecca a præsentiu, &

pate-

præteritorum impiorum, qui effuderunt sanguinem hominis in homine, Christum in membris suis occiderunt: ac omnes sub eandem pœnam vocet. de qua re alibi pluribus agetur.

16. *Et egressus est Cain à facie Domini, & habitauit in terra Noë, ad orientem Eden.* Postquam Caini interfectores fratrum defecerunt à Deo, & ab eius Filio Christo Iesu, priuati promissionibus Diuinis, continuerunt se in Regno externo Christi, ostentantes se filios promissionis, Ministros Dei, & Christi Iesu: at cum peruenti fuerint ad septimam ætatem, eijcientur omninò ab omni Dei Regno & ex Ecclesia. Assumamus hîc rem totam. Nascitur Cain, & Abel. ille Papa, hic semen mulieris. Improbat Deus cultum Papisticum, probat Euangelicorum. id perducitur ad prædicationem secundò repetitam, in qua apparet Deus magis suscipere cultum Euangelicorum, dum deficiunt populi à Papatu. Concidit tunc facies Papæ: instat Christus prædicatione arguere Papatum, quam prædicationem & reprehensionem dum audit Papismus, eam contemnit & interficit credentes. Iam verò fit Iudicium: puniuntur Papæi interfectores fratrum. & qui restant Papæi non credentes fiunt profugi super terram, & erit illis plaga, quæ dicitur in fine Zachariæ. dum persistent ad orientalem plagam Eden. respicient ad orientem vt dicitur in Ezechiele cap. 8. persistent esse Papistæ.

17. *Et cognouit Cain uxorem suam, & concepit, & peperit Henoch, & edificauit ciuitatem, & vocauit nomen ciuitatis iuxta nomen filij sui Henoch.*

18. *Et natus est ipsi Henoch Irad, & Irad genuit Maniel, & Maniel genuit Matusaël, & Matusaël genuit Lamech.*

19. *Accepit autem sibi Lamech duas uxores, nomen unius Ada, & nomen secunda Sella.*

20. Et genuit Ada Iabel, ipse fuit pater habitantium tentoria, (caulas).

21. Et nomen fratris eius Iubal, ipse fuit pater omnium contrectantium citharam & organum.

22. Et Sella etiam ipsa peperit Tubalcain acuentem (exponentem) omnia opera aris & ferri. Soror verò Tubalcain fuit Noëma. De vxore Cain nihil dictum fuit antè, vt multa alia Adami & Euæ, & horum filiorum videntur præterita; & illa in narrationem assumpta, in quibus significarentur futura. Septem autem familiæ hic memorantur ductæ à Cain; quò vt existimo signarentur septem ætates, ad quas peruenturi essent, ac non permanfuri deinceps illi, qui viam Cain, vt ait Iudas, fuissent ingressi, quemadmodum dictum est de septupla pœna. Primogenitus Cain est Enoch, qui opponitur Abrahamo & omnibus, qui Fide volunt se in Christo esse iustificatos. tres qui sequuntur, opponuntur his, qui adhærent Diuina Legi, verbo Prophetico & Euangelico. Lamech, in quo est quinta familia, videtur signare Papam quinta ætate exultantem, quòd primum à Constantino, deinde à Carolo magno fuerit constitutus Deus in Ecclesia, & in statu populi Christiani. Vnde se jactat Papa apud duas vxores, hoc est apud Ecclesiasticos quintæ & sextæ ætatis, se non habere superiorè in terris: & minus se posse à quoquam opprimi, quàm antè non potuerit opprimi Cain: se omnium filiorum Cain superiorem, & fortiorè prædicat Papa: vt non verendum sibi sit, quòd sit pœnas daturus intermens Euangelicos, & Prophetas: vt Deus non fuit interfici Cain, minus se interficiendū: vt superiores non fuerunt puniti interficiendo Euangelicos, minus nunc se punitum iri. Et hæc sunt, quæ inculcant Hypocritæ Papistis; proponunt exempla Albigeriorum & aliorum. vt illi non obtinuerunt in populo Chri-

Christiano, ita nunc non futurum, vt Euangelici obtineant contra Papatum. Itaque in duabus vxoribus Lamech videntur signari Ecclesiæ, quintæ & sextæ ætatis. In Iabelo filio vnus vxoris patre habitantium in tentorijs, & eorum, qui student rei pecuniariæ, seu pecuariæ, signantur ijdem Ecclesiastici inhiantes ad Papatum, ad Patriarchatus, Episcopatus, Archiepiscopatus, Abbatias, & ad reliquas dignitates: in quibus dominantur multis, & magnum sibi adsit peculium. In Iubale Iabelis fratris patre canentium cythara, & organa signantur ijdem Ecclesiastici, qui ad superbiam, & ad auaritiam adiunxerunt voluptates omnis generis, in quibus Sardanapalo non cesserunt, & in his studijs, ac vita perseverarunt deinceps semper. In filio alterius vxoris Lamech Tubalchaim malleatore, & fabro in cunctis operibus æris, & ferri signatur eadem Ecclesia sextæ ætatis, quæ addit ad superiora vitia crudelitatem, & inhumanitatem: ignem, & ferrum susceperunt Ecclesiastici ad coercendos omnes sub impia tyrannide; ediderunt suum Decretale, vim præterea, & libidinem immanem voluerunt esse jus in ipsorum Ecclesia.

Soror verò Tubalcain Noëma. Existimo hoc esse additum: vt crudeli tyrannidi Papistarum signaretur adiuncta, & adaucta voluptuosa vita, quò in sexta ætate hæc vitia coniuncta ostenderentur, vt eadem coniuncta ostensa sunt in Iabelo, & Iubalo. Possent duæ vxores signare duas Ecclesias, item Romanam in Italia, & in Germania; Venetam, cum reliquis Papisticis, ac si dicemus Hierosolymitanā, & Samaritanam: quòd ita Regnum apud Christianos sit diuisum, vt ostendemus cap. 3. Osee & alibi. In Iabelo autem signetur Germania inferior Papistica, in Iubalo qui in Gallia oppugnant pios: in Tubalcain, qui in Hispania aduersantur Euangelicis, in

Noëma

Noëma Inquisitio. Si aliter hæc videbuntur intelligenda, erit cuiusque afferre, quæ erunt maximè propriè significata.

23. *Et dixit Lamech uxoris suis Ada & Sella: audite vocem meam uxores Lamech: auscultate sermonem meum, quòd virum occidi in vulnus meum, & puerum in liuore meo.* Hoc est à quo vulnus accepero illum interficiam. Dum Ecclesiæ Papiſticæ incipiunt pati in perturbationibus bellis, addit Papa illis animum, tanquàm nunquàm futurum sit, vt ipse vincatur à Christo nunc in secundo Adventu. & hoc videtur comprobare etiam postremam interpretationem de tribus viris, & muliere.

24. *Quia septies vindicabitur Cain, & Lamech septuagesies septies.* Papa suam sententiam comprobat è Verbo Dei, vt dictum est versu. 15. sed nunc non intelligit iam præterijſſe septenum numerum Cain, hoc est septem dierum, qui descripti sunt cap. pro' item & numerum Lamech septuagesies septies: hoc est illud idem tempus præterijſſe distributum in varias septenas vt vidimus in Apocalypſi, in quo numero ita distributo indicantur singularum ætatum Cainistæ, & Lamechistæ interfectores fratrum. qui sint perducti omnes ad tempus Iudicij, quando sint iudicandi & puniendi. In testamento & Prophetia, quæ circumfertur Benjamin hæc sententia habetur.

Antequàm perfequar reliqua exponere huius capituli, quædam videntur assumenda pertinentia ad caput secundum, vbi nuntiatur mors Adæ edenti de Ligno vitæ; & ad hoc quartum, vbi Deus respondet Cain irato; ac illum monet de ipsius peccato. idque faciemus, quia in morte nūtiata edenti de Ligno agitata fuit quæſtio de libero arbitrio, quæ nondum est sopita, & in ira
Cain

Cain feruet adhuc ira eorum, qui causam damnationis in Deum reijciunt. & inueniuntur, qui peccatum reijciunt pariter in Deum: atq; sunt etiam, qui Deum verentes, decreto tamen Dei asserunt peccasse Adamum, & qui volunt Deum esse causam peccati. Sunt contra alij, qui cum à Deo remouent peccatum, in se peccatum non recognoscunt. Quamobrem dum Sacram percurramus historiam, videmur non posse hæc præterire, quin aliquid dicamus. & quamuis quæstiones videantur in aliquibus arduæ, non idcirco minus illas attingemus, nam cogimur scribere opera Domini, quæ se ostendunt in his, quæ nunc in orbe agitantur, & fiunt: atque quæ scribimus, ita scribimus, vt sæpe monemus, vt sint ventura in Iudicium, quod instat. in quo & mea, & aliorum iudicabuntur. In tractandis autem his quæstionibus propositis, non conabor penetrare ad quædam arcana, & imperferutabilia Diuinæ Majestatis, sed quæ se ostendunt in Verbo Dei, ac in eius operibus: ac simul in his, quæ fuerunt hominis. ita vt quæ primo tempore, & medio, & postremo; atque alijs in his intermedijs peracta sunt, & perscripta à Domino, contempler. nam ita videtur consilium Dei magis se aperire, vt monemur in Ieremia cap. 23. 20, & 30. 24. In Sacris literis monemur, Deum non solum initio creasse, formasse, & perfecisse omnia in coelis, & in terris; sed & perstitisse in omnibus ætatibus, & temporibus sua virtute adesse in omni procreatione, & formatione rerum: atque efficere, vt sua cuiq; generi vis donata à principio extet perpetuò. non destitisse lucem, quam initio dixit, vt esset, diffundere continenter in omnia creata, tum corporea, tum incorporea. quòd lux illa esset vita omnium, & quæ illuminaret omnem hominem venientem in hunc mundum. Qui status hominum fuerunt in hoc mundo, per ipsum con-

IAC. BROCARDI IN VIII. CAP. GEN.
stiterunt, perseuerarunt, aut commutationem habuerunt:
quæ bella gesta sunt, aut secundum eius voluntatem ge-
sta sunt, aut ipsius permisso: qui dictus est, diuidere a-
quas ab aquis; fecisse, ne aquæ transeant fines suos: qui
dictus est Deus exercituum. Ipse est, qui plantis dat ger-
men, & semen: qui omnibus dat incrementum. ipse est,
per quem Sol oritur, & stellæ; per quem sua munera, &
virtutem diffundunt in nos, & in hæc terrestria. ipse est,
qui perstat dare procreationem, & propagationem om-
nibus sensu, motu, & vita donatis. Ipse est, qui creauit,
& formauit hominem in terris, & in coelis Angelos: de-
dit intelligentiam, & mentem: vim & actum mentis: &
perstat efficere, vt ista sint in his, & in illis, Hæc à me
summatim dicta sint. & ne dicta repetam, huc assuman-
tur, quæ Sancti viri scripserunt de Prouidentia Dei, afflu-
mantur illa, quòd Deus sit, qui agat omnia in omnibus:
ipse sit, in quo viuimus, mouemur, & sumus: ex quo, &
per quem, & in quem sint omnia. vt Solem videmus il-
lustrare complexum coeli, & terræ; vt suam vim virtute
Dei infundit in omnia creata, vt etiam agat in his, quæ
in intimis sunt terræ; ita multò magis ipse Deus, qui
ait se complere coelū, & terram, sustinet, & vegetat om-
nia. Vt autem in hominibus, & Angelis consistamus,
quamuis hi donati sint intelligentia, & mente: atq; ho-
mo creatus sit ad imaginem, & similitudinem Dei, præ-
ditus magnis facultatibus; tamen & ipsi opus habent, vt
in his à Deo retineantur: & vt illuceat perpetuò eius
lux, vt agant, quæ sunt Dei, & sua: quæq; ipsorum sunt
æternæ salutis. Est enim vnus Deus, qui agit omnia
perpetuò in omnibus, & singulis in coelis, & in terris.
Angelus verò, & homo cùm non agant omnia in omni-
bus, etiam in seipsis per se singuli non agunt, quæ sunt
suæ perpetuitatis, æternæ vitæ, ac salutis: siue quicquid
volu-

volueris, quod pertineat ad scientiam, & veritatem: ad
 opus bonum, & rectum. Et vnus inquam solus est De-
 us, qui operatur bonum, verum, & rectum; quæq; sunt
 perpetuitatis, ac æternæ vitæ in omnib⁹, & singulis. Hoc
 voluit Deus, vt notum esset & Angelis, & hominibus;
 ne vlla creatura putaret ob facultates Diuinas sibi ab ip-
 so Deo communicatas se posse venire in comparationē
 cum ipso Deo æterno, solo Omnipotenti: ne quisquam
 faceret se Deum creatus à Deo. Nam hoc voluit Luci-
 fer. sensit in se esse, quod esset intelligentiæ, magnæ vir-
 tutis, facultatis, & potestatis. voluit se quoq; Deum es-
 se. deiectus autem ad inferna, didicit se non esse Deum.
 Ne autem etiam homo mente, & intelligentia, & mag-
 nis facultatibus donatus, idem sibi persuaderet; dedit ei
 Deus præceptū, quo pateret se non posse venire in com-
 parationem cum Deo: nec posse esse Deum. Diabolus
 quidem adfuit homini, ac ei persuasit se posse esse De-
 um. vt verò auscultauit homo Diabolo, patuit hominē
 esse miserum, & mortalem. Hæc iam patere debent in
 ipso facto. vbi Diabolus persuasit homini hominē non
 moriturum edendo de ligno vetito; sed futurum vt uti
 Deus, qui sciret bonum, & malum. Vnde & ipse Deus
 Pater ait arguendo hominem. En homo iste factus est
 quasi vnus ex nobis sciens bonum, & malum: nunc ergo
 ne fortē mittat manum suam, & sumat de arbore vitæ,
 & comedat, viuatque in seculum. & fuit eiectus, ac fa-
 ctus multis malis obnoxius. Quòd verò in ipso cursu
 temporum secuti fuerint homines consilium Diaboli,
 patuit ante diluuium in Cain, & in eius femine; in Gi-
 gantibus, & filijs Dei: patuit deinceps in ædificatoribus
 turrim, qua ascenderent in cœlum, ac Dei locum occu-
 parent: patuit in tot Dijs, quos sibi proposuerunt gentes;
 & in his, qui se tanquam Deos coli voluerunt. Et hæc
 11 2 recog-

recognoscantur in Poëtis, in eo authore, qui scripsit Genealogiam Deorum: in historijs, vbi Diuinitas tributa fuit hominibus, & Majestas. quæ quidem & hodie tribuitur hominib⁹. vbi homines, quæ sunt Dei sibi assumpserunt. vt etiam comburendo homines, & aliter mactando execranda admiserint: populum Dei persecuti sint, ac perdere semper sint conati. inque populo Dei extiterint, qui se Deos fecerint, cultum idolorum induxerint, & piè Deum colentes occiderint, vt historia Regum Hebræorum narrat, & tyrannorum post Christum, & status Papistici, qui fuit hæctenus. Cultum Diuinum, leges, & omnem rationem vitæ non à Deo habere voluerunt; sed ipsi sibi præscripserunt omnia, & alijs. Hinc Deus secreuit sibi semen eorum, qui se inuocarent, vt vidimus in Enoso, & in alijs deinceps. & post diluuium nouum foedus constituit cum homine, cum Noë, & eius familia, cum Abraham, & eius posteritati ea lege, & conditione, quam præscripserat Adæ. post in Lege data per Mosem primum præceptum fuit, vt ipse Deus solus haberetur Deus: vni ipsius Legi tantum obediretur: apud ipsū non esset Deus alius. atque id inculcatum fuit semper & in Mose, & in Prophetis. Quæ autem defectiones fuerint à Deo ad Satan, tota Scriptura sacra docet. Venit Christus, duxit iterum hominem in Paradisum constituta Ecclesia: & defectiones fuerunt pariter, vt memorant monumenta Apostolica, duxit & iterum hominem in Paradisum tempore Constantini ductis Christianis in regna gentium eadem lege, foedere, & conditione, quam habuit cum Adamo, Abrahamo, Israëlitis, & Christianis, vt crederent Euangelio, & obseruarent præcepta, quæ iussi fuerant prædicare Apostoli. Hoc autem nostro tempore, dum facta fuit defectio à Christo ad Antichristum, prædicatur iterum Euangeliū, per quod
 iterum

iterum vocamur in Paradisum sub eodem pacto, & fœdere, quo Adam, Israëlita, & Christiani primi. Ut verò sciamus pactum cum Adamo deduci ad posteros Adami, in capite serpentis, & in semine mulieris illud contundente significatum fuit: quòd hoc futurum sit postremis temporibus. item defectio à Deo ad Satan, ut monet Esd: lib. 4. cap. 3. 26. inquit. In omnibus facientes sicut fecit Adam, & omnes generationes eius. uterentur & ipsi corde maligno. De nostris autem temporibus ait Oseas cap. 6. 7. Ipsi autem transgressi sunt pactum sicut Adam. Dum enim prædicatur iterum Evangelium, quidam credunt, plures non credunt, & permanent extra Paradisum. & ex his, qui credunt, dum perseverat probatio, ut obedientes, & persistentes in Evangelio obtineant promissa; ecce multi deficiunt: ecce multi non amant edere ex omni ligno Paradisi: non cogunt Ecclesias, ut fiat ingressus multis in Pomarium Christi, & ex vnoquoque fideli sumantur fructus colligendo ex singulis sententias. plures appetunt medium locum, ut sint primi, & capita aliorum: sint ipsi Christus. unde extiterunt nunc multi Christi, & hæreses. item vult ferè quisque se illum esse, qui obtineat scientiã boni, & mali: qui præscribat, & præcipiat alijs. Sunt qui volunt quæ ipsi credunt, ut tu quoq; credas. aliàs sis hæreticus, tanquam sint ipsi lignum vitæ. Volunt præterea ut in se iures. Papa, & Ecclesia Romana ediderunt suas formas iuramenti. alij multi hos imitantes astringunt populum Dei, ut in se quoq; iuretur de quibus conqueritur Deus in Ieremia cap. 5. inquit. Filij tui dereliquerunt me iurantes per eos, qui non sunt Dij. Principes pariter Politici multi satis ostendunt se nunc, ut ante superioribus temporibus alij, venire contra Deum, dum volunt præscribere Religionẽ alijs tanquam Dij. volunt quem-

madmodum Ecclesiastici, vt in se iuretur. suam volun-
 tatem, & libidinem, quemadmodum Papa suum motū
 proprium, volunt esse omnem legem. Hinc arguuntur
 hi omnes à Deo cap. 28. Ezechielis, quòd fecerint se
 Deos. Capite illo. 5. Ieremiæ, & 4. & 12 item. 5. Za-
 chariæ arguuntur cum Ecclesiasticis simul & Principes,
 qui vbi agitur de Religione, volunt, vt in se iuretur, &
 qui ita iurant, iurant in hominem tanquam in Deum.
 Nec solum Principes multi se Deos ostentarunt, idolum
 suæ mentis sequendo, & à Deo deficiendo, quemadmo-
 dum dictum est de Saul; sed & reliqui in populo, vt supe-
 rioribus temporibus, tum diuites, tum tenuiores præ-
 stantiam quandam adamarunt, vt quisque superaret al-
 lios dignitate, honore, gradu, opibus, diuitijs, & quavis
 re. ad hæc intenderunt animum: in his mens occupata
 fuit, vt pro se quisque contenderet ad arborem sitam in
 medio Paradisi. Iste voluit solus se eam esse, hic ramum
 arripere, alter folia contingere, & fructus inde carpere.
 auerterunt oculos ab alijs arboribus, à simplicioribus
 quantumuis præclaris, ac Diuinis facultatibus præditis.
 quidam gloriantur in Potentia, qua sibi subijcerentur
 plures: quidam in diuitijs, quibus emerent sibi tenuio-
 res, & humiles: quidam in Sapientia, vt soli audirentur
 in populo, edentes hi ex arbore scientiæ boni, & mali.
 In singulis fuit illa contentio, vt quavis in re quærent
 præstare cæteris, hinc dixit Christi discipulus. Qui-
 quid sit in mundo, esse concupiscentiam carnis, concu-
 piscentiam oculorum, & superbiam vitæ. Præter hæc
 externa, in quibus deficiunt homines à Deo, & iniurio-
 si sunt in proximum; quæ sunt Spiritualia, & virtutis
 mentis, sibi quoque tribuunt homines. vt qui Philoso-
 phos sequuntur, & Pelagianos, & dum non noscunt in
 se dona Dei, etiam præ se quisque contemnit alterum.

Et cum hæc defectio à Deo, & iniuria in proximum antè fuerit; nunc magis, quàm vnquam antè aliàs se ostendit. de qua re queritur Deus cap. 2. Ezechielis, quòd defecerint sui à se, & à sua Lege, quisque suum idolum, non Dei Verbum sequi velit. tot sint, qui faciant se Deos; faciant se Christos: sint qui hunc, & illum magis sequantur, quàm Christum, & Deum Patrem.

Cùm iam hæc ita se habeant, voluit Deus hæc, & superiora per præceptum nota fieri. Quod præceptum datum Adamo, & eius posteris, Patriarchis, Israëlitis, & Christianis, & nobis his nouissimis diebus; fuit omnibus ætatibus violatum; & pactum, quod habuit Deus nobiscum per inobedientiam rescisum. Vnde cum viderit Deus, qui cuncta videt, ante cuius oculos sunt omnia secula, ab initio progressum ætatum futurarum, & defecti-
onem populorum à se & hanc maximè, quæ conspicitur nunc in nouissimis diebus; suum Iudicium in primo homine statuit, quod futurum esset omnium hominũ omnium ætatum, & in hac nostra postrema seculi Esaiũ, & mundani. nam ante dicebamus, nos hoc tempore transgressos esse, vt Adam, vt monet Oseas cap. 6. & omnes generationes fecisse vt Adam, vt monemur in Esdra lib. 4. cap. 3. vnde idem est Iudicium, vt idem est peccatũ, siue etiam maius nunc. quod Iudiciũ dictum est in eodem libro Esd: cap. 5. 42. esse assimilatum coronæ. quia quod Iudicium visuri nunc sumus in nouissimis diebus, idem proposuit, & exposuit Deus initio: & quod Iudicium tunc proposuit Deus, illud nunc exequitur cui ab initio peccata omnium futurorum, & Fides fuerunt præsentia; & occulta cordium omnium, qui vnquam fuerunt. Quare quod Iudicium propositum fuit Adæ, propositum fuit omnib⁹ deinceps: propositũ est & nunc nobis; cuius opus visura est hæc postrema ætas ex his, in quibus

quibus regnarunt tenebræ, & seculum Esau. erit verò finis huius seculi, & ætatum tenebrarum. quia ducti sumus à cauda serpentis tentatoris ad ipsius caput, quando maior est tentatio. quòd videat serpens finem instare sui regni: atque ad summum perducta esse peccata, vt eius caput iam sit conterendum. Et cum deducendi essemus ab Adamo vsque ad hoc tempus magni Iudicij per tenebras, & lucem: ac tenebræ regnaturæ essent, quæ Deum non cognoscerent; voluit Deus, vt esset distinctio inter tenebras, & lucem: inter eos, qui se Patrem haberent; & recognoscerent, quicquid sunt, & erunt (vt breui dicam) à se, & per se esse. Dedit ergo Deus Adæ præceptum, populo Israëlitico Legem, & Christiano Euangelium, vt sibi obediretur. Dat cum conditione Adamo, si sibi paruerit. dat cum conditione Abrahamæ, si perstiterit in fœdere. dat cum conditione Israëlitis, si se audierint, & seruauerint Legem. dat cum conditione Christianis, si crediderint, & obedierint. si seruaueritis ait Christus præcepta mea, eritis mei discipuli. dat cum conditione nunc, dum eadem repetitur prædicatio Euangelica. liberam optionem dat omnibus: vt credant, & non credant: obediant, & non obediant: etiam credentibus, & obedientibus, vt desinant obedire: & non credentibus, & non obedientibus, vt credant, & obediant, vt infra videbimus in Ezechiele. vt in his appareat, & quinam sint tenebræ, & qui lux: deinde qui se Patrem recognoscant Creatorem omnium: qui se ament, qui se inuocent semper: quòd ipse sit, qui conseruet, ferat, dirigat, & perducatur eos in omni vita ad illa, quæ sunt salutaria, & æternæ vitæ. fiant contra manifesti sui osiores, & contumaces, & aduersarij. Si iam hæc, & superiora oportuit palam fieri per præceptum, cur non debuit Deus dare tale præceptum homini, quo præcepto appareret, homo, non posse

posse venire in comparationem cum Deo, nec esse Deum; sed viuere, & consistere, & agere, quæ sunt vitæ corporeæ, & item æternæ per ipsum Deum, qui est omnia in omnibus, per quem omnia, & in quo omnia; vt appareat, quinam essent credentes, & non credentes, amantes Dei, & contemptores, & talia.

Hæc quæ hæcenus exposui, mihi videntur fuisse proponenda, vt pateat ratio, quare dederit Deus præceptū cum optione libera. Age iam tu, siue dicas Deum, eò, quòd præuiderit hominem sibi attributurum, quæ sunt Dei, voluisse per præceptū ostendere, illum id non posse; siue dicas Deum voluisse ostendere se solum Deum, qui sit, & agat omnia in omnibus, an non id rectè factū est à Deo? cur, qui non est Deus, faciat se Deum? cur alteri gloriam suam dabit Deus? cur quod verum est, non ostendet Deus? quòd ipse sit solus Deus, qui agat omnia in omnibus? cur non patefaciet hominem, & Angelum non esse Deum: non per se & consistere, & perseuerare, & quod bonum est agere? cur non ostendet & ingratitude, & superbiam malorum Angelorum, & hominū, qui sua in ipsos beneficia non recognoscunt? Dato ergo præcepto voluit Deus hæc patefieri, & se solum verum Deum, & qui agat omnia in omnibus. Ita accepto præcepto Adam, patuit virtus Dei in homine quòd homo non sit Deus: homo per se nesciat: homo per se non sit bonus: homo per se non faciat bonum: per se non sit habiturus vitam æternam. Si iam tu dicas, cur non fecit Deus, ne Adam peccaret? ostende tu prius, an debuerit Deus dare liberum arbitrium homini? & si, dato debuerit illud impedire? In eo, quod Deo placuit facere in ipsius gloriam, in patefactione Veritatis de se solo Deo, in cognitione hominis de se ipso, & de ipsius Dei opere, & gratia, & Charitate, & Misericordia erga eundem homi-

nem, vt & vitam secum is obtineret æternam in cœlis; quis homo est, qui se interponat? Si per liberum arbitrium datum homini debuerūt hæc patefieri, & alia, quæ dicta sunt omnia, cur Deus non debuit illud dedisse? Et si dato libero arbitrio, coercuisset hominem, ne peccaret, quomodo fuisset liberum arbitrium? & si ad peccandum hominem impulisset, aut causa homini peccandi fuisset, quomodo & ita fuisset liberum arbitrium? & ite Deus Iustus? At justus est Deus, & quod justum, & verum est in apertum ducit, vt ipse cognoscatur solus Deus verus Omnipotens, Creator, & effector omnium in omnibus: atque homo creatus à Deo, & in quo omne bonum Deus agat, quod Deo sit tribuendum. In libero enim arbitrio patet, virtutem in homine esse infirmam, & quàm sit ipse homo miser, dum non perpetuò dirigitur, & sustinetur, & fulcitur Spiritu Dei: dum non perpetuò deportatur ab ipso: dum non fit æternus, nisi per æternum Dei Spiritum in se habitantem. Et ni homo, & Angelus per liberum arbitrium ducantur in experimentum, non patefit opus, & virtus Dei æterna in ipsis: nec tum nouit homo suum bonum vnde habeat, & habiturus sit, & non habiturus. Si iam relinquat Deus hominem in suis viribus, vt agat quod sibi videtur; seruet Dei Legem, & viuat; non seruet, & moriatur; quæ causa aut peccati, aut mortis debeat in Deum referri; si homo in libertate constitutus ad suum malum se conuertit potius, quam ad bonum? Hic nulla causa debet in Deum adduci, quòd sit ipse causa peccati, dum secundum pactum, & conditionem res est ab ipso homine peracta in suum ipsius malum. Quid si contra subuenerit ipsi homini, vt resisteret peccato, ac vitaret mortem? vt causa esset; vt vinceret, & inclinaretur ad illa, quæ essent suæ salutis? de hoc iam agamus: atque alio principio sumpto re-
peta-

petamus superiora: & ostendamus ad liberum datum arbitrium, postquam debilitas humana in illo est experimento comprobata, Deum addidisse suum auxilium, vt ad potiorem partem duceretur; & bonum obtineret. vt inde pateat, Deum causam fuisse, & esse boni, & vitæ in hominem; mali autem, & mortis ipsum adhuc hominem post subsidium sibi datum. Quòd verò suum auxilium dederit Deus homini, vt esset propensior ad suam salutem, prædicat Paulus Rom. 5. 8. iniquens. Commendat autem charitatē suam Deus in nobis, quòd cùm peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est. & 1. Cor: 10. 13. faciet Deus cum tentatione prouentum, vt sustinere possitis. Et hæc quidem non solum in his, qui fuerunt semen Abrahæ, & in his, qui Christo nomē dederunt; sed & in Adamo sunt recognoscenda. quia cùm dictus sit creatus Adam in animam viuentem, dictus est etiam creatus ad imaginem, & similitudinem Dei, vt sciamus in Adamo fuisse Spiritum animale, & Spiritum Dei viuificantem in vitam æternam. Vt verò hæc magis fiant perspicua, ad opus Euangelij recurremus, vbi est veritas, & regula mysteriorum Diuinarum scripturarum. Ibi patet omnes credentes regeneratos fuisse per Spiritum Dei Sanctum. vnde dicuntur credentes nati non ex voluntate carnis, neque ex voluntate viris sed ex Deo. & Spiritus Dei dicitur à Paulo habitare in credentibus, & is non esse Christi, qui non habet eius Spiritum. Et quoniam inter fideles hæc nota sunt, non plura hic dicam. Quòd item hic Spiritus sit, secundum quem debemus viuere, atque ipsum sequi in omnibus, id est quoque notum. Sed interea est quoque Spiritus hominis, qui fuit antequam crederemus. de quo dicitur. Quis nouit ea, quæ sunt Spiritus hominis, nisi Spiritus hominis, qui est in eo. hinc fit, vt dum in cre-

dente est Spiritus Dei, & Spiritus hominis; iubeatur credenti, vt sequatur in omnibus Spiritum Dei: atque Spiritus hominis, subijciatur Spiritui Dei; & mortificetur, vt Spiritui Dei pareat. Et hæc multis verbis propè vbi que tractat Paulus, & disputat de duplici Adamo veteri, & nouo: de pugna carnis, & Spiritus, de prudentia carnis, & Spiritus. vbi in carne, & prudentia carnis cognoscimus Spiritum hominis: in Spiritu qui contra illū pugnat, Spiritum Dei. Per illa autem, quæ interpretati sumus in Adamo creato ad imaginem, & similitudinem Dei, patet & in Adamo, & Eua fuisse eundem Spiritum, quem memorat Paulus Dei, & Christi Iesu. qui Spiritus fuit illis expositus in promissione de semine conterente caput serpentis. quod significauit se intellexisse Eua, quando dixit, se acquisisse virum Iehoua.

Homo iam donatus Spiritu Dei, & non priuatus Spiritu suo, iubetur sequi Spiritum Dei donatum: & vt huic Spiritui subijciatur, & pareat, vt vitam obtineat æternam. Et hinc apparet esse idem pactum, quod fuit cum Adamo, & omnibus Patribus. vt licet cognoscere, si percurrantur omnes libri Sacri. in quibus vbi que eadem conditione, & pacto promittitur salus. Rem vero ipsam proponemus hic tantum in his, qui crediderunt Euangelio. quod idem intelligendum quoque sit in Patribus, & in Adamo viuificato in promissione de semine Sancto. Dū gentes deductæ sunt in Ecclesiam Christi per prædicationem Euangelicam: dum nos per eandem nunc nobis repetitam, debuimus obedire Euangelio, seruare præcepta. Hic liberum est nobis sequi Spiritum Christi, ac ei obedire: item sequi nostrum, dum pugna adest. Et quidam sequuntur quidem Spiritum Christi, & parent Euangelio: quidam gaudent se ductos in Paradisum Ecclesie Christi, donatos Spiritu Christi, per quem crediderunt.

derunt. verum dum agitur siue de honore, siue de diuitijs, & commodis vitæ; siue de voluptatibus, & alijs humanis, sunt, qui sequuntur magis suum Spiritum, quam Spiritum Christi. Et si adducenda sit in experimentum eorum Fides, paulo negotio deficiunt. Præter hæc autem, & alia mala, illud est maximum, quod multi abutuntur facultatib⁹ sibi datis per Spiritum Christi tanquã sint suæ, & non donatæ. in his gloriantur: per has volunt omnia assequi, omnia sibi tribui. & tunc ingrati inueniuntur in Deum, dum quæ sunt Dei, sibi tribuunt: ac volunt suo Marte se consequi omnia: suntque iniuriosi in proximum variè, & multis modis. Sunt qui non attendunt, dum Spiritus hominis insurgit contra Spiritum Christi, vt precibus obtinere debeant, ne vincantur. Id enim oportet fieri, si nosce debemus auxilio Dei, & opere sui Spiritus nos perseveraturos Dei filios, qui eius bona possideamus. Vt iam, hæc pateant, non nisi Dei opere nos perseveraturos in omni bono opere, & in via Domini: atque patefiant non veri amatores Dei, qui magis volunt obedire suis cupiditatibus, quàm Dei voluntati; pacto hoc proponitur dari vita æterna, vt seruentur præcepta Euangelica.

Si iam, vt & superiora repetamus, ipse est solus Deus, in quo persistimus viuere, moueri, & agere: perseveramus in omni bono, opere, & in vita, quod bonitate eius, & Spiritu eius nunquam destituamur, etiam in his, quæ sunt æternæ vitæ; cur non velit Deus hæc esse aperta? cur homo, & Angelus intelligentia, & magnis facultatibus à Deo præditus; sibi tribuit scientiam boni, & mali, facultates agendi, & bona obtinendi? cur inquam & hæc non faciet aperta Deus? Si verò ingratus homo adhuc insultet. sibi vendicet quæ sunt Dei: non se gerat, vt filius Dei; sed vt Deus: veniat contra Deum, & cul-

tores Dei: non sentiat se esse hominem cum hominibus: non filium Dei ex Dei familia cum filijs Dei: non fratrem fratrum; sed Dominum, & tyrannum, an non debet Deus hæc prospicere? Vidit verò Deus, qui cuncta videt, & in æternū futura habet ante se, vt Angelos malos, ita homines hæc acturos in cursu temporum: hinc dicebat Christus. nouerat enim à principio Iesus, quinam essent credentes, & quinam proditurus esset eum. vidit quæ acturus esset Cain, & Abel: quæ reliqui ante diluuium: quæ semen Abrahæ, quæ Israëlitæ parentes Legi Dei in Circumcisione, quæ ab ea deficientes: quæ mali Reges, & populus: quæ Iudæi contra Christū, quæ ei credentes: quæ deinceps in populo Christiano Fidem Christi retinentes, & quæ ab ea deficientes. vidit, quæ hac nostra ætate fiunt, & quæ futura sunt, quando opera omnium ventura sunt in Iudicium. Vidit inquam Deus cor malignum in primo transgressore, & in omnibus, qui ex eo nati sunt in cursu temporum: quomodo vnacumque gens vsa sit corde maligno: quantū semen malum seminatum in corde Adam: creuerit vsque ad hoc tempus Iudicij. quando ait Oseas cap. 6. transgressi sunt homines sicut Adam. Si iam vidit Deus hæc futura; cur (vt dicebam) non debuit prospexisse? Si voluit ob magnam eius charitatem reuocare nos a morte ad vitam, cur non debuit ea ratione agere, vt eius beneficium cognosceretur, & mala iusto Iudicio punirentur? Ab initio proposuit, & exposuit Deus suum Iudicium, quod deinceps semper vsque ad hæc tempora repetitum fuit, & nunc maximè repetitur. vbi nemo conqueri de Deo potest; nemo exultationem peccati afferre debet.

Propositis his omnibus, agamus iam causam ipsam contra eos, qui causam peccati in Deum referunt. Si per liberam optionem datam homini patuit opus Dei in homine,

mine, in Angelis, & in omnibus creaturis: patuit beneficium Dei in hominem de salute, ac de vita donata æterna; annon debuit illam homini proponere, vt sua bonitas patefieret? annon homines volunt, vt suum beneficium cognoscatur, dum à morte aliquem liberant: dum commoda & salutaria præstant, volunt ne, vt benemeritum contra se veniat? Pater num vult, vt filius recognoscat à se vitam, & omnia bona, quæ ei contingunt? Si amicus amicum, qui se subleuauerit à malis, non recognoscit, quomodo ab amico subleuabitur? Si filius patrem non recognoscit patrem, num erit dignus, vt exhæredetur? Si Deus est, qui dat Spiritum bonum, cur non petemus ab eo, vt det bonum Spiritum, quem sequamur, & non nostrum? Dum amicus non recognoscit beneficium amici, dum filius se patrem facit, & Dominum contempto patre, an non facit amicus, & pater, vt vterque recognoscat se egere subsidio, & bono, quod sibi administratur? Ergo Deus non similiter debet adducere hominem in eam mentem, vt certò sciat, sine Deo se non posse agere, & obtinere illa, quæ sunt æternæ vitæ? Si Deus est Pater omnium, cur nostram, & non potius ipsius voluntatem sequemur? Si hæreditas ab eo expectanda est, cur eam nos nobis præripiemus? Est verò illud discrimen inter Patrem coelestem, & terrenum, quòd terrenus post generationem nihil agit in filio, non est in filio. at Pater Cœlestis suo Spiritu est in omnibus filiis viuificante ipsos in omnes bonas cogitationes, & opera, & in æternam vitam. Quamobrem Deus Pater Omnipotens, & Iustus, & Misericors videtur debuisse constituitere hominem in ea libertate, quam nouimus, non solum vt pateret veritas eorum, quæ agit Deus in homine, & præstat homini: item quid sit homo per se, nisi Deus in se agat; sed etiam vt homo posset discere, vnde petendum.

IAC. BROCARDI IN IIII. CAP. GEN.
tendum sit bonum, & inde peteret semper efflagitando à
Deo Spiritum bonum. Quòd verò in ea libertate pec-
carit homo, & peccet; id non Deo est tribuendum; sed
homini. Dedit Deus præceptum, dedit Spiritum suum,
non abstulit Deus Spiritum hominis. voluit, vt Spiritus
hominis sequeretur Spiritum suum. Si iam homo con-
tra voluit, & vult: voluit sua facultate, & virtute scire bo-
num, & malum. Si voluit loco Dei esse, & præscribere
tanquam Deus alijs: gerere se non vt frater inter fratres;
sed primas tenere inter alios; appetere Regna, Imperia,
& Principatus vi, & internitione hominũ, vt vidimus ho-
mines fecisse hætenus ducto initio à Cain; hæc noluit
Deus, atque pœnas in hos constituit. Vidimus præte-
rea generatim quomodo omnes conati simus præstare
alijs diuitijs, & opibus; honore, & dignitate: quæ con-
tentio fuerit, vt quisque ingenio, prudentia, & sapientia
videretur præire alijs, vt fratres nos esse inter nos non
cognouerimus. quasi unus Pater non esset omnib⁹ nobis.
quisq; suam familiam extulerit: & talia, quibus nec De-
um, nec fratres cognouerimus. vt dum non cognouim⁹,
nec dileximus fratres, non visi simus filij Dei, non dile-
xisse Deum, non diligendo eius filios. Hæc noluit, nec
vult Deus; sed contraria. Si autem vult contraria, ergo
non est ipse causa peccati. Monuit Adamum, ne ederet
deligno vetito, ne moreretur. Si decreuerat Deus ut
peccaret, quomodo monuit, ne peccaret? Si fuit causa
Deus, cur quod facit Deus, prohibet Deus? Si fuit cau-
sa Deus, & decreto Dei peccauit, quomodo fuit in liber-
tate constitutus? Si Lex, & Magistratus iubet, ne occida-
tur homo, ne quis furetur; ac horum scelerũ sit vindex;
aget ne deinde ipse, ut homo occidat hominem, ut ho-
mo furetur, quæ sunt alterius? obijciamus hoc Magistra-
tui, & sentiemus tunc reprehensionẽ acrem, & pœnam.
Dixit

Dixerat Deus Cain, qui videretur non fuisse ita Deo acceptus, ut frater; cur indignaris, & concidit vultus tuus? nōne si benè egeris, suscipieris à me; sin malè, in foribus peccatum tuum cubat. Ecce libertas, in qua constitutus est homo. Si non est libertas, quomodo opto datur ad bonum, & ad malum? Si dicas, quòd ad malum feratur homo, quia Deus non prohibeat: ergo si debuisset prohibere, non fuisset libertas. Si aliter causam in Deum referas, contra ait Deus; sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis ei. Ecce quòd in cupiditatem hominis refertur peccatum, quam cognoscere debuit homo, ac facere, ut pateret Spiritui, vt monet Paulus inquiens, Spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis. Si iam tu dicas, esse magnam in homine pugnam Spiritus Dei, & Spiritus hominis, siue carnis, de qua re disputat Paulus; id non negatur: sed id concessum esse debet, Spiritum hominis Spiritui Dei debere subijci. Si verò istes, infirmitatem esse in homine, rectè id quidem dicitur: & id vult Deus vt cognoscas, & fateare: atque à se noscas victoriam certaminis: auxilium semper à se petas, vt Spiritum bonum, quem dedit, augeat in te, ut vincat in te. ab ipso bonum, quod peracturus es, recognoscas: eius gratiam, & Misericordiam implores: fidas promissioni de semine conterente caput serpentis, & vim cupiditatis, & peccati, quod est in te, quodq; suxisti à Diabolo, à parentibus, à tuis cupiditatibus. atq; ita vinces, & suscipieris à Deo. In his apparet, hominem esse sibi causam peccati, & Deum authorem, vt ab homine amoueat peccatum; qui & concupiscentiæ nostræ, quæ sit radix peccati per præceptum adhibuit frænum.

Si adhuc istes, Deum omnia præuidisse, & prædestinasse, & idcirco decreuisse de peccato hominis; nos fatemur etiam decreuisse, vt cum omnia crearet, quæ essent

IAC. BROCARDI IN IIII. CAP. GEN.
habitura omnem suam perfectionē in se ipso solo Deo,
etiam statuisse, & decreuisse, vt homo, & Angelus prædi-
ti intelligentia, id intelligerent, & sentirent. quos per
liberum arbitrium inducturus esset in eam cognitionē,
vt sentirent, se non posse quæ ad salutem pertinent, con-
sequi, nisi per ipsum. Qui iam Deo auscultarunt, cre-
diderunt, cum inuocarunt. Spiritum etiam datum secu-
ti sunt, vt Deo credere, & obedire perseuerarent, dicti
sunt à Sanctis prædestinati. qui autem suam prudenti-
am, & sensum, & cupiditatem sequi voluerunt, ac Deo
non obedire, præsciti. Quare dum memoratur præde-
stinatio, in his, quæ sunt Sanctorū, memoratur, non au-
tem in his, quæ sunt malorum. vt patet cap. 8. Rom: &
cap. 1. & 2. Eph: de præscitis ait Christus, ab initio se
sciuisse, quinam se proditurus esset. Quantum ad pec-
catum attinet, non fuit illud tributum prædestinationi
Dei; sed inobedienciæ hominis, vt ait Paulus, per inobe-
dientiam peccatum fuisse ingressum in mundum, & per
peccatum mortem. tribuit illud Deus cupiditati in Ca-
in, & in omnibus hominibus, dum cupiscentiam prohi-
bet. In Osea: 13. ait Christus, perditio tua Israël, seu per-
didit te (iniquitas tua) sed in me auxilium tuum. Si
iam inde plures damnati sunt, id cognoscitur euenire ex
infirmirate hominis sine Deo, & quòd quæ hominis sunt,
homo sibi tribuat. sua cupiditate velit omnia agere, non
secundum Legem Dei, tanquam non sit filius Dei, non
sub disciplina Dei; sed sub sua. Et quoniam est Hypo-
critis multa abscondita in hominibus, illam conspicit
Deus, & arguit in his, qui offerunt sacrificia Cain, &
Caiphaica. Si istes iterum, Deum non debuisset relin-
quere hominem in sua libertate; aut debuisset aliter oc-
currere, ne peccaret; iterum dicam, ita non patuisset o-
pus Dei in beatitudine data hominibus, & Angelis: nec
eius

eius gloria in Misericordia præstita opus Dei in se cognoscentibus; nec in condemnatione recusantium illam cognoscere, Iudicium. Si iam in Dei gloriam hæc acta sunt, vt disputat Paulus; quis est homo, qui respondeat Deo? & hic audiatur Paulus. Quod vero urgent aliqui illud, indurabo cor Pharaonis, & alia similia: item illud. Iacob dilexi, Esaü autem odio habui. de Pharaone constat ipsum interfecisse populum Dei, & habuisse sua peccata, ex quibus iam iudicatus esset. vnde peccata in illo fuerunt poena peccati. vt significat Paulus de talibus cap. primo. Rom: Et Augustinus ait. non fuisse ibi Dei peccatum; sed Iudicium. De Pharaone iam, & de similibus illud Augustini sit responsum. Indurare dicitur Deus quorundum corda, sicut de Pharaone scriptum est. non quod Omnipotens Deus per potentiam suam corda eorum induret quod est impium ita credere; sed exigentibus eorum culpis, cum duritiam cordis, quam sibi ipsi mala perpatrando nutriunt, non aufert. quasi ipse eos induret, quia iusto Iudicio indurati sint. De Iacob autem, & Esaü, quod dictum sit, antequam nati sint, antequam aliquid boni aut mali egissent, Iacob dilexi, Esaü autem odio habui, ad idem redimus. voluit Deus in contrarijs opus suum in beando homine cognosci, quod ipse solus fit, qui agat, & operetur salutem in his, qui saluantur. vt pateat non ex operibus nostris; sed Dei Misericordia nos esse saluos: & quæ sapimus, & bene operamur, opus esse Dei in nobis. Deinde hic significatur Iudicium Dei occultum, quod fuit ab initio: quodq; dicitur. 4. Esd: 5. 4 2. assimilatum coronæ. quia quod iudicaturus fuit Deus in nouissimis temporibus, iudicauit ab initio: & quod ab initio, id & postremo tempore. nouit enim Iesus ab initio, quinam essent credituri in ipsum, & qui prodituri ipsum. Et cum de genitis in Veri-

IAC. BROCARDI IN IIII. CAP. GEN.
tate nemo fuerit, qui non impiè gesserit; & de confitentibus, qui non deliquerit: & hoc præsciuerit Deus ab initio; in idem Iudicium adducti sunt omnes, qui sicut Adam peccaturi erant. Si iam in Adamo omnes eramus iudicati, & morti addicti ob peccata. Si voluit Deus ostendere, & præstare Misericordiam suam in Iacobo, liberando eum à damnatione, non autem in Esaii, quis exigat causam à Deo, aut iniquū iudicabit quid in Deo, si in homine id non reprehenditur, qui agat, vt lubet in his, in quæ habet potestatem sine iniuria? Verbi causa ob peccata duos adiudicauit rex morti, idque secundum Legem. habet verò antidotum veneni, cuius vult experiri vires: dat venenum vtrique, deinde dat uni antidotū, alteri non dat, quid habet is, cui non est exhibitū, quòd queratur si sibi non sit, vt alteri, exhibitum? Si autem sunt alia in Deo occulta, ad quæ non pertingat homo, quid efferet se super Altissimum? constat quidem esse peccatum in homine, propter quod damnetur: constat & in Deo esse Misericordiam, qua homo à damnatione peccati liberetur. Secundum hæc, quæ hic exposui, inuenientur patres sensisse, & scripsisse de his, quæ dicta sunt à Paulo de Iacobo, & Esaii. Vt verò Euangelium æternum intueamur, cum omnes conclusi simus sub peccato, ac morti addicti: velit autem Deus hoc patefieri, vt eius Misericordia pateat in condonatione peccati: & gratia in liberatione ab æterna morte; promulgat promissionem suam, & Euangelium æternum, vt qui se audierint, Misericordiam susceperint, gratiam nouerint; ob hæc se dilexerint, Fide sibi adhæserint; liberentur à peccato; fiant filij Dei, qui ipsius bona in æternum possideant; sint tales, vt filius prodigus, qui noto peccato redeat ad Misericordiam patris: qui autem persistunt in malo, ac Spiritum malum perstant sequi, & odisse, quæ vult
Deus,

Deus, perseverat in his condemnatio. Iudicium assimilatum est coronæ, vt diximus: nam quod Iudicium visuri sumus postremo tempore, idem Iudicium proposuit, & exposuit Deus initio: atque initio peccata omnia futurorum, & Fides fuerunt præsentia Deo, & occulta cordium omnium. Vbi de occulta Dei electione, quæ est libera, & sine iniuria apud ipsum, non potest esse conquestio: vti in figulo, qui etiam in ignominiam facit vasa: nemo enim mortalium est, qui non sit transgressus, vt Adam, & qui non venerit in eandem condemnationem. Hæc ergo relinquentes nos, qui libenter audimus promissiones Dei, ac eas Fide complectimur, sequamur cõsiliu[m] Angeli qui 4. Esd: 9. 3. jubet ne simus curiosi, quomodo impij perdantur; sed quomodo iusti saluentur: & cap. 8. 55. ait. Noli ergo adijcere inquirendo de multitudine eorum, qui pereunt: nam & ipsi accipientes libertatem, spreuerunt Altissimum, ac Legem eius contempserunt, vias eius dereliquerunt, & quæ sequuntur. Hæc debemus intueri nos, quæ ibi narrantur, quæque vidimus, & videmus in his, qui pereunt: & contra intueri eos, qui saluantur, atque in his simus curiosi, vt similiter, & pariter cum ipsis salui simus. Ait Paulus, diligentibus Deum omnia cooperari in bonum his, qui secundu[m] propositum vocati sunt. Sciuit Iesus ab initio, qui essent credituri in se, & qui se prodituri. Et in Lege ait Deus, se punire peccata odio se prosequentium; atque Misericordiam suam declarare in eos, qui se diligant. Ergo dum damnantur peccata, ita vt non sit venia; damnantur in his, qui Deum non audiunt, Misericordiam contemnunt, clementiam non agnoscunt, Deo non credunt, ei non fidunt: suum ipsorum Spiritum, & cupiditatem malunt sequi, quam Dei voluntatem, & præcepta.

Quod verò causa peccati non debeat in Deu[m] trans-

IAC. BROCARDI IN IIII. CAP. GEN.
ferri, vidimus antè in his, quæ diximus de Adamo, &
de Cain: videamus item tempore Iudicij, an in Deum re-
ferri possit. Prædicatur iterum Euangelium in secundo
Aduentu Domini tempore Iudicij. Si Deus dilexisset
mortem peccatoris, an non tempore Iudicij, cum om-
nes peccauissemus, & ne vnus quidem inuentus fuerit,
qui non peccarit; potuit justè Deus condemnare nos om-
nes, potuit, & non injustè fecisset, dum pactis cum eo pe-
ratis in Baptismo non perstitissemus. Verùm Deus Mi-
sericors promulgat iterum suum Euangelium vniuerso
generi humano, dum in populo suo illud prædicatur, &
inculcatur. tunc quidam Misericordiam eius intuentes,
ad eius amorem incenduntur, ei credunt. dum verò ad-
ducuntur in experimentum, quidam in Fide perseverant;
sustinent incommoda, & afflictiones, & mortem, vt sint
Christi. quidam mortem, afflictiones, & incommoda nõ
sustinentes, dum diu perseverant, deficiunt. Sunt &
plurimi, dum Spiritum sibi communicatum non sequun-
tur; Sed suam carnem: ac diuitias, honores, & superbi-
am vitæ adamantes, imitantur alios Fide destitutos, ac
Dei osiores. Dum autem in hoc statu nunc inueniun-
tur homines, vt post prædicatum Euangelium homines
fiant deteriores; se mutuo oderint, dissidia pariant; De-
um non audiant; quisque idolum suæ mentis sequi ve-
lit obstinatè; & vt rem ipsam breui dicam; sint Deo re-
belles ita, vt queritur Deus ipse cap. 2. Ezechielis; di-
cemus ne Deum esse causam horum, & aliorum peccato-
rum? nequaquam id dici potest. quia vt de Papistis aga-
mus, cap. 4. Ieremiæ ita alloquitur eos Deus. Si reuer-
sus fueris Israël, dicit Dominus ad me, quiesces. & si ab-
stuleris abominationes tuas à facie mea, non demigra-
bis, & quæ sequuntur. Ibi monet Deus Principes Papi-
stas, & alios, vt ad se redeant, antequam adsit poena,
quæ

quæ iam iam adierit ad Deum se non conuertentibus.
 cap. 58. Isaia sunt eadem monita. in ipso tempore in-
 stantis poenæ adhuc monentur cap. 2. Sophonia. & 13.
 ib. Ier: Capite aut. 3. & 18. & 33. Ezechielis monet a-
 pertè Deus, vt monuit Cain, se non esse causam pecca-
 ti. & loquitur tam impijs, quàm his, qui pietatem pro-
 fessi sunt: atq; clamat, dum cœpit punire orbem, se nol-
 le mortem peccatoris, & impij, nedum iusti; sed vt om-
 nes conuertantur ad se, & saluentur. clamat inquã cap. 3.
 dum cœpit percutere virga ferrea: clamat quando per-
 cussi sunt multi cap: 18. & progreditur virga triturare
 populos. clamat cap. 33. vrgente, seu instãte magna per-
 turbatione, & Iudicio vallis Iosaphat inculcat prædica-
 tionem Euangelicam, repetit promissiones factas popu-
 lo suo præteritis temporibus, quas sit nunc præstiturus:
 addit promissiones his, qui nunc poenitentes ad se vene-
 rint: simul vt mitis Pater hortatur omnes, vt desistant à
 peccatis, ad ipsum se conuertant. non excipit quẽquam:
 clamat, Is. 45. respicite ad me omnes fines terræ & salui
 eritis. ad se conuersos hortatur, vt persistant in suscepta
 Fide, & iustitia. nec dicant. hic est prædestinatus, ille nõ
 est prædestinatus. quisque existimet se prædestinatum,
 dum conuersus ad Deum, non diffusus fuent de eius Mi-
 sericordia, Spiritum eius bonum petierit. audierit Pe-
 trum, qui ait. Satagite, vt per bona opera certam facia-
 tis vocationem vestram: audierit Paulum, qui ait. Spi-
 ritu ambulate, & desideria carnis non perficietis. non au-
 tem in Deum referantur peccata. in Deum inquã non
 referantur peccata, qui clamat. nolo mortem peccato-
 ris, seu impij; sed magis, vt conuertatur, & viuat. si esset
 causa peccati in aliquo, vellet & eius mortem. Si non
 vult eius mortem, non vult quoque eius peccatum, pro-
 pter quod extat mors. verùm quia vult, vt viuat, non au-
 te. n

tem vt moriatur; petit vt redeant impij, & peccantes ab impietate, & à peccatis, ne moriatur. non dicat quis se prædestinatum ad mortem. Audiatur Augustinum, qui ait prædestinationem esse præparationem ad gratiam, & ad bonum: nec iustus dicat se prædestinatum ad mortem, dum recesserit à iustitia, & perseverauerit iniuste agere. Si recessit, & reuocauerit se in viam Domini, inueniet veniam, vt est promissio, quòd quotiescunque peccator ingemuerit, & conuersus fuerit, ignoscetur ei. Purgat iam in illis tribus capitibus Ezechielis se Deus, quòd ipse non prædestinet ad mortem, nec sit causa peccati, nec in hoc, nec in illo, inquit. Anima quæ peccauerit, ipsa morietur, iustitia iusti super eum erit, & impietas impij supra eum erit. Impius si auersus fuerit ab omnibus peccatis suis, quæ fecit; & custodierit omnia præcepta mea; feceritque iudicium, & iustitiam; viuendo viuet, & non morietur. Instat, & vrget Deus adhuc, se non esse causam peccati, addens. Nunquid desiderando desidero, vt moriatur impius, an non si auersus fuerit à vijs suis, viuet? De iusto autem ait, Si auersus fuerit iustus à via sua, & fecerit iniquitatem secundum omnes abominationes, quas fecit impius, viuet? Omnes iustitiæ, quas fecit, non memorabuntur, propter præuaricationes suas, quas præuaricatus est; & propter peccatum suum, quo peccauit, morietur. Qui aliter sentiunt, pronuntiantur ibi iniqui, non autem iniquus Deus, qui non vult mortem peccatoris; sed vt conuertatur, & desistat à peccatis: nam Deus dicitur non delectari morte viuentium: ac odisse eum, qui diligit iniquitatem. mundus oculis dicitur Deus, vt non videat malum, & aspiciat prauitatem. non est Deus, qui velit iniquitatem: dixit iniquis, ne iniquè agant, & delinquentibus ne attollant cornu: indignatur his, qui Malach. 3. dicunt beatos superbè

perbè agentes, & eos, qui tentant Deum mala agentes. Dat suam Legem Deus, vt caueatur malum, & fiat bonum. Hæc ita agit Deus, vti qui est iustus, & bonus; ita etiam appareat, & vincat cùm iudicatur, dum iuste iudicat secundum opera cuiusq; appareat id, quod est, Misericors in omnes, qui resipiscunt, & ad se, ac ad suam iustitiam redeunt. Et ita disposuit suum Iudicium Deus, vt cognoscatur ipse verus Deus, qui operatur ipse salutem in omnibus, & seruat omnes in perfecto statu: item vt sciant, qui seruantur, ac in statu salutis perpetuo retinentur, vnde id consequantur. non in se ipsis, sed in eo, qui se creauit, vt initio dictum est. Idcirco datum est præceptum, & constitutus homo in libertate sui arbitrii, vt per præceptum pateret, quinam diligerent, & odissent Deum: qui eum Patrem cognoscerent; & qui Abolones locum Dei Patris appetentes se Patres facerent, & Deos vt Antichristi. vt illi obtineret vti filij Dei æternum Regnum; hi eo priuarentur; atque ad Satan, quem audierunt, pellerentur. De his Ecclesiasticus cap. 15. à versu. 10. vsque ad finem capitis scite monuit, qui etiam erit audiendus.

Illud videtur adhuc addendum, quoddam dici, quod Deo non possit conuenire, dum dicitur causa peccati. quia qui est causa peccati, videtur venire in culpam peccati. in culpa est iniustitia, & quod puniendum videatur. & hæc non possunt cadere in Deum, ergo nec peccatum, nec causa peccati. contra dicitur Deus Bonus, Iustus, æquus, Vindex peccatorum, cuius oculi mundi sint, ne videant malum. qui oderit peccata. & talia. Vnde alienum erit à Deo, vt quidquam sibi tribuatur, quod sit peccati. Si autem dicatur Deus diuidere tenebras, & disponere eas, quod peccatum fuerit in omnibus hominibus, & perseuerauerint peccare homines; Deus autem non

permittat eos voluntate, & opere progredi ultra, & præterquam ipse voluerit; non dicendum erit, Deum esse causam peccati. quia peccatum iam fuit hominis, non verò erit hominis, vt quantum velit, & quocumque velit, progrediatur peccando. sed quemadmodum à Deo permittetur, vt suum Iudicium iustum perficiatur, dum peccata fiunt pœna peccatorum; dum voluntates inclinantur in peccatoribus in peccatis obduratis. item in pijs viris ad id, quod ipsi Deo videbitur ad Iudicium suum semper iustum perficiendum, quamuis nobis occultum siue ad pœnam impiorum, siue ad salutem piorum, siue ad opus Dei, & ad gloriam eius declarandam; id semper manens, quòd Deus sit iustus, nec vlla iniustitia possit esse apud ipsum. Et de his patres multa scripserunt, quos videmur debere sequi: atque in his, quæ sunt Dei, non debemus inducere voces, & sermones in populum Dei non vsitatos. quod dum fit, sæpe multi errores, & cõtentiones inducuntur. vti dum vsurpata est illa locutio de corpore Christi edendo. quod ne semel quidem inuenitur dictum in literis Apostolicis; tot extiterunt concertationes, quas vidimus, & videmus. ita dum dictus est Deus diuidere, & distribuere tenebras: indurare cor Pharaonis elegisse Iacob, non Esau, & talia multa, nunquam tamen dictum est, Deum fuisse causam peccati. hoc enim dum non est dictum, etiam dum dicitur, videtur quoddam dici, quod refugiat audire humanus sensus. Vnde multi pij, & simplices horrent, quando audiunt proferri ab aliquo. Mala præterea videmus consecuta ex illa doctrina non pauca. vt desperatio, vt licentia peccandi, vt dissipatio Ecclesiæ, & disiunctio credentium inter se.

Quòd verò aliquis ex his, qui tractant Verbum Dei, dixerit, hominem non posse saluari, ni credat, Deum esse

esse causam peccati, & prædestinationem esse ad bonū, & ad malum; hoc etiam videtur quoddam admirabile. quia sub Circumcisione, & Baptismo multa ignorauit populus, quæ tenuerunt doctores, & tamen in Fide, & obseruatione præceptorum Dei sunt saluati. Et semper fuit discriminē inter sacerdotes peritos Legis, & inter populum, quod illi doctrinam Diuini Verbi magis tenuerint, & quæ Dei sunt nouerint, quàm iste. Et sacerdotes, & doctores multi sub Lege, non tenuerunt multa, quæ nouerunt alij sub Baptismo. atque ita Deus videtur aperuisse, quæ sunt mysteriorum, & maioris doctrinæ in populo suo certis quibusdam gradibus. vt in Circumcisione fuerint homines sub pedagogo, in Baptismo sub magno doctore. & adhuc plura, & magna expectantur, dum dicuntur libri aperiendi. Quamobrem saluati sunt homines in Fide, & obseruatione præceptorum, quamuis altiora non nouerint. In Euangelio pariter salus promissa est credentibus, & obseruantibus præcepta Christi. Et ita promittitur salus populo non quæ sunt maioris sapientiæ tenenti, & in quotidiano opere versanti manuum, nec ad altiora pertingenti. Eadem salus promittitur in morte. Vnde certa proposita sunt generatim toto populo credenda. atque Lege vna communi saluandi, & condemnandi sunt omnes & docti, & indocti. vt qui crediderint, & præcepta seruarint, saluentur. qui contra egerint, condemnentur. non majori, & minori sapientiæ, & doctrinæ sunt hæc proposita. Paulus loquebatur sapientiam inter perfectos, qui sciebat plura, quàm multi alij, qui saluabantur. Non omnes sunt Apostoli, non omnes Prophetæ, non omnes Doctores, & tamen credentes, & piè viuentes saluantur omnes. Monet & vt alia, ita cognitionem aliquando aboleri, vt vidimus euenisse sæpe, & sub Lege, & sub Euangelio: tamen charitas semper

per fuit, qua Deo credebatur, & obediebatur in obseruatione præceptorum. Et hæc charitas exigitur in nobis tempore Iudicij, non major quædã doctrina, quam suam requirunt aliqui in nobis, qui volunt, vt in ipsorũ carne gloriemur. Et hîc ego audio, quod loquitur nobis omnibus Deus cap. 9. Ieremiæ. Non gloriatur sapiens in Sapiencia sua, nec potens in Potentia sua, nec diues in diuitijs suis. Sed in hoc gloriatur, qui gloriatur, quòd sciat, & noscat me, qui facio Misericordiam, & Iudicium, & iustitiam in terra. hæc enim placent mihi. Quantum verò ad scientiam, & Sapienciam magnam attinet, Sapientes in veteri Lege ita docuerunt. Iob. 28. 28. En timor Dei est Sapiencia, & recedere à malo intelligentia. Ecclesiastes. 12. 13. Deum time, & mandata eius custodi. quia hoc est omnis homo. Adijciamus iam conclusionem de peccato, & de prædestinatione, quòd Deus nõ sit causa peccati, neque prædestinauerit ad peccandum. Sitque Fulgentius in libro primo ad Monimum, qui rem concludat, non autem nos. ait enim. Scimus, quòd ille apparuit, vt peccata tolleret. & peccatum in eo non est. Sicut ergo peccatum in eo non est, ita peccatum ex eo non est. Quod autem ex eo non est, opus eius itaq; non est. Quod autem nusquam est in opere eius, nusquam fuit in prædestinatione eius.

Concludemus & illud. Non idcirco credentes omnes in Christum non futuros saluos, quòd non nouerint omninò mysterium prædestinationis. Anno 1584. mense Aprilis incidit in librum, in quo improbabantur contentiones importunæ hominum nostrorum temporum. vt quæ sunt de prædestinatione, de Vbiquitate, de præsentia corporis Christi in pane, de Substantia peccati ac de alijs inductis ad diuisionem Ecclesiæ, & descriptionem; dum tamen inter eos conuenit. nos esse prædestinatos

natos in adoptionem filiorum Dei, justificationem haberi gratia, & Misericordia Dei per mortem Christi, atque in sanguine eius effuso nos esse ablutos à peccatis nostris: dum in Cœna omnes id recognoscimus, pro eo gratias Deo simul perpetuò agimus: dum in illa quisque particeps factus Christi, sentit se membrum corporis Christi, cum omnibus credentibus se venire in corpus Christi ut diligat omnes fideles, ut se ipsum, & cum omnibus fidelibus Christum caput salutis, & vitæ omnium. Itaque in Christo accessum habeat ad Deum Patrem, à quo suscipiantur eius preces, & apud quæ æterna fructurus sit vita. Hæc necessaria sunt ad salutem, ut æquè sentiantur, & cognoscantur ab omnibus. quæ dum adsunt in vnoquoque nostrum: quæque nobis sunt proposita à Christo, & ab Apostolis; non debet quis dissidium querere, ubi est pax, inducendo illa, quæ sæpe ille, qui asserit, parum intelligit. Quæ autem legi in eo libro, hæc sunt. Atque utinam his temporibus audiatur B. Augustinus, qui pios quosdam, & Religiosos viros de prædestinationis mysterio non satis inter se conuenientes, his verbis commonefacit. Nuntiatum est mihi de vobis fratres ab aliquibus, qui in vestra congregatione sunt, & ad nos inde venerunt, quòd de hac re dissensiones in vobis sunt. Itaque dilectissimi, ne vos perturbet huius quæstionis obscuritas, moneo vos primum, ut de his, quæ intelligitis, agatis Deo gratias. Quicquid est autem, quòd peruenire nondum potest vestræ mentis intentio, pacem inter vos, & charitatem seruantes, à Domino ut intelligatis orate: & donec res ipsa perducatur ad ea, quæ nondum intelligitis, ibi ambulate, quòd peruenire potuistis. Hæc monet Apostolus, qui cum dixisset se nondum esse perfectum, paulo post ait. Quotquotque ergo perfecti sumus, hoc sapiam. id est. ita nos esse perfectos,

fectos, vt nondum ad perfectionem, quæ nobis sufficit, venerimus. continuoque subiunxit. Et si quid aliter sapitis, hoc quoque Deus reuelabit. veruntamen in quod peruenimus, in eo ambulemus. Hoc monitum Augustini, & Pauli audiamus omnes, dum adest Iudiciũ, quando requiritur Charitas: adest Christus, qui solus erit audiendus in suis concilijs in Fide, in Charitate, in precibus perseueremus, vt possimus consistere ante filium hominis. & dicamus omnes. Delicta quis intelligit? ab occultis munda me Domine. His expositis dum agitur de Cain, ac de eius posteris, redeamus ad semen Sanctum.

25. Cognouit quoque Adam uxorem suam, & peperit filium, & vocauit nomen eius Seth (dicens) quia posuit mihi Deus semen aliud pro Abel, quem occidit Cain. Deceuit, ac statuit Deus restaurare semen Abel in Seth: vt restaurauit illud alijs ætatibus, & præsertim in Christo, quando omnia alia expectabant Schribæ, & Pharisei. Babelistæ conati sunt extinguere semen promissum & cultores Dei, item Pharaos, item Philistæi, & Cananæi, & populi alij, & Reges plurimi, Afsyrij, Babylonij, ille superbus Antiochus: Iudæi, qui Christum negarunt: Imperatores Romani, sed nihil effecerunt; sed magis auctus est populus Dei. Papistæ hoc tempore quantam stragem fecerint Euangelicorum, & quas cædes vniuersales, historiarum docent, & nos præsentis nouimus, verum semper in maiorem numerum restituti sunt Euangelici.

Et Seth quoque ipsi natus est filius, & vocauit nomen eius Enos. tunc captum est inuocari nomen Domini: Videtur signari in restaurato, & aucto semine fidelium inuitis Tyrannis, & Carnitis, coli nomen Christi, propter quem tanta strages fuit martyrum: idque significari omnibus

nibus temporibus, vt diximus in superiori versu. Et hic fatiſ fit hæc dixiſſe de Seth & Enos qui opponuntur Cainiſ, quando cultus Dei, & Verbum eius prædicabatur. quod videretur fuiſſe factum in familia Seth, quæ fuit in Enoſo: vt Enos fuerit primus prædicator ex octo, quos fuiſſe ait Petrus tempore puſci mundi. In quinto capite aliquid adhuc dicemus. Illud tantum addam, quendâ Chriſtianum, qui fuit Hebræus, mihi dixiſſe in verbis illiſ Beſchen Iehoua ſignificari literam Schin in medio verbi Iehoua interponendâ: vt ſit Iehoſcuha qui ſit Meſſiaſ: vt Beth ponatur pro in: Schin ferat in ſe tria Iod, quæ ponuntur pro Iehoua. Mem ponatur pro Meſſia vt Meſſiaſ futurus ſit Iehoſchuah. Sed hæc, & ſimilia oſtendere, erit peritorum linguæ Hebrææ, & qui fuerint initiati in myſterijs. ego quod habui ab alio refero, quod res etiam ſine hac animaduerſione illius hominiſ ita ſe habere à veriſ Catholicis cognoſcitur. & magis cognoſcetur, quando præterierint generationes Cain, & in toto orbe nomen Ieſuſ incipiet inuocari. Interea prudens lector attendat Abraham cap. 12. 8. & cap. 13. 4. & cap. 21. 33. item Iſaac cap. 26. 25. eodem modo inuocaffe in nomine Domini, Agar autem non in nomine Domini; ſed nomen Domini. vt ſit diuerſa ratio eorum, qui viderunt diem Chriſti, & eorum, qui non viderunt. nec in ipſiſ fuit Fideſ Abrahæ in Chriſto.

CAPVT V.

IN ſuperiori capite comprehenſum fuit genus impiorum ductum à Cain; hîc repetitur genus, & familiaſ filiorum Dei in Chriſto Ieſu ab Adamo vſque ad Noë. atque in hiſ conſignificatur Eccleſia omnium fidelium in ſecundo Adamo regene-

regeneratorum ab initio mundi ad finem vsque.
 1. *Iste est liber generationum Adam in die, qua creauit Deus hominem: ad similitudinem Dei fecit illum.* Enumerantur familiae piorum ductæ ab Adamo, qui credidit promissioni de Christo. prius recensuit Moses genus impiorum ductum à Cain, qui non credidit. quia vt vidimus in primo capite, prius extitit vespera, post lux: prius in mundo dominantur impij, post Regnum extabit Israëliticum. Cùm igitur status sit expositus impiorum in superiori capite, hïc Ecclesia piorum comprehenditur nõ solum ab Adamo vsque ad Noë, sed & omnium Fidelium futurorum in mundo. Nam Ecclesia fuit in vno Adamo postquam mortuus fuit Abel: post aucta est in Seth, & in alijs deinceps. Verùm quia fuerunt hæ familiae imagines quoq; futurarum, dicebamus in Seth consignatum fuisse tempus legis naturæ. quoniam non fit mentio in eo de cultu; sed tantum de semine secundi Adami. Seth ergo opponitur vnus septem generationibus, seu familijs Cainicis. Et quia dicebamus septem illas familias consignasse sex ætates, in quibus tenebræ fuerunt, & initium septimæ, quando tenebræ fuerunt amotæ; consignantur quoque hoc capite septem aliæ familiae lucis, & fidelium, quæ opponantur tenebris septem temporum Cain: & additur hïc octaua familia in qua signantur Fideles permanfuri in mundo, postquam per Iudicium Domini sublati fuerint omnes impij. qui quidem conducendi sint in cœlestem, beatam, & æternam patriam, vt raptus fuit Enoch, in quo Christ^o mittens nobis Spiritum Sanctum signabatur. Itaque vt in superiori capite imago fuit posita impiorum futurorum in mundo; ita in hoc ponitur imago piorum, qui & post interitum impiorum perseuerabunt in Regno Dei. hæc videtur summa eorum, quæ hoc capite consignantur: videamus.

deamus iam in singulis, quid cognoscamus. *Iste est liber generationis Adam.* Eadem forma loquendi vsus est Moses, vbi cap. 2. dixit: Istæ sunt generationes cœli & terræ: quia ibi significabantur, quæ hîc exponuntur: & idcirco additur hic liber, ibi non ponitur, quia generatim sub cœlo & terra intelliguntur pij omnium seculorû constituti in statu Ecclesiastico, & Politico, liber autem hîc ponitur, non solum vt numerus signetur piorû apud Deum, qui numerat stellas & vocat earum omnium nomina, sed & vt descriptus, & consignatus, & prædestinatus intelligatur apud eundem Deum ad æternam vitam. *In die qua creauit Deus hominem.* in die, qua creauit Deus hominem, fuit descriptus, & expressus, & prædestinatus numerus filiorum Dei in Christo. vt iam hîc in Adamo credenti promissioni, siue in nouo Adamo hîc consignato extiterunt connumeratæ familiæ piorum; eodem modo intelligendum est in secundo capite extitisse apud Deum iam tum creatos omnes pios, & omnia futura apud Deum, tanquam facta fuisse, quando cœlum, & terra creabantur. atque hîc vt in vno homine omnes futuri numerati proponuntur; sic ibi in vno cœlo posito pro Ecclesia comprehendebantur creati omnes fideles futuri in ea. Quod autem hîc nouus Adam intelligendus sit, verba Moïsis ostendunt. ponit enim Adamum, & hominem. Hominem autem describit, vt in eo nouus Adamus intelligatur. quod sit Adam in promissione regeneratus Dei filius: vt hæc sit sententia. hic est liber generationis Adam: hoc est, enumeratio descripta in libro vitæ eorum, qui ab Adamo propagati sunt, ab Adamo inquam, qui per promissionem de Filio Dei fuit factus nouus homo in Dei Filio. vnde sequitur expositio, vt hæc ita intelligenda videri debeant.

2. *Ad similitudinem Dei fecit illum. Masculum, & feminam*

IAC. BROCARDI IN V. CAP. GEN.

minam creauit eos, & benedixit eis, vocauitque nomen eorum Adam, in die, qua creati sunt Hic creatio hominis intelligitur, vt exposita est cap. primo: vbi agitur de die sexto. Omnia hæc non possunt conuenire cum omnibus hominibus ductis ab Adamo: quia maledictio perseverauit in Cain, nec vnquam fuit semen eius benedictum. Similitudo autem Dei apparuit solum, & semper in his, qui tulerunt secundi Adami imaginem; qui fuerunt inferti in Christo, & venerunt in ipsius corpus in eandem Ecclesiam. promissiones Dei obtinuerunt; iustificati, & sanctificati fuerunt. vocati sunt filij Dei, quandocumque per Fidem susceperunt in se Christum, atque in eo facti fuerunt noua creatura. hæc consignantur in verbis Mosis, & fuerunt nobis exposita ab Apostolis, quæ nullo modo possunt conuenire impijs, sed solum pijs. Ergo hinc agitur de Adamo nouo regenerato in Christo per promissionem de ipso Christo: atque in nouo hoc Adamo enumerantur, qui ex eadem Fide sunt genti & ipsi noui homines in Christo. Et vt in hoc Adamo numerantur, qui descripti sunt à Luca cap. 3. sic in eundem numerum veniunt, numerati, descripti & predestinati, qui ex eadem Fide facti sunt noua creatura in Christo omnibus seculis quandiu perseverabit mundus.

3. *Et vixit Adam triginta, & centum annos, & genuit ad similitudinem suam, ad imaginem suam (filium) & vocauit nomen eius Seth.*

Hoc comprobatur, quod dixi: vt regeneratio intelligatur in his, qui sunt semen filiorum Dei.

4. *Fuerunt autem dies Adam postquam genuit Seth octingenti anni; & genuit filios, & filias.*

5. *Et fuerunt omnes dies Adam, quibus vixit, nongenti anni, & triginta anni, & mortuus est.* Si quæ sunt mysteria alia.

alia in numero annorum: in temporibus, quibus quisq; genitus est noua familia: & in alijs præterea rebus, mihi non sunt comperta. erit opus hæc contemplandi eorum, qui erunt in innouata Ecclesia, aut Dominus dabit nunc per alios.

6. *Et vixit Seth quinque annos, & centum annos, & genuit Enos.*

7. *Et vixit Seth postquam.* Post Seth (de quo nihil est dictum, nisi quod Adam genuerit eum ad similitudinē suam, vt signaretur quasi contectus cultus Christi in pijs vsque ad Abrahamum) dum in Enoso dicitur coeptum esse inuocari nomen Domini; ætas Abrahami, & promissionis significari videtur, vt diximus: in Caina tempus datæ Legis: in Malaleel tempus Prophetarum: in Iared tempus Ecclesiæ Apostolicæ: in Enoch tempus filij rapti in cœlum ad Deum: vt non referat ipse Ecclesiam vnā ex septem septem ætatum; sed Christum, qui visus est ab Apostolis ascendisse in cœlū, & misisse Spiritum Sanctum à Patre: qui ambulet inter septem cancelabra aurea, conducturus Ecclesiam ornata bysso in supercœlestem beatam Patriam. In Mathusalem, & Lamech quinta, & sexta ætas: in Noë septima. In septem ætatibus signandis, octo, & non septem viri narrantur propter causam, quam dixi hic, & antè. quod verò signentur in his viris ætates, quibus Verbum suum fecit Deus Ecclesiæ, videtur nobis aperire Petrus, qui vocat Noë octauum prædicatorem Veritatis. in Enoso dicitur tantum coeptum esse inuocari nomen Domini, in quo & in Enocho, & in Noë videntur aperiri quæ sunt trium statuum, Circumcisionis, Baptisimi, & innouati mundi. & quoniam de verbo factō in septem ætatibus non fit mentio, oportet vt intelligatur in personis esse consignatum futurum illud. quia Petrus vocat hos octo viros, prædicatores

tores Veritatis. quæ prædicatio debuit audiri illis temporibus, quæ signabantur in illis viris.

24. *Et ambulauit Enoch cum Deo, & non fuit (apparuit) quia tulit eum Deus.*

De Christo videtur debuisse fieri insignita aliqua significatio. vnde Iudas Apostolus ait Enochum vaticinatum esse de Christo: & ponit verba Enoch, quem separatim ait ambulasse cum Deo, & non apparuisse: vt signetur in ipso Christus: qui fecit voluntatem Patris, deinde sublatus est in coelum, nec post apparuit Christus in Ecclesia sua, quando vt dicitur in Apoc. cap. 12. Filius mulieris raptus fuit in coelum. Debit deinde venire cum centum quadraginta quatuor millibus suis. Ergo Enochus, dum dicitur ambulasse cum Deo, signat Christum prædicasse Euangelium: dum sublatus fuisse à Deo, Christum ascendisse ad dexteram Patris: dum non aparuisse Christum, non apparuisse in Ecclesia sua dominante Papa; non fuisse tunc Ecclesiam, & Regnum Dei. dum reliquit nobis vaticinium de secundo Aduentu Christi, & de eius Iudicio; signat id tempus, ad quod pertinet vaticinium, quod ponitur initio 14. cap. Apoc. & quo tempore noui Prophetæ Cyrillus, & Ioachimus Abbates cœperunt nuntiare secundum Aduentum Domini, & monere omnes Christianos, vt pararent se ad excipiendum Dominum, & ad innouationem vitæ. Ergo in Enocho videtur esse signatus status secundus Filij, complectens ætatem quartam, quintam, & sextam. ac quemadmodum quæ sunt primæ, secundæ & tertie ætatis comprehensa sunt in Enocho, quod tunc inuocatum sit nomen Domini, similiter quæ sunt quartæ, quintæ, & sextæ ætatis comprehendantur in his quæ gesta sunt in Enocho. & dum signat Christum cum Spiritu Sancto, comprehendat & superiores, & septimam. vt tandem vti ipse rapiamur in coelum.

Apoc.

14. 1.

29. *Iste consolabitur nos (requiem dabit nobis) ab opere nostro, & à labore (dolore) manuum nostrarum de terra, cui maledixit Dominus.* In Noë signatur opus secundi Aduentus Domini, & postremi temporis, ergo in Noë quæ insignia debuerunt afferi, quæ magna opera Domini declararent. Quòd verò quæ dicuntur de Noë consignent futura, omnibus patere debet, quia maledictio non sublata fuit è terra per Noë, quamuis inundatio aquarum sustulerit impios. post labores & dolores, & ærumnas, non peruentū adhuc est ad beatum statum; sed hætenus semper laborauimus, nec vidimus finem afflictionum. ergo de alio tempore hæc intelligenda sunt, esse dicta. veluti ait Paulus ad Heb. 4. Si Iosue præstitisset requiem, non de alia fuisset sermo Diuinus. ergo quia *Iosue requiem* non præstitit perpetuam, & Verbum Dei necessariò est verum; alia requies fuit intelligenda, quæ debuit præstari à Christo in Sabbatismo. ita hic, quia hæc non præstata sunt à Noë, nisi in parte, signatus est in eo alius Liberator, & aliud tempus. Non visa sunt hæc adhuc præstata, ergo expectanda sunt in Sabbatismo. Ergo totum factum Noë, & diluuium, & liberatio suæ familiæ signabit nobis secundum Aduentum Christi, qui nunc præstabit hæc omnia toti eius Ecclesiæ, vt in capite quod sequitur, patefiet. atque cognoscendum est, hæc verba esse posita, vt moneamur opus secundi Aduentus Domini fuisse in arca adumbratum.

CAPVT VI.



Quod factum Noë referendum sit ad secundū Aduentum Domini, monet Isaias cap. 54. Ver. 9. inquit. Nam vt aquæ Noë, hoc mihi quia iuravi, quòd non transirent aquæ vl-

tra super terram; sic iuravi, quòd non irascar contra te, nec increpabo te, & quæ sequuntur. & docet Christus, Matth. 24. Luc. 17. vbi loquens de suo secundo Aduentu ait. sicut factum est in diebus Noë, ita erit & in diebus Filij hominis. & ne dicas certa similitudine, & non etiam propriè dici de secundo Aduentu, quæ narrantur in historia Noë, audi Petrum (2. Pet. 3. 7.) qui ait. eodem sermone repositum esse statum nostri seculi, quo ille temporis Noë fuit. attende illud eodem sermone & in eadem Epistola, non futurum, vt nunc parcat Deus, quemadmodum & tunc non peperit. ait Baptismum quoque nostrum respondere aquis illis: in quibus per arcam salua fuit familia Noë, vt in aquis illis significata sit prædicatio. qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit; qui non crediderit, condemnabitur. quæ prædicatio promulgata in primo Aduentu, repetitur nunc in secundo. nota & locum, quem dixi Isaïæ, qui idem declarat.

1. *Et fuit cum cepissent homines multiplicari in superficie terra, & filia nata essent illis.* Videtur significari tempus peruenisse ad suam, vt ita dicam, maturitatem: natos & multiplicatos esse homines, qui erant futuri vsque ad tempus Iudicij: præteruisse status pariter, qui descripti erant futuri vsque ad Iudicium. vnde ad Iudicium iam vocantur per nouos Prophetas homines multiplicati in statu Papistico, & aucti regnis, & ditionibus signatis in filiabus. Persequamur ergo exponere verbum illud, quo ait Petrus, repositos esse coelos præsentis status mundi.

2. *Et viderunt filij Dei filias hominum, quòd pulchra essent, & acceperunt sibi uxores ex omnibus, quas elegerant.*

Prætereo historiam literæ, in qua significantur qui erant semen Seth, & aliorum septem prædicatorum iustitiæ,

tū, accepisse vxores è semine Cain, & impiorum. in qua
 re significatur secuti horum mores, & vitam, vt omnes
 tunc visi sint recessisse à cultu Dei. hoc quidem tempore
 filij Dei, Reges, & Principes, Cardinales, & Episcopi,
 omnes qui præsunt populis, & Ecclesijs in Papatu, pul-
 chrum duxerunt, & delectabile, subijci sibi populos, &
 Ecclesias: Dominum esse cæterorum, imperare alijs, vni
 seruire omnes, & parere: vnde certatim pro se quisque
 inuentus est id contendere, id conari, vt quàm maximas
 sibi opes compararet, ciuitates, regiones, & regna inua-
 deret, ad Monarchiam aspiraret. Ecclesiastici Papatum
 intuentes, ad illum intenderent animos: intereà & bo-
 na, & dignitates Ecclesiasticas consecrarentur. quisque
 quantum posset, quæ essent plurimum in se vnum conuer-
 teret. hæc vellent habere in suo Papatu, non in Regno
 Christi, non Christo seruientes, sed libidini parentes,
 atq; hæc omnia tunc fieri, quando aduenit Rex Regum,
 & Dominus dominantium, ac summus, & æternus Sacer-
 dos, quasi omnes videantur certare, vt in eius locum in-
 grediantur: quæ illius sunt, sua faciant, nullius præterea
 rei patiantur Evangelicos esse participes: nullum locum
 patiantur eos habere in terris nisi coacti. Isti sunt illi
 filij Dei, de quibus loquitur Deus Psal. 82. videatur il-
 le psalmus, & eadem sententia cognoscatur. Prætereà
 aduertendum est hoc idem peccatum Ecclesiasticorum,
 & certorum Principum, signatum fuisse in Adamo, & E-
 ua edentibus de ligno vetito: & hîc in his, qui vident
 pulchras filias hominum, & accipiunt eas sibi vxores,
 hoc est, non vocatione; sed sua libidine arripiunt mune-
 ra Ecclesiastica, & Politica. Quæ enim Ecclesiæ sunt
 Christi, & debent administrari à ministris Christi, sua
 faciunt multi ad id munus non vocati, ad id munus nō
 apti. Sunt qui se lignum vitæ fecerunt, qui se Christos
 fece-

fecerunt, qui se Deos fecerunt quod illis obijcitur, dum dicuntur filij Dei. Et hoc est edere de ligno in medio Paradisi sito, & accipere sibi vxores pulchras elegantes, diuites factas, filias Apostolorum, Ecclesias natas doctrina Apostolorum. non sunt ministri in populo Christiano vocati, sed qui gratia, & vi valent.

3. *Et dixit Dominus. non disceptabit Spiritus meus cum homine in seculum, eò quod etiam sit caro. erunt dies eius centum & viginti anni.* Quamuis illis poenam Deus distulerit, tamen puniuit tandem Papatum & Papistarum imitatores. videtur Deus veluti in vagina tenuisse gladium reconditum, & continuasse iram suam diu; sed tandem hæc exarsit, & gladius eductus est. Postquam misit Deus seruos suos, qui contenderent cum Papatu, vt narrat Oseas cap. 2. & longo tempore certatum est, tandem finem facit monendi Deus, & nunc Spiritu oris sui, & illustratione Aduentus sui, punit Papatū. Venit Christus, vt suo Spiritu esset in populo suo, vnde essent filij Dei Spiritu viuentes. facti autem sunt homines carnales, & impuri, nihil sapientes, nisi quæ sunt carnis. Spiritus Christi id non sustinens, erit ab illis tanquam gladius eductus è vagina. percutiet eos, qui templum suum contaminarunt. Hinc dicebat Paulus. vos templum Dei estis, si quis templum Dei polluerit, disperdet illum Deus. iubet Deus Mosi, ne quis immundus sit in castris, vbi ipse habitat, alioquin interficietur. Et hæc possumus aduertere, quare dicti sint filij Dei, illi videlicet, in quibus est Spiritus Dei, & Christi Iesu: præsertim hoc tempore secundi Aduentus Domini, cuius Spiritus incubat super omnes, & inuenit tales, & persistunt tales, quales dicti sunt in versu superiori, & dicetur in sequenti. de omnibus generatim conqueritur versu quinto. vt non solum

solum Papistæ, sed & profitentes Christum, & non secū-
dum Christum viuentes, intelligendi sint. ergo iam non
sustinebit Dominus polluentes templa sua. quod hīc
nuntiat, minatur quoque cap. 42. Isaia; inquit. tacui
à seculo, filii, continui me, tandem veluti parturiens
clamabo: dissipabo, & absorbebo simul.

Eruntque dies eius centum, & viginti anni. Quoni-
am videntur hīc anni dati homini ad resipiscētiā, nō
autem agi tantum de tempore vitæ; ego in historia anti-
qua ita intelligerem centum, & viginti annos. vt Noë,
qui fuit octauus, vt ait Petrus, prædicator iustitiæ, præ-
dicauerit iussu Dei viginti annos Iudiciū per innunda-
tionem aquarum: post cœperit fabricare arcam, & cen-
tum annos in ea perficienda, & adornanda consumpse-
rit. Posterioribus autem temporibus Ioannes Hus, cūm
combureretur, dixit post centum annos venturum olo-
rem, quem Ecclesiastici non possent torrere, qui fuit
Lutherus: in cuius prædicatione Iudiciū cœpit à domo
Dei. qui Ioannes Hus cum Hieronymo Pragenſi ante
centum annos illos habuerunt contentionē cum Papa-
tu. Prædicatio Sauonarolæ aduerti quoq; poterit, quan-
do sit cœpta. vt in fine centum, & viginti annorum Iu-
diciū inuadens & gentes; ostendat se vniuersale, vt tem-
pore Noë. tempus dabit interpretationem propriam. Et
hīc erit aduertendum numerum quadragenarium esse
numerum pœnitentiæ, & Iudicij: & propter tres status
in singulis statibus poni numerum quadragenarium
pœnitentiæ, & Iudicij. propter Iudiciū autem simile v-
niuersale, & plurium statuum, ponitur numerus ter qua-
draginta. Quadraginta dies, quibus non edit Moses, nō
edit Christus non edit Elias signabant pœnitentiā, ad
quam reuocandi fuerant populi. dies illi Elæ mihi vi-
dentur respondere quadraginta annis à Sauonarola in-
cipiente

IAC. BROCARDI IN VI. CAP. GEN.
cipiente prædicare poenitentiam vsque ad prædicationem coeptam in Luthero productam per Germaniam & per alia loca. ex qua prædicatione perueniebatur ad mortem Dei. Vnde & totidem anni dantur ad Iudicium exequendum. Post quadraginta annos ab exitu ex Aegypto inuenitur apparuisse terra Sancta Israëlitis. & Iosue, & Caleb soli ingrediuntur in terram promissam. post quadraginta annos à Prædicatione Christi euertuntur Hierosolymæ. post quadraginta annos à prædicatione Lutheri, incipit Christus agere virga ferrea contra Papatū. in Iudicio autem vniuersali vt olim inundationis aquarum, datur tempus poenitentiae centum & viginti annorum. in quem numerum veniunt ter quadraginta. Et in Iudicio nunc postremo gladij, & ignis datus est idem numerus centum, & viginti annorum: quod futurum sit Iudicium vniuersale. Datus est idem quadraginta annorum, vt diximus propter singulare Iudicium futurum in euersione Ecclesiae Romanæ, & Papatu.

4. *Gigantes fuerunt in terra in diebus illis. & etiam postquam ingressi sunt filij Dei ad filios hominum & genuerunt illis. Isti sunt potentes qui à seculo fuerunt viri nominis.* Tyranni cum Papa facti sunt gigantes, qui & Deum appetuerunt, quod maximè patuit in prædicatione Euangelica, contra quam insurrexerunt, & in credentes. hos interfecerunt, æternum Euangelium hæresim appellauerunt: suas leges pro Dei Lege suscipi voluerunt ab omnibus, arma contra Dominum, & Christum suam innouantem Ecclesiam susceperunt. vt nuntiatum fuit Ps. 2. & in Abdia & alibi.

Et etiam postquam ingressi sunt, &c. Hic ostenditur, quæ dicta sunt versu secundo, esse dicta de tempore, quando Papa coepit edere de ligno vetito: relinquere suum munus, & cum tyrannis tyrannicè viuere, & velle adorari.

adorari ab omnibus. vnde factum est, vt labentibus annis Ecclesiæ, & status publici Christianorū administrati à filijs Dei, id est ab his, qui vt Dij coli voluerunt (eti- am) pepererint gigantes, & diros tyrannos: hoc est res ita progressa est, vt tandem iidem extiterint tyranni in populo Christiano, qui fuerant antequam Roma venisset in ditionem Christianorum. quasi dicatur. Qui Neronēs, qui Diocletiani, & alij similes extiterunt tempore martyrum, tales (etiam) procreantur Papæ priores, & Principes qui fuerunt non pij in populo Christiano. quo abusi sunt, & in primis nunc in prædicatione Evangelica. *Etiā post postquam ingressi sunt filij.* hoc est etiā postquam obtinuerunt libertatem, & ditiones, & regna, & Ecclesias, ingrati hæc fecerunt. hoc obijcitur illis cap. 2. Osee, & 2. Ieremiæ, & alibi.

Isti sunt potentes à seculo. Hic deinde signatur, nostros prælatos, quos vocant, & Principes Christianos fuisse non solum alios Diocletianos, & Neronēs; sed alios Antiochos, Nabucodonosores, Pharaones, & similes. imo verò eosdem Gigantes, qui & tempore Noë fuerunt, & antè, & post erecta turri cœlum, & Deum ipsum appetentes. *Viri Nominis.* Franciscus primus, Franciscus secundus, Carolus quintus Imperator, Carolus nonus Rex Gallæ, Philippus. talia nomina cum admiratione, & terrore proferuntur. item certi duces: certi ministri se magnos facientes, ita nominantur nunc.

s. Videns autem Dominus, quod multa malitia hominum esset in terra: & omnis imaginatio cogitationum cordis eorum tantummodo esset malum omni die. Generatim arguuntur nostra tempora & in his magni, & parui, & Papistæ, & Christum profitentes non pauci. non recensebo ego mores nostræ ætatis deteriores, quàm fuerint alijs temporibus. passim memorantur in Prophetis, & in historia po-

terunt aliqua ex parte cognosci. Dicti sunt gigantes non solum quod corpore fuerint procero; sed quia voluerunt venire in locum Christi, qui dictus est magnus Gigas, ut Psal. 19. de quo ibi agemus, & in ornatu Aaronis, & primo cap. Apoc. & in libro de Coena Domini. Vnde & Papistæ nostri temporis sunt illi gigantes, qui veniunt contra Christum, facientes se Christos, signati in antiquis gigantibus. Arguuntur autem in primis malitia, stratagemata, conurationes: illaque sibi figunt animo & cogitatione homines, ut obtineant tum vi, tum dolo, quæ appetiuerunt contra Deum, & homines; contra omne jus & æquum. Si qui sunt imitatores Papistarum, & gigantum, non accusent Papistas.

6. *Et pœnituit Dominum, quod fecisset hominem in terra: & doluit in corde suo.* Postquam ita agitur, nec creditur Euangelio, & secundum Euangelium non viuatur; statuit Deus euertere, & perdere hunc statum mundi: non vltra vult pati in suo Regno, & in terris viuere impios, & huiusmodi peccatores & præuaricatores, ac eorum malitiam. vult immutare, & innouare omnia; alium statum adducere Ecclesiasticum & Politicum: creare nouos cœlos, & nouam terram. Isa. 65. 2. Pet. 3.

7. *Dixitque Dominus. delebo hominem, quem creauit à facie terra, ab homine vsque ad iumentum: vsque ad reptile, vsque ad volatile cœli: quia pœnituit me, quod fecerim ea.* In diuersis generibus animantium signantur, dignitates, Magistratus, & varia munera, & opera hominum in populo Christiano. Ergo Ecclesiastici & Politici, magni & parui, ex omnibus ordinibus homines non credentes, & sceleratè viuentes amouebuntur è Regno Christi: Quomodo autem intelligendum sit Deum pœnitere docuerunt doctores.

8. *At Noë inuenit gratiam in oculis Domini.*

9. *Istæ sunt generationes Noë: Noë vir justus (integer) in generationibus suis.* Veruntamen verè Euangelici, & verè credentes retinentes sensum, & cultum Apostolicum, & Catholicum, obtinebunt, vt ab eo Iudicio eximantur atque saluabuntur.

10. *Genuit verò Noë tres filios, Sem, Cham, & Iaphet.* Euangelici, & Papistæ, sanguinarij & impij, dum coniungitur cum Euangelio Prophetia, veniunt in Iudicium, & salus promittitur omnibus credentibus.

11. *Corrupta est autem terra in conspectu Dei, & impleta est terra iniquitate, violentia, rapina, calumnia & fraude.* Non credentes Euangelio appellati Christiani facti sunt impuræ gentes, atq; moribus & studijs deteriores. in Magistratu Inquisitorio credentes, & qui frugi sunt, interficiuntur: principes Papistæ fiunt ministri Antichristi, violato omni jure, Lege, æquitate: insana libidine & furore agitur in Papismo. Isa. 24. Vers. 5.

12. *Et vidit Deus terram, & ecce corrupta erat, quia corruerat omnis caro viam suam super terram.* Idem repetitur, vt intelligas tempus Noë & hoc nostrum. quantum autem corruptum fuerit hoc nostrum, discatur ex historia: vt cap. 4. Osee. 9. Iere. 4. Mich. & alibi:

13. *Et dixit Deus ad Noë. Finis omnis carnis venit coram me: quia repleta est omnis terra iniquitate a facie eorum: & ecce ego perdo eos cum terra.* Ter dixit Dominus se puni- turum hos impios, septiesque repetiuit eorum impietates, vt intelligamus in Lege, in Euangelio, in Prophetia Deum Iudicium suum pronuntiasse: atque in septem ætatibus exposuisse peccata, & monuisse omnes: vt intelligamus hoc Iudicium Dei productum ad hunc tertium statum, ad hanc septimam ætatem: quandò omninò Deus Iudicaturus sit Papatum & totum mundum. perdet Deus impios cum terra. s. cum statu eorum. nam terra permansit.

14. *Fac tibi arcam de lignis lenigatis (abietis) mansuone-
las facies in arca, & bituminabis eam intus & extrâ bitu-
mine.* Paratur à Deo Ecclesia Christi, in qua credentes
omnis status salui fient, dùm peribunt impij; Deus erit
illorum ductor, in omnibus locis erunt tuti, intrâ & ex-
trâ ciuitates, quando erit magna illa perturbatio.

15. *Et sic (secundum hanc rationem quam tibi prescribo) fa-
cies eam: trecentorum cubitorum erit longitudo arca: quin-
quaginta cubitorum latitudo eius, & triginta cubitorum al-
tutudo eius.* Constituta erit arca Ecclesiæ ex circuncisis
corde, spoliatis carne, exutis vetere homine; ex baptiza-
tis & lauatis in sanguine eius, qui possessor centum ouiu-
um, ne vnâ quidem voluerit amittere, quin longius ab
alijs errantem super humeros suos in suum gregem non
adduxerit. ex renatis inquam constituetur illa per Spiritum
Sanctum in tertio Iubileo ac Sabbatismo. Condu-
centur hi omnes in vnâ Ecclesiam, in qua inuenient
consolationem liberati ab operibus, & doloribus manu-
um suarum in terra, cui maledixit Dominus, emersa Ec-
clesia hac ex aquis, in quibus inuoluuntur, & pereunt im-
pij & peccatores; coniunctaque Christo Sponso suo; do-
mina erit in terris. nam dum verbo Legis, Euangelij, &
Prophetiæ administrabitur illa vbique, obtinebit in vno
Christo Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, qui dum
solus dominatur in ipsa, dominabitur & ipsa: nec iam
Satanas, nec iam impius ei dominabuntur. Ac dum al-
titudinem suam obtinebit hæc arca, faciet iter ad su-
pernas aquas coelestes, deferetur semper altius, donec
perueniat ad sedem Dei, vbi æternam & beatam vitam
agat, ibi veritatem rerum obtineat, quarum imaginem
viderat in terris. Hic quid per longitudinem intelliga-
mus, quisque potest videre, electos scilicet trium statuum
mundi,

mundi, excursos antè per sex ætates, baptizatos, & inno-
uatos, persistentes in eadem Fide & charitate: per latitu-
dinem Sabbatismum, in quem nunc Ecclesia per poeni-
tentiam & spem sanctificata ingredietur: per altitudinẽ
Verbum Legis, Euangelij & Prophetiæ: quò perducen-
da est Ecclesia in æternam Patris, Filij, & Spiritus San-
cti gloriam.

16. *Fenestram facies arca: & ad cubitum consumabis eam
supernè: & ostium arca in latere eius pones, inferiora, secun-
da & tertia, facies eam.* Id est tria tabulata facies in ea,
infima, media, superna. In tribus tabulatis significan-
tur p̄j, item trium statuum, siue ipsi tres status mundi cõ-
stituti per Dei Verbum, quorum omnium fidelium fu-
tura est vna Ecclesia, & vnum corpus in Christo, & vna
omnium in eodem beata vita. Ostium positum ad la-
tus in tabulatu medio est Christus Iesus, qui venit in
medio temporum, quiq; solus est ianua, per quam ha-
betur ingressus in arcam: fenestra super tertium tabula-
tum ponitur, quia à Spiritu Sancto venit omnis nostra
intelligentia, & cognitio, & virtus: atque in tertio statu
cùm erimus conscensì omnes in tertium tabulatum, in-
tuebimur cœlestia, & magna mysteria contemplantur.
vnde altitudo solum fenestræ hîc ponitur: quia omnis
prospectus debet esse solum ad superna. Vnius cubiti
erit altitudo, quia Spiritus Sanctus dabitur, quo vno om-
nia, quæ sunt in Diuinis scripturis, cognoscemus, vnum
intuebimur omnes. aut quia certa quædam in cubito
signatur mensura temporis, quo agemus Sabbatismum
in terris, & adhuc per speculum, cœlestem patriam in-
tuebimur.

17. *Et ego, ecce ego aduoco diluuium aquarum super terram
ad disperdendum omnem carnem, in qua sit Spiritus vitæ sub
cælo: & omne quod est in terra morietur.* Dum Euangelici
in

in custodia Patris, & Filij, & Spiritus Sancti erunt: per-
dentur in magno Iudicio impij: & eiicientur, qui retine-
bunt imaginem solum primi Adami.

18. *Et statuam pactum meum tecum, & ingredieris in ar-
cam tuam, & filij tui, & uxor tua, & uxores filiorum tuorum
tecum.* Seruabuntur quidem pij. quia id promisit Deus
iam in Noë: obtinebuntq; promissiones Diuinas seruan-
tes Dei præcepta.

19. *Et ex omni uiuente, ex omni carne, bina ex singulis du-
ces in arcam, ut uiuant tecum: masculus, & femina erunt.*
Genera uiuentium, & animantium memorantur, in qui-
bus, ut dixi, signantur varij status hominum: varij gra-
dus Sacerdotum, & ministrorum publici status, docto-
rum, artificum, &c.

20. *Ex uolucris secundum genus suum, ex iumento secun-
dum genus suum, ex omni reptili terre secundum genus su-
um. bina ex omnibus ingredientur ad te, ut uiuant.*

21. *Et tu accipe tibi ex omni esca, qua comeditur, & collige
tibi, ut sit tibi, & illis in cibum.*

22. *Et fecit Noë iuxta omne, quod præcepit ei Deus; sic fe-
cit.* Dum erit magnum Iudicium pascetur utroque pa-
ne Euangelici, dum multitudo peribit.

CAPVT VII.

ET dixit Dominus ad Noë. *ingredere tu, & omnia
domus tua in arcam. quia te vidi iustum in con-
spectu meo in generatione ista.* Euangelici Iu-
rificati Fide pertinentes ad Ecclesiam inno-
uatam cum suis familijs credentibus, saluabuntur in tem-
pestate illa magna, siue Iudicio. Attendatur verò quid
antè, & hinc dicatur. Noë iustus, & integer in conspectu
Domini

Domini in generatione ista. quia vt tempore Noë, ita in generatione ista, quæ est in secundo Aduentu Domini pauci inueniuntur, qui Christo præsentate ei credant, ipsum suscipiant, fidi sint: quæ ipsius sunt agant: sed cõtrà faciunt se Christos: sint tales, quales describit Christus cap. 2. Ezech. & alibi.

2. *Ex omni jumento mundo capies tibi septena, virum, & uxorem eius: & ex jumento, quod non est mundum, bina, virum, & uxorem eius.*

3. *Etiã ex volatili cæli septena septena, masculum, & feminam ad viuificandum semen super faciem totius terra.*

Repetitur, quod dictum est paulò antè; quia vt præteream, quæ dixi initio capituli sexti, in repetitione videtur signari hic noster status, præsertim cum in repetitione iubentur ex mundis septena capi. in quo numero signantur futurarum ætatum credentes æterno Euangelio. quod mysterium videtur aperire ipse Deus, dum addit rationem septeni numeri, inquit. post adhuc septem dies, ego pluo super terram 40. dies. post septem adhuc futuras ætates, ætate scilicet egrediente septima, Iudicabo mundum, vt tollam impios è terra, quemadmodum nunc facio. Quòd item sub animalibus intelligantur genera, & gradus hominum, videtur pariter demonstrari nobis à Deo, dum tribuit belluis, quod est hominis, inquit. ex omnibus animantium mundis capies septena, septena, virum & uxorem eius. quod igitur non conuenit belluis, tribuit Deus belluis, vt sint vir & vxor: quò certò sciamus in belluis signari homines, & certa genera hominum. Præterea existimo signari in animantibus mundis Sem & Iaphet, in immundis Cham, & eius uxorem, qui apparuerunt tandem immundi, & bini, vt dies secundus non benedicatur cap. 1. Gen: Oportet ergo tu qui maritus es, siue vxor, ne sis Cain, &

cuius vxor, bini tantum; sed vt adhibeas tibi tertium Christum Iesum: siue Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum: siue quod idem erit, septenum Spiritus Sancti donum. vnde, quæ animantia sunt immunda, bina accipiuntur; quæ non immunda, septena. Capite superiori de septenis nulla est facta mentio; sed tantum de binis: ergo in septenis videbantur intelligi Noë, Sem, & Iaphet cum vxoribus, & ita etiam patet in animantibus signari homines. Quia iam hinc septena, & bina ponuntur, existimo in binis immundis signari homines, qui post diluuium genus immundum hominum pepererunt: in septenis mundis pios, è quibus propagati sunt cultores Dei. Nam in binis intelliguntur, qui erant parituri secundum carnem, carnales: in septenis, qui secundum Spiritum, Sanctos. Ex volatili coeli septena septena dicuntur quoque capti: in quibus existimo signari pariter illos, qui euolabant è perturbatione magna, ne intereant.

4. *Nam post dies adhuc septem ego pluam super terram quadraginta dies, & quadraginta noctes, & delebo omnem substantiam, quam feci, è superficie terra.* In ingressu ætatis septimæ, adest Iudicium Dei per prædicationem 40. annorum, quando inter Euangelicos filios lucis, & inter Papistas filios tenebrarum, prædicatum est iterum Euangelium 40. annos. Post quod tempus coepit Iudicium Domini inuadere Galliam bello, & peregit Dominus opus bellicum vastando Papatum.

Et omnem substantiam. Statum præterea totum priorem vastauit Dominus, vt coelum nouum, & terram nouam afferret.

5. *Et fecit Noë juxta omnia, qua præcepit ei Dominus. Vt dixit Deus, hinc & alibi, sic facta sunt omnia.*

6. *Erat autem Noë natus sexcentorum annorum, & diluuium fuit aquarum super terram. In fine seu circa finem sextæ.*

tæ ætatis coeptum est Iudicium & bellum Gallicanum.
 7. *Et ingressus est Noë & filij eius, & uxor eius, & uxores filiorum eius secum in arcam, à facie aquarum diluuij.* Pij in bellica perturbatione continent se in custodia Domini, deprecantes semper, vt possint effugere Iudicium, & stare in conspectu Domini post tempestatem bellicam. vt monuit Christus nos debere facere cap. 21. Lucæ, & cap. 26. Isaiaë ait Dominus. Vade popule mi, absconde te ipsum paululum: donec pertranseat indignatio.

8. *Ex iumento mundo, & ex iumento, quod non est mundum: ex volatili, & omni, quod reptat super terram.*

Bello, peste, & fame interiit multitudo magna, vt nuntiauit Deus: superstites autem illi fuerunt, quos Deus decreuit viuere credetes ex quouis genere illi fuerint. Qui antè non crediderunt, & credent, salui erunt. Euangelium profitentes, atque præuaricantes, iniusteque viuentes, peribunt quoque: quia non audierunt Deum sibi loquentem cap. 3. & 33. Ezechielis. Quòd immundi quoque dicantur ingredi, existimo indicari impios, qui in ipso articulo temporis conuersi fuerint ad Dominum, vt latro in cruce; vt impius conuersus, qui dicitur cap. 33. Ezechielis, quiq; tunc inuocauerit nomen Domini. siue quòd aliqui non Euangelici inter Euangelicos non morientur filij Cain, qui fuit in arca cum duobus fratribus: & hi describuntur in fine Zachariæ.

9. *Bina, & bina ingressa sunt in arcam: masculus, & femina, quemadmodum præcepit Deus Noë.*

10. *Fuit autem vt septima die aqua diluuij inundarent super terram. Vt fuit Verbum Domini, ita est factum.*

11. *Anno sexcentesimo vita Noë, mense secundo, septima decima die mensis, ipsa die rupti sunt omnes fontes abyssi magna, & cataracta cæli aperta sunt.* Fit reditus ad historiam temporis.

12. *Et fuit pluuia super terram quadraginta dies, & quadraginta noctes.*

13. *In ipsomet die ingressus est Noë, Sem, Cam, & Japhet filij Noë, & uxor ipsius, & tres uxores filiorum eius in arcam. Fit repetitio temporis, vt tempus ipsius Iudicij intelligatur.*

14. *Ipsi, & omnis bestia secundum genus suum, & omne iumentum in genere suo, & omne reptile reptans super terram in genere suo, & omne volatile in genere suo, omnes aues, omne alatum.*

15. *Et ingressi sunt ad Noë in arcam; bina, bina ex omni carne, in qua erat Spiritus vita.*

Et dum dicitur, ipsomet die, seu articulo diei, intelligo properationem, & festinationem, qua urgebant Angeli Loth, vt exiret è Sodomis. idem fiet nostro tempore. Liberati plurimi erunt testes, quomodo in ipso articulo temporis fuerint liberati. atq; ante ipsam magnam tribulationem plurimi pariter testati sunt suam liberationem factam à Domino in ipso temporis articulo, quod & ego debeo hîc, & alibi fateri de me, & meo nomine, & nomine plurium.

16. *Et ingressa sunt masculus, & femina ex omni carne, quemadmodum praecepit eis Deus. & clausit Dominus super eum. Quòd dicitur. & clausit Dominus super eum, indicat pios, & inuocantes nomen Domini verè, futuros saluos solo præsidio Domini, non suo cuiusquam.*

17. *Et fuit diluuium quadraginta dies super terram, & multiplicarunt se aquae, & eleuauerunt arcam: & eleuauit se desuper terram. Quadraginta annos prædicatur Euangelium. post quod tempus coepta est Ecclesia eleuari, & acquirere Dominatum Regni Christi, paulatim, paulatim, & certis vicissitudinibus.*

18. *Et roborauerunt se aqua, & multiplicata sunt valde super terram, & ambulauit arca super faciem aquarum.*

Aucta, & multiplicata sunt bella in magna perturbatione: & Ecclesia deinceps magis se erexit, & fuit tandem superior Papistis. post magis aucti sunt Euangelici in bellis. quod fuit significatum & in Idolo Dagon, qui die erigebatur, noctu cadebat ante arcam. dicitur arca ambulare, vt homines intelligas.

19. *Et aqua inualuerunt valde super terram: & operi sunt omnes montes excelsi, qui erant sub toto caelo.*

Regna conciderunt: Reges, & Principes interierunt plurimi. incuruata est altitudo virorum. Isaïæ. 2. 17. Malach. 4. 1.

20. *Quindecim cubitis supernè roborauerunt se aqua, & operi sunt montes.* Omnes gradus dignitatum, & beata Papistarum, & tyrannorum vita inuoluta fuit tempestate illa bellica, & magno Iudicio.

21. *Mortuagū est omnis caro, quæ reptat super terram tam de volatili, quam de iumento, & bestia, omniq; reptili, quod reptat super terram, & omnis homo.*

22. *Cuncta in quorum naribus erat halitus Spiritus vitæ.* Omnes, quos dixi, interierunt: & qui se Deos fecerunt, & qui laruas coluerunt.

23. *Et deleuit omnem substantiam, quæ erat super omnem faciem terra ab homine usque ad iumentum, usque ad reptile, & usque ad volatile cæli: & deleta sunt de terra. & remansit tantum Noë, & qui cum eo erant in arca.* interierunt inquam omnes cum statu Papistico, & impiorum. Hic cum multa dici possint, ea in id concludam. Apoc. 21. Prima abierunt. ecce noua facio omnia. qui se non innouabit, erit qui innouet.

24. *Et roborauerunt se aqua super terram quinquaginta, & centum dies.* Quinquaginta, & centum dies perstire-

IAC. BROCARDI IN VIII. CAP. GEN.

runt aquæ: quia Iudicium quod cœpit à domo Dei, & quod conuersum fuit in impios, exponitur in tribus statibus mundi, & præsertim in tribus Iubileis datæ Legis, dati Euangelij, & apertæ Prophetiæ. Vndè significatur Iudicium præteritorum statuum fuisse reuocatum ad hoc postremum: vt secundùm hoc omnes videantur aut condemnati, aut saluati. Et quia omne Iudicium datum est Filio, exponitur hoc Iudicium 150. Psalmis, in quibus loquitur Christus: qui Psalmi continent vocem Christi eorum, quæ euenerunt à prædicatione Lutheri, siue Saunarolæ vsque ad innouatam Ecclesiam, & ad Regnum Israëliticum constitutum, assumpta historia status Circumcisionis & Baptismi. Videatur præmium in Psalmos de numero quinquagenario.

CAPVT VIII.

REGINIS magnæ perturbationis bellicæ in toto mundo affertur, e qua saluati sunt, qui fuerunt Christi, & perdit aduersarij.

1. Recordatus est autem Deus Noë, & omnis bestia, omnisque iumentum, quæ erant cum eo in arca: & transire fecit Deus ventum super terram, & quiescerunt aquæ. Dicitur Deus recordatus Noë, quasi in longa persecutione Papistica, & impiorum, dum prædicatum est Euangelium 40. annos ante perturbationes bellicas, & post; visi sint pij destituti à Domino: vt & sex prioribus ætatibus mundi semper afflicti fuerunt pij ab impijs: quasi visus sit Deus fouere malos, & destituere bonos, quemadmodum in Abacuc & alibi in Prophetis queruntur pij: visus sit oblitus promissionum, quas Abrahamo, quas in Lege, quas in Euangelio, quas in Prophetis tantas populo suo fecit. At recordatus est tandem & promissionum, & Iudicij

dicij fui, vt deletis impijs suum Regnum traderet fidelibus, & ex ipsis solis constitueret illud. Id quod signatur in iumentis: & tibi promittitur planis verbis Dani: 7. 2 7.

2. *Et clausi sunt fontes abyssi & cataracta cœli, & prohibita est pluuia de cœlo.* Fenestræ cœli clauduntur, pluuia prohibetur; vt intelligamus bellum, pestem, famem, & reliqua mala, quæ interitum attulerunt impijs, & emendationem pijs à Deo solo omnia fuisse immissa.

3. *Et reuersa sunt aqua, quæ erant super terram, eundo & redeundo & defecerunt aqua, in fine quinquaginta & centum dierum.* Idem dicitur, vt intelligas præter tempus Noë, hoc quoque nostrum. Dicuntur aquæ reuersæ eundo & redeundo, quòd repetita sæpe fuerint bella & perturbationes: quæ perturbationes bellicæ finem habebunt, quando totus terrarum orbis venerit in eandem Ecclesiam, per prædicationem Euangelicam. Quæ enim perturbatio hætenus extitit in populo Christiano propter prædicationem Euangelij, eadem propter eandem prædicationem futura est in omnibus terris. In centum & quinquaginta diebus, intelligo tempus eiusdem prædicationis Euangelicæ, tempus perturbationum bellicarum in populo Christiano, & tempus eiusdem perturbationis apud reliquas gentes impias: vt dictum est in præfatione in Psalmos. Intelligo tunc fontes abyssi & cataractas cœli impios & aduersarios, atq; eorum status claudendos & amouendos: ne vltra bella gerant & adducant pios in perturbationes, & vexent omnibus modis. cap. 26. *Leu: statum Papisticum vocat Deus cœlum & terram, in quibus permittit hætenus, Papistas miscere & innouare omnibus temporibus bella & perturbationes; qui status nunc debebuntur, vt ibi dicitur: nec vltra vexabunt bonos & bella gerent.*

4. *Et requieuit arca mense septimo, septima decima die mensis super montes Ararat Armenia.* Dum arca dicitur requiescere videtur significari Ecclesia coepta constitui in aliquibus locis, vbi cessarunt bella, & Euangelici quieuerunt liberati à vi bellica magna, & multiplici impiorum. In septimo mense videtur signari septima ætas, quando hæc facta sunt, in septima verò die signari initium septimæ ætatis, quod coniunctum fuit cum fine sextæ, vt docet Esdras lib. 4 cap. 6. Hoc tempus, quo coeptum est opus constitutionis septimæ ætatis, signatum est quoque numero septeno, vt vidimus in Apoc. Huic numero septeno additur decimus, vt viuentes secundum Legem Dei Euangelici, & Ecclesia intelligantur omninò inno uata in siue bellorum Residet deinde arca super montem Armenia: vt intelligamus credo, quando pars illa erit victa ab Euangelicis, siue libens susceperit Euangelium; non futurum magnum negotium deinde in subigendis reliquis nationibus quæ restabunt: siue dicamus Ecclesiam futuram super omnia Regna, quantumuis alta & potentissima.

5. *Aqua autem ibant & decresecbant, vsque ad mensẽ decimum, decimo verò primo mensis, apparuerunt cacumina montium.* Existimo signari tempus futurum deinceps, dum aquæ decrescere dicuntur vsque ad mensẽ decimum; vt Iudicium Dei signetur duraturum totam ætatẽ septimam, vt non vltra sustineantur peccata, & impij, sed semper puniantur, & amoueantur è terris. *Decimo mense & prima die mensis.* Cùm primùm vbique obseruabitur Lex Dei, & parebitur Euangelio: cessabit perturbatio bellica, cessabunt & reliqua mala. item cum erit peruentum ad finem ætatis septimæ, in qua secundum Legem Dei administratus fuerit status populi Christiani, tum apparebit vita, quæ in coelis dabitur populo Dei æterna:

terna: siue intelligatur illud Isaïæ cap. 2. Erit mons, domus Domini, super verticem montium, & alia regna apparebunt, & erunt, quàm fuerint antè.

6. *Et fuit in fine quadraginta dierum, & aperuit Noë fenestram arca, quam fecerat.*

7. *Et emisit coruum, & exiuit egrediendo & redeundo, donec aufererent aqua super terram.* Videtur fieri reditus ad superiora, vt eadem exponantur. Post prædicationem 40. annorum, missa fuit mala Erynnis in populos, bella exorta sunt: sæpè & sæpius repetita, quibus impij inuaserunt arcam Ecclesiæ. extra multi ex his etiam, qui appellantur Euangelici, interierunt: sed qui in perpetua custodia Domini fuerunt, eos nulla vis perdere potuit, non id dico, vt affirmem omnes Euangelicos, qui in acie occubuerunt fuisse perditos, hoc est, ad æternum interitum condemnatos. quia ait Mosès, dum siccarentur aquæ super terram. quamuis enim hi in perpetua fuerint pugna, & occubuerint, tamen expectarunt & ipsi terram, in qua terra signatur, & supercœlestis patria: mortui sunt prima, non secunda morte. Verùm multi inter Euangelicos fuerunt, qui parùm fuerunt Euangelici; sed ex his, de quibus dixit Dominus. Vindicabo inimicos meos de inimicis meis: non pauci ex illis, quibus dixit Dominus. nescio vos, in coruo signantur quoque qui vsque ad finem noluerunt perseuerare: signantur Apostatae.

8. *Et emisit quoque columbam à se, vt videret, an alleuiata essent aqua à superficie terra.*

9. *Et non inuenit columba requiem planta pedis sui, & rediit ad eum in arcam. quia aquæ erant super vniuersam faciem terra, & misit manum suam, & introduxit eam ad se in arcam.* Cautionem existimo signari de qua ait Christus cap. 21. Luc. Vigilate, ne grauentur corda vestra & quæ sequuntur. Qui non erunt corui; sed filij columbæ per-

TAC. BROCARDI IN VIII. CAP. GEN.
sistentes in communione fidelium; non se committent
periculo temerè; continebūt se in obseruatione præcep-
torum Dei, & in precationibus, & in charitate Christi:
nec se liberè posse vagari existimabunt, nisi promulgata
fuerit pax, atque explorata victoria Euangelicorum, ac
deposita omninò arma. Columba recipitur in arcam
emissam manu Noë, coruus manet extrà. Hic cognosce
defensionem Dei, & illud Christi. duo erunt in agro v-
nus assumetur, & alter relinquetur.

*10. Et expectauit adhuc septem dies alios, & addidit emit-
tere columbam ex arca.*

*11. Et venit ad eum columba ad tempus vespera, & ecce fo-
lium oliuæ decerptum in ore eius. & cognouit Noë, quod alle-
uiata essent aqua super terram.*

*12. Et expectauit adhuc septem dies alios, & emisit colum-
bam, & non addidit reuertri ad eum ultra. Sed ne tum qui-
dem se prudens & cautus tutū putabit, cū palma & vi-
ctoria pronūtiabitur Euangelicorum, & pax promulga-
bitur & arma deponentur, propter malitiam & fraudes
infidelium & impiorum. verū tū demum quisq; erit
tutus, cum à nemine quæretur profugium, aut omninò
non timendum sit. In septem diebus alijs signari vide-
tur aliud tempus, quo alia bella perficienda sūt. Vt
nullum bellum sit deinde pertimescendum. tunc colum-
ba, hoc est pij obtinebunt perpetuam pacem & victori-
am: palmamque dabunt Christo, qui vicerit ipse Anti-
christum & tyrannos.*

*13. Et fait in vno, & sexcentesimo anno, in primo, in vna
mensis aruerunt aqua super terram: & remouit Noë operi-
mentum arca, & vidit, & ecce exsiccata erat superficies terra.
Versabuntur tunc Euangelici in innouanda Ecclesia, &
in constituendo & administrando Regno Israëlitico, nec
opus habebunt tunc custodia & præsidij interemptis
aduersa-*

aduersarijs, omninò ducti extrà sextam ætatem, & ingressi in septimam, toto pede Esau ejecto extrà Ecclesiam, exsiccato regno Papistico.

Amouit Noë operimentum arca. Cognoscetur tunc defensio Domini ab omnibus, qui exsiccauerit Papatu: cognoscetur consilium Dei Iere: 30. aperientur libri & Sacramenta quæ abscondita sunt in Verbo Domini.

14. *Et mense secundo, septima & vigesima die mensis aruit terra.*

15. *Et locutus est DEVS ad Noë dicendo.*

16. *Exi de arca tu, & uxor tua, & filij tui, & uxores filiorum tuorum tecum.*

17. *Omnem bestiam quæ est tecum ex omni carne, tam de volatili, quam de iumento & omni reptili, quod reptat super terram, educ tecum: & reptent (propagentur) in terra: & crescant, & multiplicentur super terram.*

18. *Et exijt Noë & filij eius, & uxor eius, & uxores filiorum eius cum eo.*

19. *Omnis bestia, omne reptile, & omne volatile, & omne reptans super terram, secundum familias suas exierunt ex arca.* Tunc Ecclesia Christi, quæ non conspicietur palam, vt Papistica; erat in conspectu Dei clausa in eius sinu, conspicietur vndique: Regnum Christi quod non conspicietur, conspicietur. dicent Nabucodonosores in se conuersi Regnũ eius in generatione & generatione, & glorificabunt Regem coeli. Tunc fideles erunt Domini in Regno Christi: illudque ipsi administrabunt: pax, & libertas parta erit sub Regno Christi perpetua. nota versu. 19. de animalibus dici. secundum familias suas pro secundum speciem suam, vt in animalibus intelligas homines quoque, qui liberabuntur tempore Iudicij.

20. *Et adificauit Noë altare Domino, & tulit ex omni iumento mundo, & ex omni volatili mundo, & fecit ascendere holocaustum in altari.*

Hic significatur cultus Euangelicus constitui in toto terrarum orbe amotis omnibus superstitionibus, & erroribus Papisticis, Iudaicis, & gentilitijs: munda erunt omnia in Ecclesia. vterque status secundum Legem Dei administrabitur: & vita vbique ducetur Euangelica. de holocaustis dicitur in Leuitico. hic illud Ps. 51. intelligamus. tunc suscipies Sacrificium iustitiæ.

21. *Et odoratus est Dominus odorem quietis: dixitq; Dominus in corde suo. non addam, vt maledicam ultra terra propter hominem: quia cogitatio cordis hominis mala à pueritia sua: neque addam ultra, vt percutiam omne viuens, quemadmodum feci.*

Cum erunt omnia constituta; & efficientur, quæ consignata sunt in descriptione arcæ; quæ comprehensa sunt in Ecclesia Apostolica, & præcepta; tunc Deus, quia cognouit hominem per se non posse operari bonum, operabitur iam ipse in credentibus. Qui hoc cognouerint, non ultra se Deos effecerint, & arborem vitæ; sed Christum; non adducet ultra eos Deus in potestatem Antichristi, vt inde affligantur, percutiantur, & pereant: atq; opus sit simili Iudicio, quo nunc vsus sit. præstabit illud Ezech. 36. 26. Dabo vobis cor nouum, & Spiritum nouum: faciam, vt in præceptis meis ambulatis. nota verbum illud non addam ultra, vt percutiam. vt intelligas gladium, & diluuium sanguinis tempore Iudicij. aliquoties talia verba interponuntur, vt in animalibus intelligas homines, & opus magni Iudicij. vt monitus es à Petro, qui ait eodem sermone repositos esse coelos, qui nunc sunt.

22. *Adhuc omnes dies terræ, sementis & mesis: frigus & aestus: aestas & hyems, dies & nox non cessabunt.* Post Iudicium contra Papatum & impios, non erit finis mundi, vt putauimus hæctenus; sed relinquetur Sabbatissimus populo

pulo Dei: fient illa, quæ scripsit Isaias cap. 65. quando erunt cœli noui & terra noua: in fine mundi veniet tertio ad nos Filius Dei in gloria, vt antè venit primò in carne, post in Spiritu, hoc scilicet tempore. Vers. 9. capite 4. Isai. idem, quod hîc, dicitur.

CAPVT IX.

HOC capite datur præceptum in constituta Ecclesia in toto orbe, quò pax coli generatim debeat in Regno Israëlitico allato per Christum: promittitque Deus se non allaturum vltra in mundo huiusmodi Iudicium, & perturbationem. Fit deinde reditus ad historiam veterem, in qua adhuc quæ sunt Christi & noui status mundi in prædicatione Evangelica adumbrantur.

1. *Et benedixit DEVS Noë, & filijs eius, & dixit eis Crescite & multiplicamini & replete terram.* Benedictio promissa Abrahamæ dabitur credentibus, dabitur Regnū Christi. in eo illi persistent, non deferetur vnquam ad alienos.

2. *Et timor vester, & pauor vester erit super omnem bestiam terræ, & super omne volatile cœli, cum omnibus quæ gradiuntur super terram, & omnibus piscibus maris, manui vestre tradita sunt.* Non timebitur vltra tyrannus, non Antichristus, Ecclesia erit Domina: dominabuntur pij vbiq;.

3. *Omne quod se mouet, & viuit, vobis erit in esum, sicut alius terræ tradidi vobis omnia.* Iubebit illa & Magistratus Politicus per illam constitutus. administrabit Regnū Israëliticum: omnes continebuntur in ordine: punientur, & subleuabuntur, vt quisq; erit dignus, agentur omnia, vt status totus populi Christiani, & Ecclesiæ vnitas conseruetur.

4. *Veruntamen carnem cum anima eius, sanguine eius non comedetis.* Veruntamen in puniendo quisque & in statu Ecclesiastico, & in statu Politico, siue sit is in munere publico, & Magistratu, siue priuatus, id cauebit, ne sibi assumat, quod est Dei solius, quodque Deus sibi serua-uit soli, nec cum vlla creatura voluit habere commune. Illud autem est, ne quisquam audeat iudicare hominem, & simul ita punire, vt tradat eius animam ad interitum æternum. qui peccabunt, punientur quidem, vt Dei Lex iubebit. etsi occidendi sint, occident quidem qui erunt in Magistratu corpus: sed non ita, vt animam quoq; occidant: atque per ipsos fiat, vt qui plectuntur corpore eorum quoque animæ ad infernum, ac ad æternam mortem impellantur. Aequi Magistratus, qui propter commune bonum occiderunt, id semper cauerunt, ne cum corpore animam interficerent. idcirco denuntiant ei qui peccauit, mortem, qua sit afficiendus: hortantur, & curant, vt saluus fiat Spiritus eius in die Domini: concedunt spatium temporis ad poenitentiam: dant ministros Ecclesiæ, qui eos instituant, & cum Deo concili-ent, quò salua sit anima, dum interit corpus. atque hoc est comedere quidem carnem, sed non carnem cum anima. signat enim comedere carnem animantis, vt videtur, nos posse vti opera hominum, vt mutua sint opera nostra, vt alter alterius portet onus, vt ait Paulus, etiam qui ministri publici sunt, iubeant alij, vtantur aliorum opera, vbi necesse erit in rebus honestis: exerceant Iudicia in homines, vt Lex iubet. dicimur nos comedere carnem Christi, & bibere eius sanguinem, quòd cominoda accipiamus ex corpore eius oblato pro peccatis nostris, atque ex sanguine fuso: vt scilicet in corpore eius expiata sint peccata nostra, & in sanguine eius simus sanctificati, & vita eius sit facta vita nostra. ita enim ait Paulus.

panis

panis quem frangimus, nonne participatio Christi est? item, qui edunt victimas, participes sunt altaris. Et carnes sanctificatæ edebantur sub Lege, vt idem signaretur, quod diximus de carne Christi edenda, quoniam carnes illæ signabant carnem Christi. At nemo nostrum debet edere sanguinem animantis, hoc est vitam alterius incommodum nostrum vertere: vt fecit Cain, qui interfecit fratrem propter inuidiam, vt quæ erant fratris, ad se deferrentur. ita fecerunt deinceps filij Cain multi interficientes fratres, & proximum suum, vt explerent iram, & ex alterius morte bona sibi compararent. vt fecerunt interfectores Prophetarum, Christi, Apostolorum, martyrum. vt fecerunt Papistæ, qui interemerunt Euangelicos propter inuidiam, & vt vita illorum viuerent, illorum internitione retinerent sibi Regnum Christi nomine pietatis & Religionis illos comburentes: vt præteream quoddam quemadmodum Scribæ, & Pharizæi comederint peccata hominum, hoc est ad sua agenda comoda comederint peccata populi; comederint animas populorum eos perdendo, vt sibi bene esset. Comedunt carnem cum anima, & homicidæ qui hominem imparatum, & non conciliatum Deo necant. tunc enim cum corpore interimitur anima. edunt carnem cum sanguine, siue cum anima Papa, & Ecclesiastici, qui suis excommunicationibus ad inferos, & ad omnes Dæmones demittunt, & tradunt, quos vi non possunt perdere. edunt sanguinem veritum Magistratus Ecclesiastici, & illi ex populo, qui impetrant à Magistratu Ecclesiastico, vt quis excommunicetur, promulgetur excommunicatus affixis tabellis ad januas templi, pictis etiam Dæmonibus excommunicatum ad se rapiantibus. edunt Papa, & Ecclesiastici sanguinem, quando duris imprecationibus persequuntur excommunicatum publicis scriptis. edit carnem cum sanguine.

fanguine Papa, quando bona etiam, & regna excommunicati publicat, & donat rapienti. edunt carnem cum sanguine, & anima Inquisitores maximè: qui etiam in capite, & pectore, & dorso comburendorum pingunt dæmones, quibus tradiderunt eorum animas: comedūt igitur carnem cum sanguine Papistæ, qui comburunt, & interficiunt homines nomine hæreseos, & quicumque interficiendo corpus, occidunt animam. Etenim qui sunt verè Hæretici, & interficiuntur, horum animæ cum corporibus perduntur. qui non sunt verè Hæretici, & tanquam Hæretici interficiuntur ab his qui eos interficiunt, existimantur interire quoque Spiritu, hoc est, ad inferos damnari ad æterna supplicia. vnde aliqui interfectores antequam corpus interficiant, curant, vt interficiendos ab hæresi reuocent. vbi se ipsos condemnant, qui interficiunt animas, quas prohibuit Deus ne comederent, dum ait, ne comedas carnem cum anima. & qui interficiunt hominem imparatum, & non conciliatum Deo, sciunt animam illius perituram: tamen vt expleant iram, interimunt.

s. Etenim sanguinem vestrum animarum vestrarum requiram: de manu omnis bestie requiram illum: & de manu hominis de manu viri fratris eius requiram animam hominis.

Qui interficit animam alterius, & sua interficietur: quod fecerunt homines alij, contra Dei Legem, fiet sibi. *De manu omnis bestie requiram illum.* Mirum est quòd requirat sanguinem animarum nostrarum, animam nostram pro anima bestie, interitum animæ hominis pro interitu animæ, bestie. Sed in bestia intelligendus est minister, & homo: vt in boue ait Paulus ministrum in Ecclesia fuisse signatum, ex primo cap. Genes. ex primo Ioëlis, & Prophetis alijs, ex libris Legis quisque potest cognoscere non solum homines, sed & Christum ipsum inanimam.

in animantibus fuisse signatum: in boue vitulo, agno, leone, & alijs. Hic autem vt tu cognoscas agi de hominibus, prius cap. 7. antè dictum est, ex animantibus mundis capi virum, & vxorem; ex animantibus non mundis virum, & vxorè capi: vbi tribuitur, quod est hominis, bestix, vt in bestia intelligas hominem. hic item dicitur de manu cunctarum bestiarum: vt in manu scias tibi significatum hominem. & ne omnino erres in tanta re, additur, & de manu hominis, & de manu viri fratris eius. & ne adhuc erres, super additur. requiram animam hominis, vt ita intelligas, requiram animam hominis de manu cunctarum bestiarum, quod & antè insignitè positū est. sanguinem enim animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum, hoc est omnium ministrorum, & fidelium in populo, & in Ecclesia Dei. nam dum dicitur homo, intelligitur quisque priuatus. Est hic adhuc mysterium in verbo requiram ter posito, vt intelligatur hoc præceptum iustum fuisse Hebræis sub Lege, Christianis sub Euangelio, & Euangelicis nunc, & deinceps. præterea in animantibus cunctis signantur omnes ministri omnium statuum, siue Prophetæ, & item Apostoli: in hominibus intelliguntur credentes, & priuati, veluti, qui fuerunt in statu secundo martyres, & qui per Papam & Ecclesiasticos fuerunt combusti. & dū dicitur de manu viri fratris eius, signantur Euangelici huius temporis, qui Christiani à Christianis interimuntur, & à Politicis. vnde in Malach. capite 2. dicitur. nonne Pater vnus est omnibus nobis? nonne Deus vnus creauit nos? cur spernit quisque fratrem suum, violando pactum patrum nostrorum? Sed videamus, quæ sequuntur, quæque totam sententiam concludunt.

6. *Qui effuderit sanguinem hominis in homine, sanguis eius effundetur, quia ad imaginem Dei fecit hominem.* Hæc est

conclusio sententiæ præcepti Dei, in qua non memoran-
 tur bestię, sed solus homo. & ita tamen, vt aperiatur si-
 militudo ducta ab animali, dum enim dicitur, qui effude-
 rit sanguinem hominis in homine, significatur anima ho-
 minis in corpore animali, vt similitudo ducta à bestijs ex-
 ponatur, & in homine intelligas, quæ dicta sunt de bestijs.
 sanguis enim hominis ponitur pro anima hominis, &
 quod dictum est in homine, ponitur pro corpore homi-
 nis. quæ duo signata sunt antè in carne, & sanguine be-
 stiæ. & quia additur, ad imaginem Dei fecit hominem,
 alia adhuc sententia significatur. Christus est imago ex-
 pressa Patris, in Christo creatus est pius filius Dei, in
 Christo est regeneratus, Christ^o in eo habitat, est mem-
 brum Christi, ergo qui interficit eum, in quo est Chri-
 stus, intelligitur afferre manum Christo, crucifigere ite-
 rum Christum. & hoc quidem noui Prophetæ nuntiarunt
 futurum, vt à Papatu iterum crucifigendus esset Christ^o
 in membris suis. quod & in Apoc. monuit Ioannes cap.
 11. & non solum pij non sunt interficiendi rectè, ac verè
 sentientes; sed ne hæretici quidè. quia creati & ipsi sunt
 ad imaginè æterni Dei, quæ imago æterni Dei, non de-
 bet ab homine deleri. non enim delectatur Deus morte
 viuientium, sed sanabiles fecit, ait Salomon cap. primo
 Sapientiæ, omnes nationes terræ, corrigi possunt uiuen-
 tes, si tu vitam aufers, etiam facultatem se corrigendi a-
 dimis. nec dedit medicamentum exterminij. pro medi-
 camento non dedit interitum. iussit Deus, vt instituerè-
 tur Hæretici, vt de leprosis præceptum est in Lege: affer-
 retur illis medicamentum. Papistæ loco medicamenti
 afferunt interitum. Præterea poena hæreseos, quæ est æ-
 terna mors, à solo Deo infligitur, & ea seruatur ad Iudi-
 cium postremum, vt ait Christus. Sinite utraq; cresce-
 re. & sequitur Salomon. non adduxit Dominus infernū
 super

super terram. non dedit Deus potestatem homini mittendi animas in infernum. non debet ergo homo præire Deo in iudicando, nec quod ille sibi soli assumpsit, ad se reuocare. corrigendi, monendi, instituendi sunt Hæretici, vt Lex, vt Christus, vt Apostoli præceperunt, vt boni doctores antiqui docuerunt. si non corriguntur, illos vitabimus, & ab Ecclesia explodentur, donec in ipsis lepra sanetur. Paulus quando excommunicauit impurum hominem non excōmunicauit eum, vt Papa facit; sed tradidit corpus Satanæ, vt Spiritus eius fieret saluus in die Domini. quasi diceret, se separasse illum ab Ecclesia, vt sibi relinqueretur tantum locus pœnitentiæ, & restitutionis in priorem statum, & cùm visus sit verbis illis. tradidi corpus Satanæ, vt Spiritus fieret saluus in die Domini; mihi visus est respexisse ad hunc locum, vt corpora intelligeremus secundum Legem posse ab homine interfici, non autem animam cuiusquam. Hoc ergo præceptum, quod Deus hic attulit de non interficienda anima cuiusquam, nec Hæretici quidem; allatum est, ne quisquam se Deum faceret. Ac si Deus puniuit mundum aquis, & nunc bello, & sanguine mandat ad inferos tot animas, non debet homo idem sibi assumere, sed pacem inire & concordiam aliàs Dominus requiret, & qui effuderit sanguinem hominis in homine, & suus effundetur. hinc ait Salomon. nec scetemini mortem in errore vitæ vestræ, neq; in operibus manuum vestrarum exitium vobis acquiratis. Nec verò ad id solum pertinet hoc præceptum, ne quis se Deum faciat, sed & vt caueantur homicidia inter homines tum carnalia, tum spiritualia. Quia verò occisio animæ maximè patet in his, qui ob hæresim interficiuntur: idcirco idem præceptum, quod hic dedit Deus Noë, reperiuit in Lege sæpè: ter repetiuit illud. hoc dum in lacte matris ne coquito, hoc est Hæ-

reticum ne occidito: siue hominem ob doctrinam Ecclesie matris sue ne interimito: apertis verbis in Deuteronomio cap. 18. ait. non inueniatur in te, qui traducat filium suum, aut filiam suam per ignem. in Ieremia, Ezechiele, & alijs Prophetis idem est repetitum sæpè: atq; in Leuitico statuta est Lex de hæreticis: vbi agitur de leprosis. Iam verò cum plurima peccata fuerint in filijs Dei & alijs, fuit in primis peccatum hæreseos. quod peccatum per se tantum voluit Deus morte punire in suo Iudicio. Vnde antè Iudicium non potuimus punire Papatum. & ita hæreses seruauit sibi Deus à se puniendas: hinc ait Christus finite vsq; ad messem. Nam & futurum fuit, vt & ante Christum, & post Christum, vsque ad secundum Aduentum Domini, pij ab impijs; Catholici ab hæreticis, & non contrà, essent interficiendi. Et dùm hîc agitur de hæresi, in qua quis non secundum sensum Catholicum interpretatur aliquam scripturam Sanctam, non comprehendendo blasphemos in Deum, & auertentes populum Christianum ad Paganismum, vti ad Maumetum vt quidam hoc tempore faciunt. de qua re videtur esse concilij, statuere. Quoniamq; dixit Christus vsq; ad messem, erit post Iudicium Ecclesie statuere deinceps, secundum Verbum Dei.

7. *Vos autem crescite & multiplicamini, propagate (genus vestrum) in terra, & replete eam.* Postquam apertum fuerit, & obseruabitur hoc præceptum, & alia quæ iussit Deus in Lege, Euangelio, & Prophetis; florebut qui erunt Christi, in Regno Dei, pacem inter se colentes.

8. *Dixit quoq; Deus ad Noë, & ad filios eius secum, dicendo.*

9. *Et ego. ecce ego statuo pactum meum vobiscum, & cum semine vestro post vos.*

10. *Et cum omni anima viuente, quæ vobiscum est, tam de volatili quam de iumento, & in omni bestia terra, quæ est vobiscum ab omnibus egressis ex arca, vsq; ad omnem bestiam terræ.*

11. *Et statuam pactum meum vobiscum, quod non delebitur.*

tur omnis caro ultra ab aquis diluuij, & non erit ultra diluuij,
vt disperdat terram. Et pace etiam cum DEO, ac otio
 perpetuo fruuntur, vt hic à Deo promittitur, & pactum ei-
 us cum illis initur. quod pactum repetitum est sæpè in Pro-
 phetis. Deum post Papatum punitum, & impios, in mun-
 do non missurum similem perturbationem, vt in Isaia.
 54. Vers. 9. nec permissurum tyrannos, & Antichristum
 deinceps regnare vnquam in mundo. Quæ ita vera erunt,
 vt verum fuit, Deum post Noë non misisse simile diluui-
 um, quo aquis perderentur omnia animantia. & aduerte
 hic ter promitti à Deo, vt intelligas tempora trium statu-
 um, intelligas promitti a Patre, Filio, & Spiritu Sãcto: in-
 telligas promitti & bestijs, secundum literalem historiam.
 Et si iumentis, & omni genere animantium est promissio
 tantum secundum literalem historiam, cur promissiones A-
 brahæ, & quæ sunt in Lege, & quæ in Prophetis, non repe-
 tuntur itidem animantibus, vt repetuntur homini? dica-
 mus ergo cum Paulo. num quid Deo cura est de bobus? vt
 si pertinent hæc, quæ acta sunt per Noë ad Baptismum, vt
 ait Petrus, & ad Euangelicos, nunquid pertinebit Baptis-
 mus ad bestias? nunquid, quæ promittuntur, promittun-
 tur his qui erunt in Regno Israëlítico, & in Sabbatismo.
 Constat ergo ad Israël factas esse omnes promissiones,
 & hic fieri sermonem sub typo bestiarum de ministris fu-
 turis in Ecclesia, & de singulis præterea fidelibus. Mihi
 videor videre in præcepto dato de carne non edenda cum
 anima, seu sanguine: & in promissione Dei de non indu-
 cendo diluuium ultra: Iohannem Euangelistam vidisse cha-
 ritatem præcipi hic à Deo æternam, quæ debet esse in-
 ter nos, qui creati sumus ad eandem Dei imaginem. item
 amorem quo debemus ipsum Deum prosequi, qui prius
 dilexit nos, quæ duplex charitas & in creatione primi ho-
 minis videtur fuisse consignata: vt hæc sit doctrina, quam
 ita veterem, & datam à principio.

12. Et dixit Deus, hoc est signum fœderis, quod ego do inter me & inter vos, & inter omnem animam viuentem, qua est vobiscum in generationes seculi.

13. Arcum meum dedi in nube, & erit signum fœderis mei inter me & inter terram. (arcus in nube.

14. Et erit cum obduxero nubem super terram, & apparebit

15. Et recordabor fœderis mei, inter me, & inter vos, & inter omnem animam viuentem in omni carne: neque erunt ultra aqua in diluuium, vt disperdant omnem carnem.

16. Et erit arcus in nube, & videbo illum, & recordabor pacti perpetui: inter Deum, & inter omnem animam viuentem, cum omni carne, qua est super terram.

17. Et dixit Dominus ad Noë. Hoc est signum fœderis, quod statui inter me, & inter omnem carnem, qua est super terram.

Hæc non opus habent interpretatione, pueri vident rem ita euenire, vt dixit Deus. Sed quod dictum est statuo pactum meum vobiscum, & cum semine vestro post vos, est promissio, quæ etiam ad nos pertinet, ad quos vidimus pertinere totum factum Noë, quod ostendit If. cap. 54. ergo pactum, quod erit inter Deum, & nos, est quod signatur in arcu cap. primo Ezechielis id exponitur: & tibi cognoscitur in arcu trium colorum signari virtutem, & bonitatem Patris, & Filij, & Spiritus Sancti erga nos: qui aderunt in nubibus, hoc est, in Ecclesia sua: quodque cognoscetur multis modis. & vt præteream, quæ gesta sunt in prædicatione Verbi, in pugna armorum, & in custodia eorum, qui fuerunt Christi maxime in concilijs patebit, & in conuentibus Dei præsentia. vbi Verbum Dei copiosum, & opera gloriosa & cognitio plena rerum Diuinarum, tanquam Patre, & Filio, & Spiritu Sancto præsentem, extabit: nec recedet à nobis Pater, nec Filius, nec Spiritus Sanctus; sed ad finem vsque mundi erunt in sua Ecclesia, eam quotidie magis ac magis sanctificantes. sub Lege cognitus fuit Pater, sub Euangelio cognitus Pater, & Filius, & Spiritus

& Spiritus Sanctus promissus, qui cum post Apostolos visus sit retractus à ministris publicis, in tertio statu videbitur magna virtute adesse cum Patre, & Filio in tota Ecclesia.

18. *Et fuerunt Filij Noë, qui egressi sunt ex arca, Sem, & Cham, & Iaphet: & Cham ipse est pater Chanaan.*

19. *Tres isti sunt Filij Noë & ab istis dispersa est vniuersa terra.* Ab his disseminatū est omne genus hominum per vniuersam terrā. Exposita salute, quam Christus allaturus fuit Ecclesie in Aduentu suo secundo signata in Noë, fit nunc reditus ad enumerationē generationis, ductæ ab Adamo ad Noë: ac persequitur Moses familias ductas à Noë, & quid factū sit post diluuium. Ac primū quidem natis tribus filiis Noë, Cham dicitur pater Cananæorū, vbi signatur, quemadmodū ex Adamo natus est Cain semen malū, similiter euenit in Noë, in Isaaco, & in alijs: & tandē in Ecclesia, in qua natus est Antichristus. Quia cap. 6 dictus est Noë, is esse qui cōsolaretur nos ab opere nostro, & à dolore manūū nostrarum de terra cui maledicit Dominus, facile cognoscimus in Noë fuisse signatum Christū, qui liberauit credentes ab Antichristo per magnum iudiciū. Vt verò significetur eundem esse Christū, qui iudicauit mundū, & qui fuit crucifixus, & contemptus in primo Aduentu: factum aliud Noë narratur, in quo Christus signatur contemptus non solum in primo Aduentu, sed in secundo exagitatus ab Arrianis, & ab alijs Hæreticis, tanquā homo simplex vt alij, non attendunt quid de Christo nūtietur cap. 42. & 53. Isaia. & 9. Dan. & primo Osee.

20. *Et cepit, Noë.* In Noë qui incipit colere terrā, signatur Christus, & eius primus Aduetus. ita enim progreditur ratio Prophetica, vt sæpè prius narrētur postrema, deinde fiat reditus ad ea, quæ antecedunt. nam expositis his, quæ pertinebant ad secundū Aduentū Domini, assumuntur iam quæ fuerunt primi: in Salomone, & alibi similia.

videbimus. atq; ipse Dei Filius factus homo signatur in Noe, qui excolat terram, prædicet in ea Euangeliū, plantet vineam, Ecclesiā Apostolicā constituat. bibit calicē, quem præter ipsum nemo potuit bibere, vt moreretur inebriatus amore Ecclesiæ, pro peccatis omnium credentium. mortuo autē Christo, & pendēte in cruce nudo, Cam pater Canaā, hoc est Scribæ, & Pharizæi, filij Cam, diffamarunt Christū publicē apud totum populū Iudaicum, signatū in Sem, & apud Græcos signatos in Iaphet: vt hominē tantum, siue vt simplicē, & purum hominē, solummodo hominē, & hunc impium, & seductorē, & Deo inuisum, & vt qui mortuus nullā salutē præstare posset cæteris. at Apostoli, & alij Iudæi credētes, item gentes in eandē Ecclesiā coactæ, ferunt super humerū suum vestimentū, & cooperiunt nuditatē Christi, ipsum sua morte testatur Filium Dei, & Saluatorē mundi; Christ⁹ excitatus ē somno suo ascendit in cœlum, cōcionatur in suis Apostolis cōtra Hierosolymas, in quib⁹ fuerunt filij Cam. post 40. annos ciuitatū euertit, & maledixit Cam, & filijs eius. impij Iudæi, & perfidi superstites, fiunt profugi sine proprijs sedibus in toto orbe: credētes ex Iudæis, & ex gentib⁹ obtinent aliorū sedes, & regna, & imperiū. sub quorum imperio serui existunt Iudæi, hoc vero tēpore, vt prætereā Papistas. qui crucifixerūt Christū iterum in mēbris suis, ad sunt multi Cam, qui magnificāt, Spiritū Sanctū, & Filium Dei ignominia afficiūt. Væ tibi, qui in terra Canaā fact⁹ es Canaita. 28. *Et vixit Noë.* Quidnā signet anni trecēti, & quinquaginta, quibus vixit Noë post diluuium, aliorum, aut posteriorū erit cognoscere: forsitan septem Iubilei septem ætatum mundi, seu septimum tempus septimæ ætatis distinctum septem Iubileis significatur.

Typographus Lectori.

Propter certa incommoda, quæ occurrerunt, non potuit dari perfectum opus in his nudis: dabitur in proximis.

CAPVT X.

1. *Ha sunt generationes Noe, Sem, Cham, & Iaphet, & nati sunt eis filij post diluuium.*

Dersequitur Propheta exponere statum secundum post Ecclesiam Apostolicam. tres filij Noë videntur signare populum Dei trium statuum: vt Sem signet populum Dei sub circuncisione: Iaphet populum Christianum: Cam Patrum tempore Antichristi reuelati. Vt verò seruiatur narrationi secundi status, Cam in fine superioris capituli positus fuit primus, deinde Iaphet, & Sem. hinc alio ordine inceditur, vt à Iaphet ducatur initium narrationis, post narrentur familiae Cam, tum Sem. quia status populi Christiani, & Ecclesia fuit constituta ex Iudaeis credentibus & gentibus credentibus signatis, vt ante diximus in Iaphet: post ingressus est Antichristus filius Cam, quo expulso existens, populus Dei, filij Sem.

2. *Filij Iaphet.* In filiis septem Iaphet signantur qui post Christum crediderunt. vnde cap 2. & 3. Apoc. distinguuntur in septem Ecclesijs. duo capita memorantur: fortè propter diuisionem regni Iudae, & Israël, quae est in populo Christiano respondens ei, quae fuit apud Hebraeos, vt suo loco videbimus.

5. *Ab istis diuisae sunt in insula gentium in terris suis, singula iuxta linguam suam secundum familias suas in nationibus suis.* à Palestina vsque ad mare Oceanum peruenit Ecclesia Christianorum. in insulae plurimae occupatae sunt à Christianis, vt Anglia, Scotia; & loca varia diuersarum gentium, & linguarum. Erant homines tempore Iaphet,

& post linguæ vnius, vt dicitur cap. 11. & quia hic, est
 Prophetia & futura nuntiantur de gentibus multarum
 linguarum, idcirco dicuntur regiones variarum lin-
 guarum.

6. *Et filij Cam.* Vt Cananæi, Philistæi, & aliæ impia
 gentes immiscebantur inter Iudæos postquam duce Iosua
 obtinuerunt Israëlitæ illorum regiones; similiter
 euenit Christianis, vt impij se insinuauerint in regnum
 Christi cum ipsis, vt in eo dominarentur. Ergo quatuor
 filij nascuntur ipsi Cam, & vnius familia subtricitur for-
 tē, quod in ea signentur Iudæi sine regno, & sedibus: for-
 te regio & regna, vbi est abominatio, quam nominare
 pudet piū. aut etiam quia quarta ætate ducta prima à
 Christo, quæ erit septima ab Abrahamo, non erunt vlt-
 trà filij Cam. In Chus fortē secundum sententiam Ab-
 batis Ioachimi signatur Italia & Papa: in Canaam Ger-
 mania, in qua coeprum est prædicari Euangelium in se-
 cundo aduentu Domini. aut contrā. vtrobiq; enim sunt
 Ecclesiastici Politici, & Politici Ecclesiastici. vnde fit vt
 fit confusio, sit Babel, dum confuditur ius Ecclesiasticum
 & Politicum hinc fit vt sæpè locus pro loco, persona pro
 persona ponatur, & capiatur, vt ostensum est in Iobo cap.
 40. In Misraim sine controuersia signatur Gallia. Erit autē
 cuiusq; pij Regis & Episcopi imitari Melchisedecum, qui
 cum esset propè Sodomam, agebat quæ erant magni sa-
 cerdotis & Regis, non quæ Sodomærum: & imitari A-
 brahamum, qui liberauit Loth, & eius familiam, hoc est
 Euangelicos peregrinos ab hostibus & Tyrannis.

8. *Et Chus genuit Nembrot, iste coepit esse potens in terra.*

9. *Ipsè potens fuit venator coram Domino.*

10. *Et fuit principium regni eius Babylon, & Erech & A-
 chad, & Chalmach in terra Sonaar.* In Germania vidimus
 constitutum Imperium, in venatore signantur bellato-
 res

res Ier :36. Dicitur autem Nembrot fortis coram Domino, quia in populo Christiano prima dignitas Politica fuit in imperio. signatur in Nembrot quoque Papa propter rationem, quam antè dixi : & quia in lobo dicitur Papa principium viarum Dei & Rex super magnos Reges.

11. *E terra illa egressus est Assur & adificauit Niniuem.*

Hic omninò videntur signari ea, quæ dixi: quia in Prophetis Assur ponitur pro imperatore, & Germania, & pro principibus Germaniæ, & pro militia Germanica. ponitur autem pro eo, qui aduersatus est Euangelio. ponitur item cap. 10. Isaia, pro eo qui regnum Euangelicum tutatur, & post faciat se in eo Tyrannum.

12. *Et adificauit Niniuem.* Duplex quoque Niniue inuenitur in Prophetis. de altera loquitur Ionas, in qua signatur Germania, siue hi, qui crediderunt prædicationi nuntiatae in Germania: de altera agitur in prophetia Naû & in hac signatur Roma, siue etiam simul soror eius & sorores.

13. *in Misraim,* vt dixi, signatur Gallia posito nomine viri pro loco.

14. *in Petrusin.* quoque videtur signari Germania inferior, & alia loca profitentium Christum sub Papatu.

19. *Et fuit terminus Cananai à Sidone, dum vadis Gerar vsque ad Gazam, donec ingrediaris Sodomam & Gomorrham & Seboim vsque Lesa.* Pars Germaniæ superis signata in Cananais, infra habet Belgicum, supra habet Saxoniam & alia loca, in quibus inundauit prædicationi Lutheri & aliorum.

21. *Et ipsi Sem natus est: etiam ipse pater fuit omnium filiorum Heber, frater Iaphet maior.* Sem dicitur maior Iapheto, & ponitur postremo loco propter rationem, quæ dixi initio capituli: & iam fiet innouatio ad primam Ec-

clesiam formatam à Christo in Apostolis. Quatuor capita familiarum numerantur, quæ vt existimo, signant quatuor ætates, quartam, quintam, sextam & septimam, seu initium septimæ: in quibus pij obscuro fuerunt retinentes simplicitatem Apostolicam: vt Ecclesiæ populares coactæ ex gentibus, & iudæis credentibus, in quibus fuit lux. & tenebræ signatæ sunt in Iaphet, Babylonica Romana in Cam. In Sem autem fiet reuocatio ætate septima ad puritatem Ecclesiæ Apostolicæ.

25. *Et ipsi Heber nati sunt duo filij, nomen eius Pelag, eo quod in diebus eius diuisa sit terra.* In fine sextæ ætatis facta est diuisio credentium à non credentibus. vt iudicante Christo mundum, constituerentur ad dexteram credentes, ad sinistram non credentes Euangelio iterum predicato.

26. *Et loethan genuit tres decem filios:* quia vt existimo signatur innouatio Ecclesiæ tempore prædicationis. in qua fit doctrina Christi & Apostolorum.

31. *Isti sunt filij Sem, per familias suas, secundum linguas suas, in terris suis, in gentibus suis.* Existimo signari Europam primum, deinde totum orbem, quem obtinebunt credentes. Distinctio ponitur & hic linguarum, & regionum, & gentium, vt signentur tempora futura diuersarum gentium, locorum & regionum, in quibus videmus esse diuisos credentes.

32. *Ista sunt familia filiorum Noë, per generationes suas, in gentibus suis. & ab istis diuisa sunt gentes post diluuium.* Hic Mihi videtur concludi historia temporum Noë, quæ & concludetur in credentibus Euangelicis tantum tempore futuro, quando omnes gentes fient Christi, & cognoscent se regeneratos in Christo.

CAPVT XI.



O Ccapite repetuntur primùm, quæ coepta sunt dici de Babel. repetitur deinde genus Sem, vt perueniatur ad Abrahamum.

1. *Et erat terra omnis labij vnus, & verborū eorundē sermonis.* Terra dicitur fuisse vnus labij, & sermo verbo rū eorundem. prius hīc videtur historia esse exponenda: deinde mystica cognoscenda. Legi in antiquitatibus Hebræorum apud Philonem Iudæum, si rectē memini, familias Cam, & eos, qui fuerunt eiusdem impietatis, legisse Prophetiam Enoch, in qua iudicium Dei nuntiabatur contrā impios: quōd Deus esset effecturus, vt hi inter se mutuis cædibus se trucidarent, & perderent. quod factum timentes, voluerunt auertere opus Dei, & contrā illum decreuerunt bellum suscipere: turrimque parant ad cœlum ducere, vt inde possint Deum inuadere, alia causa hīc affertur, ne scilicet dispergerentur in vniuersam terram: Sed vtrumq; potuit extitisse in libro Enoch. quia vtrumque extitit in his, qui signabantur in illis Canaistis, & Babelistis, vt dicemus. ædificant ergo turrim illi, vt Deum appetant. Deus autem cū loquerentur lingua vna, fecit vt varijs loquerentur: & quisque cogereetur secernere se ab his, qui diuersa lingua loquebantur, atque ad eos accedere, qui sua vterentur.

2. *Et fuit cū proficiscerentur ab oriente, inuenerunt platinam in terra sennaar & habitauerunt ibi.*

3. *Et dixerunt quisque ad proximum suum. agite, faciamus lateres, & igni coquamus: fuerūt q; eis lateres vice lapidum, & bitumen (lutum) pro cemento.* Hīc nulla mentio fit, nec de filijs Sem, nec de Cam, nec de Iaphet: & tamen opus filiorum Cam exponitur, & nominatur hīc Babel: deinde

de familijs Sem dictum est in fine superioris capituli ad orientem habuisse suas sedes, quasi filij Sem sint, qui ædificauerunt turrim. Existimo ego historiam mysticam ita esse accipiendam: vt dum dicitur. Cùm proficisceretur ab oriente, intelligi Christianorum tempora, quando primò (quicumque fuerint illi recedentes à suscepta fide) ab Ecclesia Apostolica venerunt in Papisticam: venerunt Romam: in Germania deinde conuenerint Ecclesiastici, & principes, vt mutuo se munirent. Papa defensus esset ab imperio, imperium à Papa. verùm luteum tandem conspicietur illorum ædificium. qui dum essent in capite aurum, facti sint in pedibus lutum. initio essent Christi, tandem contra verbum Euangelij uenerint: vt ostenditur in statua Nabuchodonosoris. at luteum suum ædificium firmant ipsi comburendo homines. Babelistæ dicti sunt fornaces extruxisse, in quibus comburebant omnes Deum colentes, & Abraham quoque vt memorat Philo in ardentem fornacem coniecerunt: qui ab angelis fuit inde educus incolumis. ta Papatus semper fuit munitus igne comburendo omnes suos reprehensores.

4. *Et dixerunt. agite. ædificemus nobis ciuitatem, & turrim, caput cuius pertingat cælum. ædificauerunt suam Babyloniam Papistæ. insuper & inquisitionem. concilia multa habuerunt, quibus Euangelicos, & Christum appetent: ac in cælum extulit caput suum, & auctoritatem suam Inquisitio Papistica: erexit alas, vt sit supra Ecclesiam. appetunt illi, & hæc ipsum Christum ignominiose, vt dicitur in Daniele, ubi agemus de abominatione: mentiuntur Spiritui sancto, negantes, quæ in Prophetis, & diuinis scripturis continentur.*

Et faciemus nobis nomen, ne forte dispergamur super faciem uniuersæ terræ. Volunt ipsi esse Dij in terris, & nullum esse

esse regnum Christi in terris: se solos esse reges. Iudicium putant Papiſtæ differendum in longum tempus. interea volunt esse ipſi tyranni in mundo. verum ante euerteretur turris, reges, & regna impia, eijcienturque illi è ſuis ſedibus. Nec præter rem erithæc cognoscere in libro duodecim Patriarcharum, vbi memoratur Prophetia Enoch,

5. *Descendit autem Dominus, vt videret turrim, quam ædificabant filij Adam.* Hic ſignificatur Chriſtus deſcendiſſe ad iudicandum Papatum, qui reſiſtit Euangelio: contra illud munit regna, & inquisitionem. vt Adam volunt ſe eſſe arborem in medio paradisi. Oſe. b. 8.

6. *Ecce populus vnus, & labium vnum omnibus ipſis.* Hic ſignificatur coniuratio Eccleſiaſticorum, & principum: qui vnum loquantur, & eodem modo omnes Papiſtæ contra Chriſtum, Euangelium, & Euangelicos. hinc dicitur Pſal. 2. *Quare fremuerunt gentes, & quæ ſequuntur.*

Ceperuntque hoc facere, nec deſiſtent à cogitationibus ſuis donec eas opere compleant. Quantumuis diu prædicatum ſit Euangelium, quantumuis multa dederit Deus ſui iudicij ſigna, quantumuis norint ſe male agere, & malitia peccare Papiſtæ, qui ſunt ſanguinarij, & inquiſitores: atque apertum iam omnibus eſſe ſuum ſcelus videant: nunquam tamen ſunt ceſſaturi vſque dum perdiderint omnes Euangelicos ad vnum vſque, ſi illis permittitur à Chriſto.

7. *Agite deſcendamus:* Dicitur nomine plurium, vt in quiſitio, & coniurati plurimi intelligantur apetere Filium Dei, mentiri Spiritui Sancto, & ſibi quod Dei eſt, vendere. vt patebit in exponenda abominatione. venit autem Chriſtus, & Spiritus Sanctus in ſuos Euangelicos: & in gentes robustas. his vincent coniuratos.

Et confundamus ibi labium eorum. Ibi apud Babel, percutiet Christus exercitum Papisticum, & impiarum gentium. perfringet illorum vires, & opes: dissoluetur coniuratio: dispergentur, vt narratur Psal. 83.

8. *Et disperfit Dominus eos super faciem vniuersa terra, & cessauerunt adificare ciuitatem.* Munita loca & arces euententur, donec vastitas afferatur à Babel tyrannorum ad Babel Romæ: à Roma ad omnes tyrannos.

9. *Propterea vocauit nomen eius Babel. quia ibi confudit Dominus labium omnis terra: & inde disperfit eos Dominus super faciem omnis terra.* Vt confusionem omnium rerum attulit Papatus, & diuinarum, & humanarum; ita erit cōfusio in suis regnis, quæ dissipabuntur, & debentur. nec hic plura addamus, quàm quæ dicuntur Psalmo illo 83.

10. *Hæ sunt generationes Sem.* Antequam quæ sequuntur contemplari prosequamur, duo videntur agenda. primùm aduertere, quæ ratio sit, cur familias Cain non persecutus sit Moses recensere post septimam: atque hic quoque finis factus sit memorandi familias Cam. hinc veniunt & illæ familiæ considerandæ, quas deinceps vidimus impiorum, & malorum commiscuisse se inter pijs: deinde repetemus ordinem ductum à principio huius libri, vt conspiciantur quæ sequuntur, quomodo cohæreant cum superioribus, & cum his, quæ capite primo fuerunt proposita. Finem fecit Moses persequendi familias Cain in septima: quia in ea narratione signabantur impij, & genus Cainorum ductum ad ætatem septimam, in cuius initio debuit illud deleri è terris, obtinentibus mundum in sabaptismo filijs Dei solis: eadem ratio est de familijs Cam, quæ debuerunt pariter expelli è regno Israëlitico iudicatæ impiæ. In filijs quidem Cain signata est crudelitas, & scelus in occisione Prophetarum, Ie-
su

fu Christi, Apostolorum, & martyrum: item inquisitio
 Papistarum, & Papæ vefania in comburendis Euangeli-
 cis tyrannis, ambitio, auaritia, luxus, crapula, voluptates,
 foeda & turpis vita Ecclesiasticorum. In filijs autem Cam
 adumbratum est quoque bellum apertum Ecclesiastico-
 rum, & Papistarum susceptum contra Christum, & con-
 tra Euangelicos. Septem familiae positæ sunt, quia in Ca-
 in signabantur impij primi status mundi, qui debuerunt
 conduci vsque ad tertium. quod tempus distinctum est
 ætatibus septem, Cam autem tres tantum positæ sunt fa-
 miliae. quia in Noë signatus est tertius status, & ite in Noë
 & filijs suis signatus est quoq; secundus, qui tribus cõtine-
 tur ætatibus. Itaq; quia debuerunt familiae impiorum in fi-
 ne sextæ ætatis, & in initio septimæ iudicari, & deleri e-
 terris; nulla facta est mentio de filijs Cain post septi-
 mam: nec de familijs ductis à Cam post tertiam, hoc
 est, quintam, sextam, & septimam, quæ sunt tres, in quas
 venit Cam post cœptum secundum statû. In pijs autè re-
 tineatur perpetua narratio vsque ad Christum, quia cum
 Christo debuerunt semper permanere & in hoc mundo,
 & in futuro. Quam iam rationem vidimus in familijs
 Cain, & Cam, eandem cognoscimus in alijs impijs, qui
 excuscabuntur etiam ex familijs piorum. vt ex Abra-
 ham natus est Ismaël, & Isaac: ex Isaaco, Esau, & Iacob.
 duo semen non benedictum, & duo semen benedictum.
 Ex duodecim tribubus deinde prodierunt in AEGYPTO, &
 in deserto, & tempore Iosua, & Iudicium, & Regum vsq;
 ad Christum quam plurimi semper, qui suscepti non sunt
 in numerum filiorum Dei. Et vt præmittam Iudæos,
 qui non crediderunt Christo & Apostolis, ex ipsis Apo-
 stolis, & ex Ecclesia prodierunt proditores, falsi doctores
 Antichristi: vt vidimus ab Apostolis vsque ad hæc tem-
 pora atq; adeo nunc inter eos, qui profitentur nomen E-

uangelicum, multi numerabuntur inter illos, qui non amarunt Christum, quibus dicitur: nescio vos. Hi omnes expellentur à regno Christi, è terra promissa Abrahamo, & alijs patribus: peribit illorum semen è terris ætate septima. Hic datur locus, vt cognoscamus fragile nostrum humanum genus, perpetuam misericordiam Dei erga credentes, opusque illius perpetuum regenerationis hominum in filios Abrahamæ contemplemur iudicium Dei, de quo agit Paulus cap. 10. Epistolæ ad Rom. His positis assumamus iam ordinem ab inito tractationis Mosaicæ. Propter multiplicia mysteria varij ordines possunt aduerti in narratione Prophetica, qui tamen in idem veniunt. Petrus breuem, & apertum, & generalem ordinem ponit eorum, quæ egit Deus in mundo, ac in verbo suo. diuidit totum statum mundi in triplicem mundum: tempus ab Adamo vsque ad diluuium vocat mundum: vnde ait. is qui tum erat mundus aquis inundatus perijt. vocat cap. 3. eiusdem epistolæ & cælos. Mundum secundum vocat tempus, quod fuit deinceps vsque ad aliud iudicium peractum in secundo aduentu Domini. de quo tempore ait: qui nunc verò sunt cæli, & terra eodem sermone repositi seruantur igni in diem damnationis. de tertio mundo ait. sed cælos novos, & terram nouam secundum promissionem expectamus. Et hinc distinctio Petri tenenda est propter multas difficultates, quas illa cognita tolles: vt vbi ait Christus: regnum meum non est de hoc mundo: à modo videbitis filium hominis venientem in nubibus cæli. Ac in his tribus mundis videntur consignari, & proponi simul tres alij mundi: quos contemplemur. in primo, qui dum fuit tenebrarum, habuit consignatam tamen & lucem seculorum mundi; contemplari poterimus hos tres simul mundos à Petro positos: in secundo eosdem simul tres mundos cum cælesti.

cœlestibus: in tertio conscendes & ad tertium cœlum Angelicum, & ad diuinam maiestatem per mysteria magna, quæ habes in verbo Domini, & eius operibus. & de his agent, qui erunt in innouata Ecclesia, vt in tabernaculo cognoscant Ecclesiam: in Ecclesia, & tabernaculo cœlestes choros, & tabernaculum non manu factum: & ita alia.

Persistentes autem nos in interpretatione singularum partium, ita quæ hæcenus dicta sunt, distinguemus. Capite primo Genesis dicebamus esse compræhensa illa, quæ essent omnium temporum, distincta verò ita, vt tempus vnum esset tributum tenebris, alterum tenebris, & luci: tertium luci tantum. tempus ab Adamo vsque ad Abrahamum fuisse tenebrarum. & quæ lux fuit, ob magnitudinem tenebrarum propè non conspiceretur. tempus ab Abrahamo vsq; ad iudicium in secundo aduentu Domini, fuisset partim lucis, tenebrarum partim tempus, quod deinceps consequeretur, esset totum lucis. tempus iam tenebrarum lucem contegentium ponebatur duobus primis versiculis, antequam de die fieret mentio. tempus tenebrarum, & lucis in sex diebus: tempus solius lucis in die septimo. & hinc extiterunt tres mundi, quos diximus distingui à Petro cap. 3. Ep: secundæ. Verùm hoc caput primum Genesios complectens tempora, duo loca sibi assumebat. initium temporum, vbi ostenderet omnia, & postremum tempus, vbi ostenderet perfecta omnia denuntiata ab initio ad finem vsque temporum. Quia verò quæ sunt huius primi capitis, debuerunt patefieri postremo tempore, hoc primū cap. magis postremum tempus sibi vendicat: & tum in eius primum locum venit tertium caput, quod comprehendit summam rerum futurarum vsque ad tempus lucis dictum Sabbatissimi. Caput secundum, quæ sunt medij temporis com-

plectitur vsque ad idem tempus perpetuæ, ac solius lucis. Itaque proposita hæc sunt capite primo, & adhuc distincta capite secundo, & tertio propter distincta opera Parris, & filij, & Spiritus Sancti in tribus statibus mundi. Capite 4. narratur tenebræ partim quæ extiterunt à Cain vsque ad Abrahamum, partim à Babelistis vsque ad finem Antichristi. Cap. 5. capita filiorum lucis proponuntur, quæ opponuntur Cainistis, & Babelistis. Verum etsi extaret verbum Dei apud pios, quia tamen non erat cum solenni promulgatione, cum signis, & portentis, vt in datis promissionibus, lege, Prophetia, Euangelio. idcirco reputatum fuit vulgò tempus illud solum tenebrarum dominantibus, & vigentibus impijs vbique. hæc verò duo tempora Cainistarum, & filiorum lucis in suis enumerationibus septenis significarunt quoque tempora ab Abrahamo vsq; ad secundum aduentū Domini. tempus deinde consecutum post septenas illas familias & filiorum tenebrarum, & filiorum lucis, quod fuit, descriptum est cap. 6. & 8. vbi describitur iudicium per diluuium, atque eodem verbo, vt ait Petrus, describitur futurum iudicium in secundo aduentu Domini. Cap. 9. & 10. compræhenditur status futurus post iudicium. & assumitur status baptismi, qui fuit filiorum lucis, & filiorum Antichristi: quòd hi essent amouendi è terris post iudicium, illi deducendi in statum solius lucis. Hoc autem capite vndecimo, dum hæc eadem concluduntur, exposita sunt postrema scelera impiorum, qui perdentur in magno iudicio: & iam exponitur deinceps in hoc capite status filiorum lucis futurus post iudicium, & qui debuit fuisse ante in omnibus futuris semen Abrahæ, vt post dicemus. Itaque dum primo capite narratur fabrica mundi, exponuntur tempora rerum futurarum in mundo: & dum partes distinguntur cap. 2. 3. 4. & 5. & tempora

pora succedunt, vt capite primo sunt proposita; eti-
 am in his partibus similiter, vt in capite primo confi-
 gnantur futura. & ita semper prima nuntient futura. quæ
 prima consequuntur, nuntient pariter futura, vt semper
 omnibus temporibus nuntiarit Deus hoc ordine futura,
 vt verus Deus cognoscatur. Peruenimus ergo nos ad
 iudicium peractum contra Babelistas, in quo continere-
 tur iudicium contra Papatum: sequitur hic commemo-
 ratio seminis Sem, antequam perueniatur ad Abraham;
 & decem familiæ recensentur non commemoratis co-
 rum factis, nisi patris Abrahamæ cum ipso Abraham. in qua
 re duo mihi videntur cognoscenda. primùm signari tem-
 pus futurum seminis sancti post iudicium. & dum nil o-
 peris ponitur à Sem vsque ad Abrahamum, signari sta-
 tum illum futurum (vt quidem existimo) spiritus: atque
 homines quieturos tunc ab operibus suis, & à laboribus
 manuum suarum, vt cap. 5. proponebatur in Noë, in quo
 signabatur opus Christi in suo iudicio: nec vllam in eo
 statu futuram commutationem; sed homines contem-
 platuros, quæ erunt trium statuum, & septem ætatum:
 quæ erunt Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, & septeni o-
 peris Spiritus Sancti. deinde ostendi semen, in quo e-
 rant benedicendæ omnes gentes, vnde prodierit. de qua
 re post dicemus. Aliter adhuc assumamus ordinem ita.
 diximus primo versu primi capitis Mosem proposuisse
 summam paucissimis verbis eorum, quæ sunt vniuersæ
 historiæ Ecclesiæ à primo principio vsque ad finem. de
 inde secundo versu, vbi terra memoratur inanis, & va-
 cua: tenebræ super faciem abyssi: Spiritus Domini ferri
 super aquas; dicebamus cōprehendi tempus, quod dictū
 est legis naturæ à Petro mundus, qui aquis periit, ab Ada
 mo, vsque ad semen denuntiatum Abrahamæ. hoc iam
 præstitimus, & ostendimus in familijs ductis à Cain &

Cam: terram inanem, & vacuam. in tebris super faciem abyssi, totum genus humanum quale fuerit sine Christo: Spiritum Domini ferri supera quas, in fouendo semen filiorum Dei vsq; ad tempus promissionis. prosequamur iã illa quæ sequuntur & primũ quæ diximus signata esse tertio quarto, & quinto versu primi capituli in primo die: ætatẽ scilicet primam quando Deus solenni vocatione constituit cultum fidei in Abraham, ac in eius semine: atq; lux coepta est oriri æternæ vitæ, & summi ac veri boni credentibus. hanc ætatẽ primam, quæ est promissionis, persequemur vsq; ad Mosẽ, qui dabit initium ætatẽ secundæ.

Hæ sunt generationes Sem. Expositurus Mosẽ ætatẽ primam ductam ab Abrahamo, repetit, & assumit familias superiores seminis sancti. repetit autem à Sem. Hic quæri potest, quare non repetat altius ab alijs, & ab Adamo: deinde si debuit repetere à Sem, cur non persecutus est enumerare familias à fine decimi capituli, vbi iam enumerata erat familia Arphasat, & Sale, & Heber, & Phaleg; sed hinc nouum principium fecerit, & priora repetere noluerit. In Sem primo genito, qui coorepuit pudenda patris vestimento, significati sunt prædicatores vtriusque aduentus Domini, vt ante dictum est, & ipse dominus & dum suscepit benedictionem, comprobatus est ipse semẽ sanctum, & qui ex eadem fide regenerarentur. Vt autẽ ostenderetur quale foret semen Abraham, in quo benediceretur omnes gentes, repetitũ illud est ab eo, in quo signabatur Christus, & eius prædicatio, quique illa operatus esset, quæ essent seminis sancti, ac consecutus esset benedictionem, vt semen sanctum. Noua autem repetitio facta mihi videtur à Sem, quia in familijs positis in fine decimi capituli status secundus totus, & tertius signabantur. hinc propnè videtur etiam requiri semen Abraham vnde sit ductum, è quo ortus ipse sit, quod semen

men inquam ante Abraham fuerit. & post futurum esset. siue etiam repetitur Sem, cum interpositi fuerint hi, in quibus signabatur Antichristus; vt ostendatur reditio, quæ fieri debuit ad Christum, & ad Ecclesiam Apostolicam post expulsam Papatum. Si hîc aliter, aut aliud intelligendum sit: si quæ alia in decem enumeratis familijs, veluti in statu tertio futura sit illa cognitio, illa virtus, gratia, & opus in Ecclesia innouata, vt ea teneantur, & agantur quæ sunt Patris, Filij & Spiritus Sancti, ac septem Spirituum, qui astant ante thronum Dei, Ecclesia suo tempore dabit.

27. *Et ista sunt generatianes Therach. Therach genuit Abram, & Nachor, & Haran. Haranque genuit Loth.*

28. *Et mortuus est Haran coram Therach patre suo in terra natiuitatis suæ in Vr Caldæorum.*

29. *Et acceperunt Abram, & Nachor sibi uxores. nomen uxoris Abram Sara: & nomen uxoris Nachor Milcha filia Haran patris Milcha, & patris Iesche-*

30. *Et fuit Sara sterilis, nec fuit ei proles.*

31. *Et accepit Therach Abram filium suum, & Loth filium Haran filium filij sui, & Saram nurum suam uxorem Abram filij sui & exierunt cum eis de terra Vr Caldæorum. vt pergerent in terram Chanaan: & venerunt vsque ad Haran, & habitauerunt ibi.*

Ducitur item initium nouæ generationis à Therach. vbi existimo signari initium solennis promissionis ita ductum ab Abrahamo, vt ipse Abrahamus signetur ab alio habere, quod sibi promittitur, & datur: atque benedictionem in femine eius promissam aliunde, quàm ab ipso manare. Et quamuis id debuerit esse ostensum in repetita familia Sæ; tamen & idẽ voluit Deus nobis esse inculcatũ, vt sciamus benedictionẽ à Christo in semẽ Abrahamæ manare. siue repetetes ab initio, septies videbimus
repeti.

petuum. Ista sunt generationes. Primum ibi. Ista sunt generationes caeli, & terrae: post, hic est liber generationis Adae. Post, Ista sunt generationes Noë ter repetitum capite 6. semel, & bis cap. 10. in principio & fine capituli: post ista sunt generationes Sem hoc capite undecimo: septimo loco hic dicitur. Et ista sunt generationes Terach. Hic si quae sunt mysteria contemplabuntur alij, & alio tempore. Illud tamen mihi non videtur praeterendum, cum sit perductus Abraham (in quo imagines ad septimam generationem, praeter imaginem septem aetatum, & trium statuum, etiam ingressione in aetatem septimam, & huius constitutionem in historia Abrahami nos contemplari debere: ut tres sententiae videantur in hac historia aduerti oportere: prima, ipsius literae quae per se patet: secunda est mystica septem aetatum mundi: tertia est secundi aduentus Christi separatim. & in his duabus posterioribus multa videntur recognosci oportere; eorum quae sunt septem aetatum mundi, & separatim quae sunt ingressione in septimam. Atque haec mihi videntur causae constituendae nouae generationis in Terach, Decem autem generationes, quae ductae sunt a Sem, illis tantum enumeratis, & annis; existimo continere illud mysterium, quod exponitur in Melchisedech: hoc est, quae conspiciuntur in Abrahamo, atque in omni eius semine in septem aetatibus, & tribus statibus mundi. quae septem, & tria veniunt in numerum denarium. Item quae in Christo tanquam homine sunt, spiritualiter contemplari debeamus, hoc est, Patrem ipsum, Filium & Spiritum Sanctum in omnibus fidelibus ab initio mundi ad finem usque cognosci oportere, creare nos nouam creaturam, formare, & perficere ad sui imaginem: atque septiformem Spiritum Sanctum conducere nos ad beatam

beatam vitam, vt genus nostrum non debeamus recognoscere in homine carnali, & terreno: sed in coelesti: vt exemplum mihi proponam in Schin & in Mem, in eo scilicet homine, qui fert tria Iod. quòd ipse sit Filius Dei vnigenitus, æternus, in quo sit Pater, & Spiritus Sanctus: & qui est Mem, Messias. Et hîc attende illud Pauli. Omne nomen reuocari in vnum nomen: ex quo prodeunt omnia nominata, in quo solo nomine oporteat nos saluos fieri. cuius generatio cognoscenda est non in hominibus, sed in numero denario, in æterna diuinitate, quæ se exposuit nobis in numero trino, septeno, hos numeros proponendo nobis in creatione mundi & in operationibus peractis in mundo, & maximè in his, quæ pertinent ad hominem pium, & ad Ecclesiam. docemur genus nostrum, semen filiorum Dei ab illo regnoscendum, per quem & in quo facta sunt omnia, quæ facta sunt. Melchisedech ergo ille, in quo signatus est Christus Sacerdos verus altissimi in æternum, cum fuerit homo, ab homine debuit nasci. ex illis decem familijs videtur natus, & quia fuit semen piorum, & quia non memoratur in familijs Therach Ergo proponuntur in hoc vndecimo capite duæ generatiões: vt in altera Sem contemplemur semen Dei æternum absconditum, quod oculis non conspicitur, nec sensu alio externo percipitur: in altera patres & familias intueamur eorum, vnde secundum humanitatem natus est Christus, & in quibus continetur Ecclesia. nam ita oportet omninò considerare Deum ipsum æternum in nobis, & nos, & Ecclesiam, in qua Deus sit. siue oportet omninò recognoscere eum, qui è coelo descendit: & qui natus est homo & crucifixus pro nobis: ascenderit vbi erat prius, & ad dexteram sedeat Patris. Considerabimus & ætate septima, sunt trium, & septem. vt dicebamus in repetitione ordinis.

IAC. BROCARDI IN XI. CAP. GEN.

Et ista sunt generationes Therach. Sed ut ad generationes reuertamur, in quibus simul proponitur Therach cum Abrahamo, & Loth, & Sara in eodem opere: & de Nachor fit mentio in his, quae aguntur de Abrahamo, cap. 22. videntur hi non sine figura venire in quaedam multa, & varia opera. nam dum videmus Therachum, septimo loco repeti, ubi dicitur, istae sunt generationes Therach, reuocatur mens ad septimam aetatem: item ad septem dies descriptos cap. primo Gen: atque dum de vno Therach Patre & de tribus filiis, quorum vnus moritur, & nepos in filij locum venit: & de vxoribus Abraham, & Nachor fit mentio: videmus tres status, & Ecclesias horum statuum contemplari simul oportere. Ac primum quidem in Therach existimamus signari semen deductum in Abrahamum, & in credentes omnium temporum: vt Abraham qui dicitur pater credentium, & in cuius semine benedicendae sint omnes, gentes cognoscatur figura; quia & eius pater hic ponitur: ac deductum illud semen dicitur & in Nachor: qui Nachor non ducitur a patre cum Abrahamo, & cum reliqua familia extra Vr Caldaeorum: nec de eo vlla fit mentio, nisi post mactatum arietem loco Isaaci ab Abrahamo, quia in Nachor signatus est Christus, & Apostoli, & qui Christo aduerterint credentes: vt cognosci poterit in fine captis 22. Itaque in hoc Nachor, dum vitam absconditam videtur duxisse, & post apparet ipse, apparent duodecim eius filij; signatur Filius Dei in carne absconditus, qui in suo Euangelio genuit duodecim Apostolos. Deductum dicitur semen Therach & in Loth nepotem mortuo Aram eius patre filio Terach, vt signentur in Loth credentes secundae praedicationi Euangelicae. in mortuo autem Aram patre Loth signatur Spiritus Sanctus, qui retractus fuit ab Ecclesia,

clesia, & in eadem veluti renatus apparuit ætate septima, quando hæc facta fuit Babylonia, Vr Caldæorum: videlicet quando iurabatur in Ecclesiam Romanam anno 1577. & ante, & post: atque pij retraxerunt se ne in Principem Vr Caldæorum iurarent. Veniunt autem Abraham, Nachor, & Loth simul in eadem opera. quia opus vnius non est sine opere alterius: vt Patris opus non est sine opere Filij, & Spiritus Sancti. vt in promissionibus Abrahamæ, & in lege est Euangelium, & Prophetia: in Prophetia lex, & Euangelium: & in Euangelio lex, & Prophetia, quemadmodum videbimus. vt quæ ratio fuerit fidelibus in cultu Dei in circuncisione, eadem existat in baptismo. Et quemadmodum Abraham, Nachor, & Loth cum familia exeunt ex Vr Caldæorum ita debuerint omnes profitentes Christum exiuisse ex statu illorum, qui causa religionis comburunt homines: ite discernere se ab omnibus Euangelium Christi non amplectentibus. è tenebris obductis super faciem abyssi erumpunt, qui sunt semen sanctum, ab abyssu Papæ emergunt, recipiunt se in sua inter semen sanctum, quemadmodum ante semper factum est à Deum colentibus. *in terram Canaan.* contendendum fuit Abrahamo, & eius semini: contendendum fuit in terram Canaan à Iudæis. nam in terra Canaan prædicatum est æternum Euangeliū, & beata vita. ibi fuit initium signorum Ioan. 2. peractum à Dei Filio. in terra Canaan prædicatum est nunc quoque idem Euangelium, vt videbimus cap. 9. Isaia & 4. Matthæi. vbi ergo erit prædicatio æterni Euangelij, ibi erit terra promissa, illuc ad beatam vitam confugiendum est relictis Chaldæis, Aegyptijs, Pharisæis, & Papæis.

32. *Et fuerunt dies Terach quinque & ducenti*
Anni & mortuus est in Charam. Qui fuerunt semen
 Dei, excefferunt ex hac vita muniti fide eorum,

IAC. BROCARDI IN XII. CAP. GEN.
quæ sibi promittebantur de Patre, de Filio, de Spiritu
Sancto, quæ obtinebunt

CAPVT. XII. IN QVO

exponitur prima promissio.

PRimo, ac veteri mundo aquismerso, & per-
dito, tanquam non debeat venire in memori-
am his, qui sunt semen Sanctum; alius mun-
dus nouus à Deo proponitur, qui consigna-
tus fuit in femine Sem, & in eius generationibus, de
quibus dictum est hætenus: in quo nouo mundo fuerit
viuendum Abrahæ, ac eius semini, dum hoc semen cres-
ceret, occuparet, & obtineret totum orbem. verum ita
factum est, vt cum femine sancto oriatur simul in ma-
gnum numerum semen Cain & Cam: vt cum Iacobo
filio lucis prodierit Esaü filius tenebrarum. vnde fit vt hic
secundus mundus cursum suum conficere debeat, vsque
dum nouum iudicium adsit, quo exuratur hic secundus
mundus igne, vt prior mersus fuit aquis: atque semen
sanctum tantum existat in mundo alio, nouo, tertio. Ac vt
primus mundus videtur constitutus in ipsa creatione cœ-
li, & terræ; ita secundus pariter in femine sancto, vt di-
ctum est in generatione Sem. atque eligitur homo, ceu
tres homines, in quibus appareat opus Patris, & Filij, &
Spiritus Sancti in administrando hoc secundo mundo, &
constituenda Ecclesia; vt in ipsa narratione videbimus.
Interea petimus dum loquemur de prima ætate mundi,
de secunda, tertia, quarta, quinta, sexta, & septima, vt intel-
ligamur loqui de hoc secundo mundo, in quo septies
inueniemus verbum Dei solenne factum ad Ecclesiam;
item de tribus statibus, quod primus consignatus sit cir-
cuncisi.

circumcisione, secundus baptismo, tertius a pertione Prophetiæ, seu donatione Spiritus Sancti omnibus in Ecclesia. Ita ergo de his ætatibus & statibus intelligamur loqui, vt in secundo mundo, ni quid addiderimus, quo indicetur primus, aut tertius.

Hæc primò scripseram, postquàm verò liber fuit editus anno 1580. & 1587. imperfectus, & plenus mendis scriptorum, & impressorum: re præhensusq; fuit à quibusdam tanquam plenus impietatis, & profanationis scripturarum, & errorum Prophetiæ: atque diuisionem statum, ac ætatum, quam nos secuti novos prophetas attulimus, dixerint positam sine fundamento scripturæ, ac esse in ea noua nomina, quæ sint fugienda; visum est hic pauca esse addenda ad confirmandum tres status, postquam nouis typis fuit excudendus hic liber. In præfatione dictum est ex opere Patris, & Filij, & Spiritus distincto sub circumcissione, sub Baptismo, & sub statu restorationis omnium futuro, patere distinctionem statuum. Ibi breuiorres fuimus, quia ab Abbate Ioachimo pluribus hæc sunt exposita: & in præfatione eius longa in Apocalypsin, quomodo in Abrahamo, Isaaco, & Iacobo consignata fuerint hi status: item Pater, Filius & Spiritus Sanctus. Item cap. 1. Gen. ostensi sunt status tres, & ætates septem: nec putauit opus esse alia longiori expositione, dum ex euentu, ac rerum successibus patre debeat singulis: & sit Abbas quoque ille recognoscendus, vt cognoscatur Deus singulis ætatibus fecisse verbum suum Ecclesiæ. Verùm quia sunt, qui hæc renuunt attendere, ac novos Prophetas recognoscere; ostendam Paulum in Abrahamo, Isaaco, Iacobo indicasse mysteria trium statuum. Quòd sit distinctio inter statum circumcissionis, & baptismatis, nouerunt omnes. & ita communiter hætenus appellatus est, & appellatur status circumcissionis, & status baptismi.

Ibi verò est difficultas, an in Isaac conſignatus ſit ſtatus ſecundus, & in Iacobo tertius, quòd in Abrahamo, in quo conſtituta eſt circumciſio, non ſit dubitatio de primo. Hæc perfacienda iam ſunt ex ipſo Paulo. qui capte nono Roma: dum agit de reſtione Iudæorum, & de aſſumptione gentium, ait non omnes, qui ſunt ſemen Abrahamæ, ideo eſſe filios; ſed in Isaac vocari ſemen: hoc eſt, non filios carnis vocari filios Dei; ſed qui ſunt filij promiſſionis, hos enumerari in ſemine. vt qui prædicationi Chriſti crediderunt, indicentur eſſe filij promiſſionis in Isaac conſignificati. ſequitur deinde in Eſau, & Iacob idem fieri iudicium de filiis, qui ſunt carnis; & de filiis, qui ſunt ſpiritus promiſſionis. vbi ſignificantur credentes per prædicationem Apoſtolorum in Isaac: Et in Iacob credentes adducto tertio ſtatu. Et dum non videntur hæc ita plana capite illo nono, planiſſima ſunt cap. 4. Ep. ad Gal. ait enim ver. 28. Nos igitur fratres ſecundum Isaac promiſſionis filij ſumus. Sequitur deinde, ſed quem admodum tunc is, qui ſecundum carnem genitus fuerat, perſequebatur eum, qui natus erat ſecundum ſpiritum; ita & nunc vt in Isaac conſignificati fuerint credentes Chriſto: in Iſraële Iudæi non credentes: & in Rebecca Eccleſia Apoſtolica. Iam videndum eſt, quomodo in Iacobo conſignatus ſit ſtatus tertius. Id autem cap. 11. Rom: ostenditur ſatis planè, vbi agitur de reiectione Iudæorum non credentium, & de aſſumptione gentium, credentium. vbi ſignificatur ver. 25. futurum, vt iterum Iudæi aſſumantur, quando introierit plenitudo gentium credentium. hoc eſt quando omnes gentes in idem ouile venient Chriſti. narrat Iſaias cap. 2. futurum in nouiſſimis diebus: & item in alijs Prophetis paſſim indicatur. tunc totus Iſraël ſeruabitur ait ibi Paulus ver. 26. Omnes, qui dicti ſunt Iſraëlitæ, omnes Hebræi credent Chriſto, & ventent in

ent in idem regnum cum Christianis credentibus, & cum gentibus tunc quoque credentibus. idque confirmat testimonio Isaia, qui ait cap. 59. 20. Veniet ex Sion liberator, & auertet iniquitatem à Jacob. Capite illo Isaia, exponitur tempus, quando debuit esse iudicium in populo Dei, & fuit peruersitas. vnde ver. 17. & 18. iudicium suum exequi ostenditur Christus redemptor. & redimit ab iniquitate Jacob, hoc est credentes tempore iudicij, qui signantur in nomine Jacob. Cap. 30. Ieremiae habes id planum versu. 7. quod tempore iudicij affligentur credentes. ac peracto iudicio liberantur. & seruantur. qui significantur sub nomine Jacob. quod in Jacob tertius status fuerit consignatus credentium in restitutione omnium & in adducto regno Israëlitico. Hinc factum est. vt Prophetae narrantes opera secundi aduentus Domini, sæpè sub nomine Jacob intelligant illos, qui erunt eo tempore, quique crediderint prædicationi Euangelij, de qua loquitur Christus cap. 24. Matthei, & 13. Marci promulgandæ in eius secundæ. aduentu. de qua loquitur Paulus. 2. Thes. 1. 8. Percurrat quis psalmos, & Prophetas, & inueniet sub nomine Jacob significari manifestò credentes postremorum temporum, qui obtinebunt statum tertium. Et hoc est mysterium, quod ait se aperire Paulus Rom. 11. ver. 25. 26. Si quis iam conciderabit, & expendet ista; inueniet Paulum cognouisse tres status, & illam distinctionem in Abrahamo, Isaaco, & Iacobo; ac indicasse eandem consignatâ nobis in Mose, & in psalmis & in Prophetis: statum præsertim tertium in Iac. vt in Mose ca. 24. Num. ver. 18. & 19. illa, quæ de Israële, & Iacobo dicuntur, non visa sunt hætenus. nostris autem temporibus paucis post annis videbuntur. item quod dicitur ca. 32. Deut. u. 9. Pars enim Domini est populus eius, & Iacob fors hæreditatis eius, similiter ad postrema tempora refertur.

Idem

Idem recognoscere Psalmo 147. 7. & 52. 2. & 82. 2. & maxime 147. u. 19. ubi totus psalmus intelligitur referre ad postremam liberationem postremorum temporum, si singula rectè expendantur. In Isaia cap. 2. ver. 3. 5. 6. in Ier. ca. 11. 4. & apertissimè cap. 30. ver. 7. in Ezechielaë cap. 39. 25. necessariò cognosces in Iacob credentes futuros post Gog, & Magog perditos. Quamobrem ex hac iã doctrina Pauli cognoscimus in sacris scripturis tres status, & maxime tertium. Vnde & rectè extabit nobis interpretatio mystica, & prophetica deinceps in his, quæ exponemus in hoc toto libro. Præterea si ita habet, vt Isaac signatus sit Christus, & credentes Christo, dum immolandus Isaac ducebatur à patre; ergo & quæ erunt Leuitici, erunt quoque exponenda de Christo, & de statu secundo. His additis iam prosequamur narrationem historiae Abrahami.

I. Et dixit Dominus ad Abraham. Quòd Prophetia sit in historia Abrahami, monet Deus cap. 20. qui ait Abraham esse Prophetam. in historia igitur de Abrahamo vsque ad 24. caput, quatuor sunt, quæ mihi videntur consideranda. quæ in hoc cap. 12. distinctius complectemur. quid patres debuerint cognouisse in historia ab Abrahamo vsq; ad Christum, & Ecclesiam Apostolicam. Quæ comparatio sit huius historiae ad primum caput Geneseos: quæ deinde ad omnes adhuc ætates mundi: quæ ad tempus nostrum, quo ingredimur in septimam. Patres nostri cognouerunt & cognouisse debuerunt, primū, quidnam significabatur in terra promissa. Et hoc exposuit Paulus cap. 3. & 4. Ep. ad Heb. quid intelligendum fuerit in semine Abrahamæ, quid in eius propagatione, quid in benedictione, quæ omnia exponit Paulus in Epist. ad Romanos. alibi cognouisse debuerunt in repetitione promissionis Deum repetiturum verbum suum, & opus certis

certis, & statutis ætatibus, multiplicandum semen Abrahamæ singulis ætatibus : futuros impios aduersarios populo Dei similes ijs, qui narrantur : atque vt summam dicā, omnia, quæ in hac historia narrantur, fuisse vmbra rerū futurarum : vt cognouit Abraham, & monet ipse Deus, vt cap. 15. videbimus. Non est autem necesse plura hîc de his verba facere, quia in exponendis tribus reliquis propositis, hæc quoque erunt exposita.

Videndum verò est, quæ comparatio sit huius historiae Abrahami ad primum caput Geneseos: & pariter ad secundum & tertium. Vt lux expandit circumquaque, & quàm maximè longè splendorem suum; sic lux diuini verbi in infinitum extenditur: Quare lux illa, de qua dictum est, sit lux in creato mundo, expandit se in omnes ætates mundi, & in æternitatem prodijt nobis ab æternitate, atque in creato mundo attulit nobis quoque imaginem increati mundi. Cùm ergo nunquam fuerit, quin semper extiterit lux diuini verbi; tamen post creatum cœlum & terram, & post terram inanem, & vacuam, & abyssum circumfusum tenebris, & post Spiritum Dei expansum super omnes gentes, non aliter ab hominibus conspectum, quàm ventus delatus per magnum aëra fuit visum nostrum, post hæc inquam se audiendum præbuit diuinum verbum in mundo solenni promulgatione. quamuis enim ante locutus sit Adæ, & Noë, siue etiam alijs, hîc tamen ita loquitur, vt fundamenta iaciat Ecclesiæ suæ in mundo, quæ ab initio apud se constituta fuerat: vt semen illud filiorum Dei, quod fuerat ante absconditum, proferat in lucem, publico decreto in illo firmet Ecclesiam, in qua eius verbum & opera illucescant, vt luminaria in cœlis, quod verbum & opera, dum lucent in Abrahamo, lucere debeant in omnibus, qui per eandem fidem in semen Abrahamæ venerint. Lux ergo diuini verbi

verbi firmata in Abrahamo, lucet omnibus omnium ætatum fidelibus, vt solis lux attingit quasque extremas partes, mundi: veluti lux diei omnibus seculis perseverat, magnum ac iucundum suum bonum præstare hominibus, atque omnibus animantibus. non memorabo hinc illa. Ego sum lux mundi: populus qui ambulat in tenebris, vidit lucem magnam, & alia quæ in luce signant verbum Dei, Dei Filium, quæ nota esse debent omnibus. Quamobrem conferentes lucem, quæ oritur in Abrahamo à Deo cum luce septem dierum primi capituli Geneseos, lux primi diei, erit lux, quæ hinc promittitur in Abrahamo omnibus fidelibus, vt separandi sint à statu impiorum versantium in tenebris, & in morte: regenerandi novæ creaturæ in Christo, vt sint filij Dei: consecuturi certis gradibus temporum possessionem terrarum, vt tandem totum terrarum orbem obtineant: ita eorum genus in Christo augeatur & vincat, vt soli pii obtineant orbem in sabbatismo, tandem obtineant cœleste regnum Dei Patris in eodem Dei Filio Iesu Christo: in quo fuerint electi, vocati, iustificati & magnificati. & hi dicti sint filij lucis, geniti ex ea luce, de qua dictum est, sit lux.

4. *Et abiit, Abram.* Vt dictum est, sit lux, & extitit lux; sic factum est in Abrahamo, & in omnibus credentibus, quod in cordibus eorum illuxit Deus. Dicebamus in exponendis operibus sex dierum cap. primo. Gen. quæ sunt lucis primi diei, perducere vsque ad finem septimi, & ita quæ sunt aliorum: Similiter hinc prima promissio perducatur ad postremam ætatem, ita quæ sunt secundæ, & tertiæ, & deinceps, vt omnia ducantur in septimam. vbi ædificabitur altare, & offerretur sacrificium iustitiæ. Interea cultus fidei in eorum cordibus est ædificatus, & confirmatus, in quorum cordibus erat spes certa de semine, & vt more Apostolico loquamur, in quibus erat
Christus.

Christus: & secundum fidem Abrahamæ, & Apostolorum innouanda fuit nunc Ecclesia, & constituendus cultus ingredientibus nobis in septimam ætatem.

7. *Apparuit autem Dominus Abrahamæ.* Vt ter ostendimus nomen Dei repiti in quoq; die primi capitis Geneseos; sic quæque promissio habet hic, vt videbimus, suas repetitiones. id fieri dicebamus cap. pro Gen. vt Pater, Filius, & Spiritus Sanctus significarentur. idem hic quoque intelligendum est. atq; adhuc addimus varia rerum genera hic poni, vt in ipsis signentur varia opera Patris, & Filij & Spiritus Sancti in vno opere. item vt quædam res distinctæ etiam signentur pertinentes ad septem ætates: vt videbimus dum septem ætates mundi percurramus in repetitionibus promissionum Dei. Vt deinde sunt septem dies in primo capite Geneseos ita hic septem promissiones ponuntur, quæ illis diebus respondeant. in qua collatione aduertendum erit dies promissionibus respondere, & has illis: quod in vtrisque eadem signentur, & intelligantur. noctes respondent statui impiorum, & malis quæ ab illis inferuntur pijs. quæ præterea in illis diebus & noctibus memorantur, respondere his, quæ narrantur in hac historia Abrahamæ, vt lux bona vocata sit benedictio, & beata vita donata in his promissionibus Abrahamæ: separatio lucis à tenebris sit seiunctio piorum ab impijs, hominis spiritualis à se ipso carnali, qui fuit ante. appellatio diei, ac noctis sit professio publica filiorum lucis, & filiorum tenebrarum. Secundo die facta fuit diuisio aquarum: & hic cap. 13. fit diuisio inter Abrahamam, & Lothum: vt signentur quidam pij versari inter impios, & quidam seiuncti ab impijs contineri in suo statu extra impios: vt fuit Iacob inter impios, Ioseph inter Aegyptios, Moses inter Phillistæos, credentes tempore Apostolorum in medio nationis prauæ, & Euangelici inter Papistit tot anno:

Sed Ecclesia non vocabatur nisi vbi fuit status piorum, quæ fuit constituta ætate secunda per Moſem totius populi Iſraëlitici. ideo ad Abraham fit ſecundò eadem promiſſio cap. 13. & in pane, ac vino oblato ſignificatur ſtatus conſtitutus in populo Dei, & Chriſti Ieſu: qui ſtatus, & Eccleſia legibus Dei conſtituta vocatur cap. primo Gen. firmamentum, ſive cælum. Tertio die terra profert fructus: & cap. 15. promittitur, & ſtatus, in quo florebunt credentes diuinis bonis allatis per Meſſiam. & hæc longa narratione exhibentur in Prophetis nuntiis quæ ſunt duplicis aduentus Domini, dum à ſeruitute Babylonica liberatur populus Dei.

Quarto die fit ſol, & luna, & ſtellæ. Et hic cap. 17. promittitur hæres Abrahamo, qui fuit quarta ætate lux mundi, & verus ſol Chriſtus. in quo ſalui ſunt credentes omnium temporum, & in quo datus eſt etiam dominatus mundi Eccleſiæ, qui obtinebitur in fine temporū. Quinto die procreantur aquatilia, & aërea animalia, in quibus ſignabantur Eccleſiaſtici ætatis quintæ, Papa, & Papæ ſignati cap. 18. in Sodomæis, qui cum debuiffent conſtituere regnum Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, erexerunt tyrannidem Antichriſti, & abominationem poſuerunt, vbi erat Rex Salem, in quem abominabiliter peccare voluerunt abominabiliter alias peccantes. at promittitur incenſio Sodomæ in aduentu ſecundo Domini ſignato in duobus Angelis.

Sexto die creantur beſtiæ terreſtres, & homo. Dum a deſt ferus ſtatus Papiſtarum, paratur regnum Patris, & Filij, & Spiritus Sancti conſtituendum ætate ſeptima. quod ſignabatur in homine creato ad imaginem, & ſimilitudinem Dei. cap. hic 21. in Chriſto renaſcuntur credentes, obtinent promiſſa reiſciendi ſtatus Papiſtici. Nam perdentur Papiſtæ illi qui ferarum, & Sodomitarum

rum retinent mores, & statum. non miscbuntur hi cum femine sancto. qui non credunt Euangelio, nec secundū illud viuunt, subibunt iudicium hypocritarum.

Septimus dies totus est lux, & sabbatismus, & benedictio, in qua datur hic cap. 22. Christus lux æterna natus pro salute nostrā, & mortus pro peccatis nostris, & qui secundo venit crucifixus iterum in membris suis, & resurrexit in iisdem, & iudicauit mundum: attulit perpetuam lucem populo Dei, benedictionem, & sanctificationem Sabbatismi. attulit omnia promissa ante patribus.

Conuertamus iam animum, & mentem ab his, quæ fuerunt ante Abrahamum, ad ea, quæ post consecuta sunt in septem ætibus mundi, ducentes initium à prima, quæ signata fuit in Abrahamo in primis, & in prima promissione. dicamus igitur in hoc 12. cap. signari primam ætatem mundi ductam ab initio constitutionis Ecclesiæ in vno homine Abrahamo: vt secundum veritatem intelligatur constituta in vno Christo iam ab inirio mundi, atque etiam ante mundum.

ARGUMENTVM IN

CAP. XII.

A Etas prima significatur, eiusque progressus: vsque ad septimam.

1 Et dixit Dominus ad Abram. Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui ad terram, quam videre faciam te. Primū iubemur exire è patria, è familia, è domo patris nostri. nam quod iubetur Abrahamæ, iubetur omni eius femini, & credentibus: vt spoliemur omnes veteri homine, quem circumfe-

runt gentes, & quicumque sunt extrâ promissiones. veterem hominem duximus à parentibus nostris, à maioribus, ab Adamo primo homine. iubemur ire ad terram, quæ nobis ostendetur, iubemur renasci in lege & verbo Dei, in eius fideli populo, in Ecclesia, in eius tandem regno: vt hæc ostendantur nobis per Euangelium datum in terra ante promissa, in qua terra signabatur Euangelium, quod ibi esset prædicandum.

2. *Faciamque te in gentem magnam, & benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum, erisque benedictus.* Quam magnam factum sit semen Abraham, viderunt Aegyptij, Cananæi, Philistæ, & alij: vidimus in populo Christiano, videbimus in regno Israëlitico futuro. quanta donata sint vidimus, & videbimus in postrema ætate. quæ iustitia & sanctificatio donata sit in Christo, docent Apostoli, vt etiam vocemur, & simus filij Dei, & hæredes Christi. Quantum magnificatum sit nomen Christi, docuit Paulus; & vidimus quantum dominatum, & nomen obtinerint Christiani, & videbimus futuris temporibus hæc omnia magis, & obtinebimus. Vt fuit benedictus Abraham, & iustus habitus à Deo, eandem benedictionem & iustitiam assequuntur, qui vt Abraham fuerint regenerati. Duo versiculi qui sequuntur exponunt, quid intelligendum sit in verbis illis, & eris benedictus, siue benedictio.

3. *Benedicam benedicientibus tibi & maledicentibus tibi, maledicam. & benedicentur in te omnes familie terre.* Quæ maledictio secuta sit Aegyptios & alias nationes, & Iudæos, qui & Christum & Apostolos interfecerunt, historia docet. atq; nunc incipimus videre in Papistis, & videbimus iudicium Dei. quale futurum sit contra novos Cauanæos, & Amorraeos maledicentes Euangelicis.

Et benedicentur in te omnes familie terre. Hoc quod
 *coceptum

coeptum est ætate quarta per Euangelicam prædicationem promulgari propè in toto mundo, & effici, perficitur in innouata Ecclesia & in regno Israëlítico, quando vniuersæ gentes profitebuntur Christum in eius Ecclesia. Hæc cognouit, & ita intellexit Abraham, Isaac, & Iacob, & Ioseph, & eius fratres: quæ omnibus Christianis prædicata sunt in Euangelio. vidit enim Abraham diem Christi. & gauisus est: vidit inquam primum, & secundum eius aduentum quando, patuit ipsum esse benedictione, & sanctificationem omnium credentium.

4. *Et abiit Abram quemadmodum ad locutus est ad eum Dominus: & iuit cum eo Loth. & Abram filius erat quinque anorum & septuaginta annorum, quando egressus est de terra Charan.*

5. *Et accepit Abram Saram uxorem suam, & Loth filium fratris sui & omnem substantiam, quam acquisierat, & animas quas fecerant in Charan. & exierunt, ut pergerent in terram Chanaan: & venerunt in terram Chanaan. Fide renatus est Abraham, & qui fuerunt eius semen, ut dictum est antè. ex hoc loco, & ex similibus dixerunt Apostoli. nolite confirmari huic seculo, exiite veterem hominem & talia. omnes in eadem Ecclesia eadem debent fecisse. & satis sit, quæ signantur digito, ut dicitur, indicasse.*

6. *Et transiit Abram in terram vsque ad locum Sechem vsque ad quercum Mambre: & Cananeus tunc erat in terra. Hinc illud, tanquam in medio nationis præuæ. fuit Christus, fuit Ecclesia Apostolica, fumus nos Christiani, & ante, & hoc tempore inter Cananæos. ut videbimus in Prophetis fuimus sub tyrannis. quod signatur in quercu, seu querquetu ut, videbimus in Zacharia cap. 11.*

7. *Apparuit autem Dominus Abraham. & dixit Semini tuo dabo terram hanc. Hinc Paulus: apparuit benignitas, & hu-*

nitas saluatoris nostri Dei. & Ioannes epistola. prima, quod vidimus oculis nostris. Quod Deus vocarit nos ad nos venerit, nihil nobis suspicantibus, nobis apparuit, & attulerit gratiam; debuerunt docuisse viri Euangelici. dicamus nos hinc signari in terra Canaam Euangelium prædicatum à Christo in eadem terra inquam ingressus est aliquando populus Hebræus; & ibidem miracula magna edidisse. quod vidit Abraham, vt ait Christus. Abraham vidit diem meum. In Christo autem datur & salus, & regnum Israëliticum, & æterna vita. in Christo inquam Hierosolymis crucifixo. atque hæc est terra, quæ datur semini Abrahamæ. non enim ibi requies fuit in terra Cananæorum; sed in terra de qua loquitur Paulus 3. & 4. Heb. Vbi prædicatur Christus in primo, & secundo aduentu, ibi apparuit terra Canaam.

Et edificauit ibi altare Domino, qui apparuerat ei. Hoc est cultu Euangelico coluit Deum, fide & charitate: in suo altari, & in victimis Christum cognouit victimam pro peccatis suis & omnium credentium. intellige iam vbi futura fuit prædicatio Christi, & Christus prædicans, ibi posuisse Abraham altare eundem Christum complectendo, & eius prædicationi Euangelicæ credendo, & Deum in Christo colendo.

8. *Et transtulit se inde, ad montem ab oriente ipsi Bethel amari, tetenditque tabernaculum suum: Bethel, à mari & Hai ab oriente, & edificauit ibi altare Domino, & inuocauit in nomine Domini.* Quocunque ibat, idem erat, & fide, & charitate erga Deum & proximum: eadem spe sustentabatur, qua Apostoli: in tabernaculo Ecclesie Christi viuebat semper. Christum inuocabat. & in Christo Deum Patrem. idem omnes vbique & semper debuerunt agere

agere, qui semen Abrahæ fuerunt, vbicunque fuerunt inter impios, debuerunt habuisse cultum separatim ab alijs.

Quæ in cultu Abrahæ diximus, & promissionibus, possunt reuocari ad secundum aduentum Domini ita.

1. Vt diuisio oportuerit fieri credentium prædicationi Euangelicæ à non credentibus, quando coepta illa fuit in Germania per Lutherum.

2. Sequi Christum, & expectare eius promissa.

3. Quòd maledictio consecutura esset non credentes, benedictio credentes, qui seruantes pacta, obtinent promissiones Dei.

4. In 75. annis Abrahæ, quos agebat, quando egressus est ex Haram, & perueniet in Canaam, fortè signatur tempus à prædicatione Lutheri vsq; ad Euangelium, ac cultum perductum ad fines imperij Christianorum.

6. Quæ prædicatione obtinuit Galliam, obtinebit & totum imperium. Cananaus erat tunc interra. Papatus qui adhuc erat in imperio, inde quoque pelletur.

7. Nam contrà sibi aduersantes ostendet se Christus regem regum, Dominum dominantium, qui tradet regnum, quod sub coelo est, populo sancto altissimi. tunc edificabitur vbique altare: constituetur cultus Euangelicus secundum prædicationem Apostolicam à prædicatoribus ante denuntiatam. Hæc fuit spes omnium credentium.

8. *Et transtulit se inde.* Significatur sedes regni Christi deducenda (vt videtur) Venetias: vbi sit locus, quem elegit Dominus vt videbimus in Prophetis, in Isaiâ 28.

29. & 30. vt non Romæ, non vbi fuit antè, sit sedes regni Christi. si sit futurus alius locus concilij publici tempus aperiet.

Aedificauit ibi altare ipsi Iehoua. Vbi erit concilium
Aaa consti-

constituitur disciplina Ecclesiastica confirmato cultu
Euangelico constituto in Gallijs. secundum inquam illa
quæ ibi constituentur per concilium Euangelicorum,
colètur Deus, & erit vera disciplina.

9. *Perexitque Abram eundo, & proficiscendo ad meridiem.*
Significatur constitutio status politici: quæ ibi quoque
erit constituta, & confirmata: quando ex omnibus locis
populi Christiani conuenerint omnes credentes in vnam
fidem: ac perfecta fuerit liberatio populi Domini. erit
tunc constitutio secundum legem Dei, & Euangeli-
um status Ecclesiastici, & politici. Spiritu Sancto agèn-
tur omnia in omnibus, quæ erunt vtriusque status.

10. *Et fuit fames in terra.* Quoniam filij Israël debue-
rāt ingredi in Aegyptū ob famem, & ipse Israël ob famē
antè ingressus est in Aegyptum. Dei consilium videtur fu-
isse, vt propter filios Lucis, filij tenebrarū signarentur per
dēdi: eorūq; bona, ac regna aliquandò occupanda à pijs.
ac interea virtus piorū exerceretur, & probaretur per im-
pios. imo verò vt gloriā suā ostenderet Deus in puniēdo
impios causa piorum, quemadmodum ait ipse Deus in
Exodo. indè primus dies extat tenebris & luce. Quod au-
tem Abraham velit, vt Sara dicat se esse sororem, & non
vxorem: omninò videtur esse dissimulatio. id indicabit
futurum, vt pij aliqua certo tempore, & certa occasione
simularent, & dissimularent apud impios, vt Ioseph &
Iudith. Signatur Christus visus dissimulasse Ecclesiam v-
xorem suam apud Iudæos, & apud Papistas, dum ab his
fuit illam vexari. Verūm perseuerantibus vtrisque in
impietate, quandò venit tempus, vt obtineat Christus
Ecclesiam totam, dum multa mēbra oppressa sunt, vtrof-
que punit Christus, & Hebræos & Papistas. Fuit vero
hoc nostro tempore plurima simulatio, & dissimulatio in
nobis.

CAPVT XIII.

IN promissione secunda, secunda ætas, & eius progressus vsque ad septimam circumscribitur.

1. *Et ascendit Abram ex Aegypto ipse & uxor eius, & omnia quæ ei erant: atque Loth cum eo ad meridiem.*
2. *Et Abram diues eeat valde in pecoribus, in argento & auro.* Dum egreditur Abraham ex Aegypto; videtur signari secunda ætas: atque ex eadem Aegypto egressio populi Israëliti cum Mose perrusso Pharaone & Aegypto. ac vt diues exit Abraham, ita exeunt onusti spolijs Israëlita.
3. *Et perexiit per profectiões suas à meridie vsque ad locum Bethel, vsque ad locum, vbi fuerat tabernaculum eius in principio inter Bethel, & inter Hai.*
4. *Ad locum (scilicet) altaris, quod fecerat ibi in principio & inuocauerat ibi Abram nomen Domini.* Dum iubemus exire è domo patris nostri, spoliare veterem hominem, induere nouam vitam: ecce inuenimur adhuc esse in Aegypto, versari inter tenebras, inter status hominum, & regna impia. vnde oportet vt | recedamus: sæpè & sæpius separemus nos à peccatoribus & impijs, vsque dum perueniamus ad patriã coelestem: atq; ante ibi agamus, & cum his simus, qui sunt Ecclesia Christi, & Dei regnum. Lex data enim ætate secunda, in qua continebuntur illa, quæ fuerant promissionum, fidei, & cultus Abrahamæ. oportet ergò dum ætate secunda constitutus est status publicus & liber in populo adaucto Israëliti, ita versari in Lege & ceremonijs Mosaicis, vt cultus Fidei, qui fuit in promissionibus, retineatur. vnde repetitur versu

quarto idem, vt in Lege intelligatur Fides, quæ fuit Abrahamæ in promissionibus, quæ promissiones quoniam erant de Christo, ergo & in Lege, ac Ceremonijs vbique Christus erit cognoscendus, vt semper idem altare, & tabernaculum habeamus; retineamus semper eundem cultum Fidei in eadem Ecclesia. quæ quandò agemus, obtinebimus copiam bonorum, ac status, qui obtinentur à gentibus. Et hîc attendamus literam, vbi dicitur inuocauerat ibi Abraham in nomine Domini, de qua inuocatione dictum est cap. 4. in fine, vt noscas illud Christi. Abraham vidit diem meum. quem vidit & Enos.

5. *Et etiam ipsi Loth ambulanti cum Abram, fuit pecus, bos & tabernacula.*

6. *Et non ferebat eos terra vt habitarent simul. quia erat substantia eorū multa, & nequibant & habitare simul.* Fuit similis diuisio tribuum Gad & Ruben, & dimidiæ tribus Manassés à cæteris tribubus quantum ad regionum, & sedes attinet, præsertim cùm hi obtinuerint regiones Moab & Amon. atque labente tempore susceperint hæ tribus mores Moabitarum & Amonitarum. & ex filijs Israëli facti sunt Moabitæ & Amonitæ. Idemque euenit post Christum (vti qui habitauerunt vt Loth apud Sodomitas) facti sunt multi Sodomæi, Moabitæ, & Amoræi, de quibus tanta loquuntur Prophetæ, vt videbimus. Hæc infra cap. 9. signantur, quæ idcirco hic memoro, vt ratio pateat diuisionis Loth ab Abrahamo: vt signaretur illa diuisio tribuum, signaretur & diuisio, quæ fuit hoc tempore, dum prædicatur id, quod signatur in Bethel & altari, & tabernaculo Abrahamæ: hoc est idem Euangelium, quod prædicauit Christus & Apostoli. nam credentes prædicationi Euangelicæ, non possunt omnes simul esse in ciuitatibus, & oppidis, vbi sint solum Euangelici: sed plurimi habitant inter Papistas.

7. *Et fuit contentio inter pastores pecoris Abram, & inter pastores pecoris Loth. & Cananaus & Phereſaus habitabat tunc in terra.* Nam dum prædicatur Euangelium, ubi q; est dominatus Papæ, & imperij & aduerſantium prædicationi Euangelicæ. ſunt & inter profidentes Euangelium contentiones, & diſſidia. quod magis exiſtimo hîc eſſe intelligendum.

8. *Et dixit Abram ad Loth, ne qua ſit contentio inter me & inter te, & inter pastores meos, & inter pastores tuos, quia viri fratres ſumus.* Factum eſt igitur, vt Euangelici habitarent inter Papiſtas, vt olim Iſraëlita inter Cananaeos, & Phareſæos. vt vidimus in Germania ſuperiori, in Heluetia & Rhetia, & in alijs locis multis, vbi ſignificantur multiplicati credentes prædicationi in magnum numerum, ac diſſidia etiam inter hos fuiſſe.

9. *An non tota terra eſt coram te? ſeparate quaſo à me. ſi tu ad ſiniſtram, ego ad dexteram; ſi tu ad dexteram, ego ad ſiniſtram ibo.* Qui maiori ſunt fide & Charitate, vitant contentiones, concedunt alteri multa, vt pax inter profitentes eadem, ſeruetur.

10. *Et leuauit Loth oculos ſuos, & vidit omnem planitiem Iordanis, quòd tota eſſet irrigua, antequam Dominus diſperderet Sodomam & Gomorrhã, ſicut hortus Domini, ſicut terra Ægypti ingrediente te in Segor.*

11. *Et elegit ſibi Loth omnem planitiem Iordanis: & profectus eſt Loth ab oriente. & ita ſeparauerunt ſe alter ab altero.*

12. *Et Abram habitauit in terra Chanaam, & Loth habitauit in urbibus planitiæ, & tetendit tabernaculum uſq; Sodomam.* Et dum Loth ſumit ſibi planitiem Iordanis, Abraham terram Canaam, videntur ſignificari duo loca, in quibus libera fuit initio prædicatio Euangelij: vt in Germania & Heluetia, quòd verò planities Iordani dicatur fuiſſe

fuisse vt hortus Domini antè euerfionem Sodomæ, & Gomorrhæ; indicatur futurum magnum iudicium in la-
ta valle, quæ dicta est Iofaphat, & de qua cap. 19. ait an-
gelus Loth. ne respicias post te, ne stes in tota planitie,
magna siquidem eritibi strages. Qui Euangelici parie-
rint dissidia, & imitati fuerint Papistas, videbuntur in val-
le non satis sibi prospexisse, vt vxor Loth.

13. *Et viri Sodomæ erant mali, & peccatores Coram Domi-
no valde.* Quæ quidem strages erit ob peccata Sodomæ, &
Aegypti. peccata autem hic non memorantur: sed cap.
19. peccatum Sodomæ patefit, vbi scelerate appetuntur
Angeli, & homines. & Ioannes cap. 11. Apoc. intuens
hunc locum Mosis, ait. Sodomæ, & in Aegypto crucifi-
xum esse Dominum nostrum. propter quæ peccata futu-
rus dicitur terræmotus magnus, & ciuitas rui, & homi-
nes interfici. & capite 19. exponitur incendium, quod
inuadet vrbes, & magnâ vallem. Peccatum iam Aegyp-
ti, vbi dictus est crucifixus Christus, sunt cædes vniuer-
sales factæ in Gallia, & alibi mēbrorum Christū, peccatū
Sodomæ est peccatum spirituale non solum carnale, quo
abuti volunt Sodomæi mēbris Christi. ac dū Christus in
suo secundo aduentu adest, volunt vt ipse sibi subijciatur,
vt eius Euāgeliū sit hæresis, veritas sit cultus Papæ. & hoc
patebit in poena, & iudicio futuro. quia verò & qui cædes
vniuersales faciunt, & qui Euangelicos subijciunt libidi-
ni Papæ, sunt ijdem. coniunxit simul Ioannes cap. 11. A-
pocal. Sodomam, & Aegyptum. Vnde qui hæc duo fa-
ciunt, veniunt simul in nomen Sodomæ, & Aegypti. ma-
xime verò illi, à quibus incipiet iudicium. Coeptum est
quidem aliqua ex parte in Gallia. Sodomæ erit incen-
dium vbi est supremum iudicium Christianorum, ibi
videtur futurum initium iudicij ignis. Quamobrem
attendant principes, dum tempus datur, vt corrigantur
errata

errata. Ait Deus. Ier. 4. Israël si abstuleris abominatio-
nes tuas à facie mea, non dimoueberis: sin minus, ignis &
gladius aderit. Illud caput totum legant & perpendant
reges, & omnes qui administrant statum publicum, & qui
imitantur Papistas. Dicebatur ante.

Sicut hortus Domini, sicut Aegyptus. Hortus Domini
videtur signare Ecclesiam in qua sit copia bonorum, com-
moda, & oblectamenta & Spiritualia, & terræna: quæq;
Ecclesia fecerit idè, quod Adamus; ac secuta sit Aegyp-
tios, & Aegyptum. Inter Sodomæos ergo, & Cananæ-
os, & Pharaones versati sunt diu credentes prædicatio-
ni Euangelicæ. qui illos imitantur, pereunt. qui perstant
in cultu Dei, liberantur, vt Loth. non subeunt vicem eius
VXORIS.

14. *Dixitque Dominus ad Abram, postquam separauit se
Loth ab eo. Leua nunc oculos tuos, & vide à loco in quo tu es
ad aquilonem, & ad meridiem, & ad orientem, & ad mare.*

15. *Quia omnem terram, quam tu vides, tibi dabo eam, &
semini tuo vsque in seculum.*

10. *Et ponam semen tuum sicut puluerem terræ. quia si pote-
rit quisquam enumerare puluerem terræ, etiam semen tuum nu-
merabitur.* Omnibus ætatibus, & in quouis statu mundi,
promissiones fuerunt ad eos promulgatæ, apud quos
fuit Ecclesia: siue qui vocati sunt ad Ecclesiam constitu-
endam: vt Abrahamus, Moses, Prophetæ, Apostoli, &
alij. Ergo Abrahamo persequitur Deus promittere, in
quo cœpit post diluuium suas promissiones ante fa-
ctas confirmare, & in quo constituebatur Ecclesia, & cul-
tus diuinus. Quæ autem promissio facta est Abrahæ:
& quæ ostensio terrarum; eadem Mosi, & toti populo Is-
raëlitico deinceps sunt promissa, & ostensa. ac eadem
promissio ad omnes credentes vsque ad postremam æ-

tatem

IAC. BRŒCARDI IN XIII. CAP. GEN.
tatem pertinet. vnde ad nos hanc promissionem Abra-
hæ reuocat Daniel: vbi ait, Regnum autem, & pote-
stas, & magnitudo regni, quæ est sub toto cœlo, dabi-
tur populo sancto Altissimi: regnum eius regnum æter-
num, & omnes potestates ei seruient, & obedient.

17. *Surge, & perambula terram in longitudine eius, & in
latitudine eius, quia dabo tibi eam.* Progressionem facit po-
pulus Dei ab ætate ad ætatem, vsque ad septimam: pro-
gressionem facit in donis: accipit verbum promissio-
num, legis, Prophetiæ, Euangelij, & apertionem libro-
rum: augetur populus in cursu temporum: obtinet regi-
ones, & populos vsque dum occupet, & possideat om-
nes terras, quanta earum est latitudo, & longitudo.

18. *Et mouens tabernaculum Abram venit, & habitauit
in quercubus Mambra, quæ sunt in Hebræ, & edificauit ibi
altare Domino.* In vno homine ponit semen Deus, vnde
nascuntur filij Dei, & populus, qui complexurus sit om-
nes terras. vnde opus suum facit Abraham, & eius filij,
ac nepotes omnibus ætatibus, vt euertant impietatem,
& idolatriam. erigant cultum Dei, & Christi Iesu. qui
solus fit rex, & Dominus in terris perditis tyrannis. in
querquetu intelligo tyrannos, qui se Deos faciunt, qui
omnes in interitu Antichristi concident: perseverabunt
vero in regno Christi reges, qui suscipient Christum, &
eius Euangelium.

CAPVT XIII.

HISTORIA autem in diebus Amraphel. Histo-
ria per se patet. quantum autem ad secundam
ætatem, & ad tempus Moÿsis attinet, signan-
tur perturbationes, & bella: quæ describun-
tur in

tur in libris Numerorum : maledictio Balaam conuersa in benedictione: quæ benedictio signatur hic in Melchisedech, & simul in ea adumbratur æternum sacerdotium Christi, dum apud Mosem temporaneum fuit constitutum. in quo tamen item Christus significaretur verus solus summus sacerdos. De his sacerdotijs agit Paulus, vt nobis non necesse sit multa verba facere; nisi advertere ordinem, & dispositionem mysteriorum Dei, atque eius verbi. Quoniam bis capite 12. locutus est Deus Abrahæ, & semel cap. 13. existimo quoq; cap. 13. vbi loquitur Deus Abrahæ, antequam ab eo separatus fuit Loth, deductam narrationem non solum primæ ætatis in secundam; sed & secundæ in tertiam, & deinceps. nam quod Loth habitauerit inter Sodomæos, signatum esse pariter populum Dei habitasse inter impios: non solum dum tribus Ruben, Gad, & dimidia Manasses habitauerunt inter impios, sed & postquam populus Israëliticus obtinuit regnum & versatus est inter Cananæos, Philistæos, & similes: à quorum seruitute, & oppressione sæpè liberauit illum Deus, vt historia Iudicum, & regum docet. Quare hoc capite mihi videtur separatim signari etiam tempus consequens Prophetarum, & deinceps: præsertim cum à Patre Prophetarum Mose continuatio quædam ostendatur in alios Prophetas: vt à Lotho liberato per Abrahamum perueniatur ad filios Israel liberatos per Mosem, & ad liberatos per manum Dei captiuos regis Babylonis, & Regis Assyriorum. Et quoniam tota historia ætatis secundæ, & tertię, & vaticinia Prophetarum conferuntur ad signanda, & narranda opera in primis secundi aduentus Christi; omne opus Abrahami, quod agit in liberando Loth captiuum; totum opus Melchisedech, & benedictio signant opus Dei etiam in liberando Ecclesiam tempore martyrii à tyrannis,

IAC. BROCARDI IN XIII. CAP. GEN.
& nunc in liberandō Euangelicos captiuos Papatus: & opus Christi Iesu in innouanda Ecclesia, repetita iterum eius prædicatione Euangelica. Singularem interpretationem facti & pacti Abrahamæ cum Sodomæis, quæ conueniat postremis temporibus, attendant illi, apud quos sit summum iudiciū Christianorum, in primis Episcopi Electores debebunt contemplari, quæ in his capitibus narrantur. Nam foedus, quod fuit Abrahamæ cum Sodomæis signat foedus, quod fuit Protestantibus cum Papistis in Germania. Significatur quidem Christus defendisse semper Papatum, & imperium, contra omnes gentes alias, & simul seruasse credentes, qui fuerunt in imperio, & Papatu, & propter hos pugnasse pro illis, nam suos seruari voluit Deus: vnde in Prophetis moniti sunt Euangelici, vt precentur Deum pro ciuitatibus, in quas confugerint. Initio Ecclesia Romana, imperator dederūt gloriā Christo, dū Imperator occurrit obuiā Christo. verūtamē sequētibus ætatibus facti sunt multi peccatores, & substantiā regni, vt petūt in fine capitis dicemus, à quibus liberat nūc nos Deus & restituit Ecclesiam Christi & regnū Israëliticum. Nā quæ sunt promissionis, quæ sunt lucis primi diei, perducuntur vsq; in ætatem septimam, similiter quæ sunt ætatis secundæ emanāt in ceteras ætates vsq; ad septimā. Ergo dū Loth habitat inter Sodomæos, & Gomorræos, signatur & quinta ætas, hoc est qui permanserunt in prædicatione Apostolica inter Papiſtas agētes. signatur & finis sextæ, & principiū septimæ ætatis, dū impij bella gerunt, è quo bello eripiuntur Euangelici per exercitum Dei exercitum, qui pugnat in his, qui sunt semen Abrahamæ, & in quibus agit vis Spiritus Dei. Suo tempore patebit proprium factum Christi significatum in Abrahamo eripiente Loth à captiuitate, & percutiente eos, qui captiuum faciunt populū Dei: patebunt & loca vbi

ca ubi opus fiet. Pugnat autem Abraham, & non Loth, quia pugnant iam Euangeici statum obtinentes, & Ecclesiam. nō pugnant alij inter Papistas agentes, quōd sint inter eos, qui non possint cogere Ecclesiam & populum. Liberabuntur autem hi à seruitute per illos, qui ministri constituti sint à Deo in parando statu liberoi Israëlitico, & in constituenda Ecclesia illis ait Spiritus Sanctus. Nisi quis ædificauerit domum, & quæ sequuntur, Euangelicis autem qui pugnant pro oppressis à seruitute tyrannorū, Christus Sacerdos Dei altissimi, rex qui allaturus est pacem suis, profert panem, & vinum, statum spiritualem suum, & politicum: cognitionē ac fructum Euangelij, & Prophetiæ: Spiritum Sanctum à patre, & à se manantē: bona sua, & virtutem Spiritus Sancti, quibus susceptus sit Coena, conuiuium Christi & Ecclesiæ in ipsius regno cōstituto. Et hic significatur vinum, de quo dixit. Non bibam de hoc fructu vitis vsque in diem illum quando bibam illud vobiscum nouum in regno Patris mei.

19. *Et benedixit ei.* In credentes tantum confluit omnis benedictio promissa Abraham, ac eius semini. atque tunc tandem & Abraham, & populus Israëliticus deinceps, & Prophetæ, & Apostoli, & prædicatores Euangelici nunc, & exercitus Euangelicus vincit & obtinet, quando Spiritus Dei adest, operatur, & dat Deus victorium, & progressum, & finem in rebus omnibus.

Benedictus Abram à Deo Altissimo possessore cæli & terræ. In Filio Dei datur omnis benedictio credentibus, in quo creata sunt omnia, & qui est possessor, hæres, & Dominus cæli & terræ, & ad quem solum pertinet regnum mundi. Hæc secunda benedictio signat aduentum Christi in carne, qui sua morte credentes

saluauit, & suo sanguine reconciliauit Patri cuncta, quæ in cælis, & quæ in terris essent. de quo dixit Pater. ecce Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite. plura non est, vt dicantur hîc de tota doctrina Euangelica, & Apostolica, quam satis luculentur exposuerunt prædicatores Euangelici.

20. *Et benedictus Deus altissimus, qui tradidit hostes tuos in manu tua. Et dedit ei decimam de omnibus.* Hæc benedictio Abrahamæ tertia reuocatur ad tertium statum, & ad septimam ætatem, inquam nunc ingredimur, quando pugnatur verbo & manu contra Antichristum, contra quem similia est acturus Deus per suos seruos, quæ egit per Abraham pro Lotho. Melchisedech est ille, qui ter benedixit Abrahamæ, quòd in Christo habeamus Patrem, Filium & Spiritum Sanctum: promissiones, & opus Patris: Euangelium, & opus Filij: Prophetiam, & opera Spiritus Sancti. nam per Filium datur omnibus benedictio, atq; præstantur omnia promissa semini Abrahamæ, & Ecclesiæ; vinceturque ipse Antichristus ab his, qui erunt populus Dei, in potestatem quorum veniet omnis Antichristi status: quibusque dabitur regnum Israëliticum cum æterna vita in cælis. Ac vt hæc benedictio completa est ætatem secundam Mosis, & quintam Euangelicorum, qui fuerunt sub Papatu; similiter & tertiam, & sextam comprehendit. tertiam, in qua narrata sunt omnia per Prophetas, quæ fieri debuerunt in præstandis omnibus promissis in duplici, seu triplici aduentu Christi. sextam, in qua paulatim coepta sunt præstari, ac denuntiari rebus propè adesse, quando omnia præstanda sint. Complectitur præterea hæc benedictio Melchisedech ætatem quartam cum prima, & septima. quod signatur in triplici benedictione & in oblatione panis, & vini. de benedictione dictum est. in pane autem & vino, quod profertur, signatur

signatur Iesus Christus æternus Dei Filius. in pane enim signatur diuinitas, vt ipse ait: ego sum panis, qui de cœlo descendi: in vino signatur humanitas, & eius, qui sit Filius Dei, & sanguis effusus pro peccatis mundi: omnium scilicet credentium tempore promissionis, & legis: tempore Euangelij, & tempore apertæ Prophetiæ, hunc panem, qui de cœlo descendit, & de quo dictum etiam est. panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita, & hoc vinum exhibuit Christus Abraham, atque omni eius semini: exhibuit Apostolis, & omnibus credentibus: exhibebit omnibus deinceps, qui erunt in regno Israëlitico. hic iam videmus agnum occisum ab origine mundi. Spiritum Christi datum omnibus credentibus ab initio mundi ad finem vsque. & quia erat Dei Filius assumpturus humanitatem, qui vno Spiritu Christi duci debeant, & viuere in æternum, facti sunt vnum corpus in Christo capite facto homine. Itaque dum fit Christus vita omnium credentium, cos in se per Spiritum Sanctum regenerat, suo sanguine expurgat ab omnibus peccatis, conciliat Deo, facit Dei filios, omnes inquam credentes ab initio mundi ad finem vsque.

Et dedit ei decimam de omnibus. Quæ in tribus statibus, & septem ætatibus donata sunt nobis à Deo, illa à Deo recognoscemus, ei gratias agemus, ei soli erimus adiecti, ei soli seruiendo, & parendo in omnibus, quæ locutus est, & præcepit nobis. In lege hæc eadem consignata sunt: vt in holocausto spirituale sacrificium, in esu carnis sacrificij, corpus Christi passum pro nobis: vt in his duobus cognoscamus Dei Filium, qui è cœlo descendit, & factus est homo, & passus est pro nobis. In oblatione autem Minha signatur gratitudo, & gratiarum actio fidelium, vt re cognoscant Dei beneficia, & obseruent eius præcepta: Aetate septima fiet illud. tunc accepta-

bis sacrificium iustitiæ, oblationes, & holocausta: tunc imponent super altare tuum vitulos de quibus omnibus dicetur in Leuitico, quæ erunt huc assumenda.

21. *Et dixit rex sodomæ ad Abram. da mihi animas, & substantiam tolle tibi.*

22. *Et dixit Abram ad regem Sodomæ. Leuaui manum meam ad Dominum Deum Altissimum possessorem cæli, & terræ.*

23. *Si à filo vsque ad corrigiam calciamenti accepero ex omnibus, quæ sunt tibi. ne dicas. ego ditauit Abram*

24. *Præterea tantum, quæ comederunt pueri, & (præter) partem virorum, qui iuerunt mecum, Aner, Eschol, & Mamre, ipsi accipiant partem suam.* Ante dicebamus Imperatorem iusse obuiam Christo. Hic qua ratione, qui post secuti sunt reges, id fecerint, aperitur; dum dicitur, da mihi animas, substantiam tolle tibi: hoc est, vult princeps Papæus omnes viuentes viuere sub sua administratione, suis legibus: ac retinere possessionem regni Christi. vt autem hæc retinere sibi per Ecclesiasticos liceat, promittit eis principatus, & concedit, vt etiam sit Papa super omnia regna. contra Papa in dignitates Ecclesiasticas assumit principes. & vbi agitur de iactura, conceditur populis, vt deficiant a Principibus, modo retineant Ecclesiam Romanam. nam hæc est bona magistra reuocandi se audientes sub iugum tyrannorum. Veri iam Euangelici respuent regna, & principatus: Deum statuent possessorem cæli, & terræ, nec se facient Dominos regni Dei. & Ecclesiæ Dei: non suis legibus administrabunt vtrumque statum; sed Dei. in administratione Ecclesiæ nõ ad vnum Papam deferentur omnia, & vt vno verbo dicam, erit Ecclesia, non monarchia Papæa: ordine, & modo administrabitur illa: quisque erit particeps illius, vt erit dignitas, & cuiusque meritum.

CAPVT XV. PROMISSIO

Tertia & quarta.

Mnia propè, quæ narrantur hoc capite signant ætatem tertiam, & quartam. Primum dicitur, verbum Domini factum Abrahamæ in visione, vt significantur, quæ videntes erant vituri, Samuel, Dauid, & omnes Prophetæ, qui post fuerunt; & nuntiarunt duplicem aduentum Domini, vt nuntiatur hoc cap. vnde cap. 20. pronuntiat Deus Abrahamum Prophetam. ergo erit Prophetia historia Abrahamæ.

1. *Post verba hæc Chis gestis) fuit verbum Domini ad Abram in visione dicendo, ne timeas Abram. ego protector tuus, merces tua multa valde.* Psalmo 89. narratur opus Dei in Sanctis suis, quibus loquitur in visione, & est fortitudo eorum dum nuntiantur, quæ sunt status regni Dei, & eius constitutio; dum constituitur & in primo, & secundo aduentu Domini: dum certamè est vsq; ad Antichristum sublatum, defensor est Deus suorum Prophetarum. qui ait, qui tangit Prophetas meos, tangit pupillam oculi mei: & Abimelecho minatus est mortem, ni redderet Saram Abrahamæ. post Antichristum sublatum apparebit merces, quæ magna hîc promittitur Abrahamæ.

2. *Et dixit Abram. Domine Deus, quid dabis mihi, & ego vado absq; liberis, & filius curatoris domus meæ Damasech Eleazer.*

3. *Et dixit Abram: ecce mihi non dedisti semen, & ecce filius domus meæ heres meus est.* Omnis Prophetia nuntiat mala futura & finem malorum: beatum statum in regno Christi. Vnde cum petit Abraham filium, petit Iesum Christum, in quo omnis spes futura sit liberationis à malo, & beatæ vitæ. nam in Eleazero signatur simpliciter homines, à quibus nõ potest sperari salus, & homines, qui nõ sunt ex filiis Dei. Et quia Prophetia attingit omnia tēpora, & est sermo hîc de semine sancto, de ipso Christo; synagoga intelligitur. quiaq; sexta ætas respondet huic tertiæ, & sexta

ætas hic intelligitur, & in Elazero Damasceno ipsa doctrina Papistica, quæ tota ætate sexta, & ante maximè viguit in Sorbona Parisina, significatur. quæ primas obrinet, dum non adest Christus: siue non est eius prædicatione in Ecclesia: non est eius regnum: sed Antichristi. hæc in Prophetis aduertiri poterunt. Attende hunc Eleazarum esse Sobnam præpositum templi. Is. 22.

4. *Et ecce verbum Domini ad eum, dicendo, non hereditabit te iste, sed qui egredietur de visceribus tuis, ipse hereditabit te.* Verbum, quod loquitur Dominus in Prophetis, nuntiat Christum, qui obtineat hæreditatem Dei, Ecclesiam, & regnum. Christum inquam nuntiat & credentes, qui sunt semen Abrahæ per Christum, quique consecuturi sint in Ecclesia hæreditatem Dei, & totum orbem ex pullis impijs, & non credentibus.

5. *Et duxit eum foras, ac dixit. suspice nunc cælos, & numera stellas, si poteris numerare eas, & dixit ei, sic erit semen tuum.* Vt stellæ occupant cælum, ita pij occupabunt terras: & erunt in terris. quia Deus sedem habebit in pijs.

6. *Et Credidit Domino, & reputatum est ei hoc ad iustitiam.* Credidit vtrumque aduentum Christi Abraham, qui in verbo Domini promissi sunt: vt in Christo existeret per eius mortem expiatio peccatorum: & per Christum effemus consecuturi Sabbaptismum, & æternam vitam. reliqua, quæ pertinent ad explicationem horum verborum, copiosè sunt à Paulo tractata.

7. *Et dixit, ad eum. Ego Dominus, qui eduxite de Vr Chaldaorum vt darem tibi terram istam, vt heredites eam.* Hic videmus quod principium fuit in Abrahamo, esse finem in septima ætate. egressus est ex Vr Chaldaorum initio Abraham, quando locutus est ei Deus, quæ historia docet. Quòd autem idem contingat omnibus pijs vsque ad ætatem

ætatem septimam, verba quæ hîc sequuntur, indicant, ut darem tibi terram istam, & possideres eam. quia possessio perpetua obtinebitur tantum ætate septima: ut ostendat infra ipse Deus, & Abraham quoque idem intellexit de futuro quodam tempore, vnde quæsiuit de eo tempore inquiring.

8. *Et dixit. Domine Deus. vnde scire possim quando.* (Quando videtur fuisse vertendū, quia videretur Abraham ita non credidisse: & Deus respondit ad tempus futurum, quando possessurus sit Abraham terram illam.) Possessurus sim eam? ita Apostoli. num in tempore hoc restitues regnum Israël? ita Petrus: prima primo, in quem, seu qualem articulum temporis scrutantes. verum illud quidem est, quod Deus dum nuntiat tempus, etiam quale futurum sit, indicat: & illud, Chi Hebraicè signat & quando, & quod, ut & quod ponatur pro certa hîc ratione. vnde Petrus ait ἐπευκῶντες εἰς ἴνα, ἢ ποῖόν καιρὸν. Cum ergo utrumque intelligendum fuerit, in primis tempus ipsum fuit intelligendum: & aduertenda erit hîc diligentia Petri, dum ait εἰς ἴνα, ἢ ποῖόν. Quod iam quærebat Abraham, quæsierunt Apostoli, quæsiuit Petrus, quæsierunt patres in circumcissione, quæsierunt Sancti tempore Apostolorum, quæsierunt qui post Apostolos vsq; ad hæc tempora tractarunt Prophetica: quærent hoc tempore pij viri, quando nam promissiones præstabuntur, regnum Christi, & liberatio à tyrannis. quibus omnibus, illis superioribus, & nunc nobis maximè, qui clamamus ps. 24. signa nostra non vidimus: iam non est Propheta: non est nobiscū, qui sciat quousq; vsq; quo Deus improperabit inimicus? respondit Deus in his, quæ deinceps sequuntur in hoc capite.

9. *Et dixit ad eum Sume mibi vacuam triennem. & capram*

IAC. BROCARDI IN XV. CAP. GEN.
triennē, & arietem triennem, & turturē, & pullum columbarū.
10. Et tulit sibi omnia ista, & diuisit ea per medium, &
posuit quamlibet partem diuisionis sua ē regione sociā sua.
& aues non diuisit. Respondit Deus de tempore, quod
quæsiuit Abraham; & de quo locuti sunt omnes Prophe-
tæ. significatur autem hīc totum opus Propheticum. o-
pus uidelicet totum primi, & secundi aduentus Domini
à Prophetis denuntiatum. quo quidem tempore secun-
di aduentus Domini, cœptum fuit magnum iudicium
Domini & peractum. nam tempore hoc secundi inquā
aduentus Christi, in quo extitit opus prædicationis E-
uangelicæ secundò repetitæ, peragitur iudicium quoque
contrà impios, & contrà Papistas. vt quemadmodum
affixerunt, & interfecerunt pios viros & Euangelicos,
sic interficientur ipsi & perdentur: atque in eorum bona
succedant omnes, qui fuerint semen Abrahæ credate.
atque ita possideant terram promissam. Si quis autem
hoc sibi probari cupit videat cap. 3 4. Ieremiæ interpre-
tationem de vitula trienni, & de his, quæ in hoc capite
deinceps dicuntur: atque cognoscet Abrahamum Pro-
phetam, & suam historiam Prophetiam. Ibi enim signi-
ficantur Papistæ transiuisse inter diuisiones vituli, hoc est
combussisse credentes, vt per cineres illorum transierint.
vnde ipsi propterea puniendi sint: in quibus aucta sint
peccata Amorræorum. Sed satius erit, vt singula di-
stinctius interpretemur. Tria animalia ponuntur; vac-
ca, capra, & aries. vacca maior, capra minor vac-
ca, & aries minor capra. tempora ab his animantibus
signari existimo. in vacca maiori tempus ab Abrahamo
vsque ad ætatem septimam: in capra tempus à Christi
primo aduentu vsque ad secundum: in ariete tempus
secundi aduentus. trium annorum est quodlibet horum
animalium, ergo homines trium statum in his tribus a-
nimalibus

nimalibus intelliguntur. quòd sint trium annorum, indicatur credentes participes esse eorum quæ sunt legis, quæ sunt Euangelij, quæ sunt Prophetiæ: dum, vacca, & capra sunt femina, maxime Prophetæ, & Apostoli indicantur: in ariete mare Christus significatur in membris suis in secundo eius aduentu. & hic est aries percussus ab hirco nostro tempore: de quo scripsit Daniel cap. 8. diuisa autem hæc animalia ponuntur, & per diuisiones transeunt homines, vt iudicium Dei intelligatur trium statuum mundi descriptum in lege, in Euangelio, in Prophetia. quo iudicio impij affligunt, & interficiunt pios: comburunt: in cinerem vertunt, & hunc pedibus calcant: sed impij deinde à Deo puniuntur, & perferunt mala, quæ alijs intulerunt. Per turturem autem & columbam existimo signari pios, qui tanquam alati fugiunt vim iudicij, & superstites remanet, vt in ipsis constituatur Ecclesia vera, fidelis, & amans Christi, vt quoque videbimus in fine primi capitis Leuitici. Ieremias sub vno vitulo Christo cū membris suis hæc simul omnia animalia videtur comprehendere, & ostendere Papistas itidē interficiendos, qui Christū in membris suis iterū crucifixerint.

11. *Et descenderunt aues super cadauera, & abigebat eas Abram.* Quamuis ante sæpè puniti sint impij, non tamen fuerunt consumpti. in fine enim 34. capitis videtur Ieremias intelligere exesos à volucris impios: vt nusquam deinceps futuri sint in mundo: vt Aegyptij subierunt iudicium Domini, item alij impij, verum non fuerunt consumpti: manebat tamen iudicium, vt in postrema ætate, esset illis pereundum siue etiam abigentur Papistæ, ne prohibeant, quin resurgant Euangelici, vt dictum est cap. 11.

12. *Et fuit cum sol occumberet, sopor irruit super Abram.* Perfecta ætate tertia venit Christus ætate quarta, subijt ipse iudicium Dei signatus in vacca trienni loco credentium

& Ecclesiae: passus, & factus pro nobis peccatum, & peccatorum expiatio, quando sol obscuratus fuit in eius morte. vt dicitur psalmo 3. dormiui, & euigilaui.

Et ecce terror magnus, & tenebrosus, obscuritas magna inuasit super eum Tunc iudicium fuit mundo, terror fuit in mūdo in obscuratione solis: mortuus est ipse Christus: Apostoli deinde & martyres: atque simul extitit iudicium grauissimum contra Iudæos. & hæc maiora futura nuntiantur in secundo aduentu Domini.

13. *Et dixit ad Abram, sciendo scias, quod erit peregrinum semen tuum in terra non sua, & seruient illis, & affligent eos quadringentos annos.*

14. *Et etiam gentē, cui seruient, indico, ego & postea egressentur cum substantia multa.* Scito futurum, vt semen tuum opprimendum sit ab Aegyptijs, 400. annos: ab amotis regibus vsque ad Messiam, 400. annos. à Papa, & Papæis item 400. annos siue à nouis Prophetis vsq; ad secundū aduentum Messie. Post cum magna substantia egressi sunt Israëlitæ cum maiori Christiani post persecutionem tyrannorum: & obtinebunt totum mundum Antichristo sublato, & alijs tyrannis vbique.

19. *Tu autem ibis ad partes tuas in pace: sepelieris in canitie bona.* Abraham numeratus fuit inter turtures, seu columbas, quæ non fuerunt concisæ, nec fuit interfectus ab impijs: similiter hoc tempore qui cursum vitæ finierunt pure, sancteque; nec à tyrannis, nec à Papa fuerunt interfecti: veniunt signati in illis auibus: & præsertim significantur, qui superstites erunt in magna perturbatione.

16. *Generatione autem quarta reuertentur huc: Ne dum enim completa est iniquitas Amorraeorum vsq; adhuc.* Tempore ætatis quartæ circa finem scilicet, in Papatu reuersi sunt impij, atque insinuarunt se in populum Dei. & Ecclesiam

am obtinentes Amorræos imitati sunt, & alias gentes. ac tempus deinde, quo maximè cœpit sæuire Papatus, & vocare in seruitutem populum Christianum ætate scilicet sexta instituto decretali Papæo, & iudicio Ecclesiastico tyrannico vsque ad vocatum iudicium Papatum, vt puniatur 400. propè numerantur anni. quod tempus respōdet tēpori Prophetis & à captiuitate Babylonica vsq; ad primum aduentum Christi in carne: vt hoc tempus respondeat 400. annis seruitutis Aegyptiacæ, vt dicebamus. nam & sexta ætas respondit tertiæ: noui Prophetæ veteribus Prophetis: interpretes Prophetiæ ætatis seprimæ auctōribus primis prophetiæ.

17. *Et factum est vt ocumberet Sol, & caligo fuerit. & furuus fumans. & lampas ignis, qua transibat per diuisiones ipsas.* Hic significatur finis ætatis sextæ; & ingressus in septimam, & iudicium Christi in ipso secundo aduentu. Cœpit autem iudicium à domo Dei, & inuasit impios, prius combusti sunt credentes præ dicationi Euangelicæ, & omnibus modis aliâs afflicti. inuadet ignis bellicus deinde non credentes, perdet eos, & consumet: vt memorat Ieremias ctp. 34. ex hoc loco: & prophetæ passim in eorū vaticinijs. Quid autem sit transire per diuisiones illas patet ex Ieremia. Quando completa fuerint peccata Amorræorum, vt Papistæ vocarint deum Maozim contra Euangelicos, vt dicitur in Daniele cap. 11. vtrsu 38. Deum Maozim venerati sunt, & Deum, quem ignorauerūt patres eorū coluerunt. tunc non vltra producet Christus iudicium contra omnes, qui nomine religionis comburunt homines; sed fiet illud Isaiæ, vt igne, & gladio iudicet Dominus cum omni carne, ac multi sint interfecti à Domino: illud Ieremiæ. Erunt eorum caduera exposita volucris coeli, & bestijs terræ.

18. In die ipso pepigit Dominus cum Abram fœdus dicendo. *Semini tuo dedi terram hanc à flumine Aegypti vsque ad flumen magnum, flumen Euphratem.* Hic signatur quarta ætas, & breui, nec insignitè exponitur propter causas, quas initio sequentis capituli dicemus videri nobis. In illo die, quando promissa semini Abraham incipient præstari: quando quæ nūtiarunt Prophetæ cœpta sunt præstari, vt dicebat Christus. Lex, & Prophetæ vsque ad Joannem Baptistam Prophetauerunt: tunc prædicatum est Euangelium in terra Canaam, & Christus datus. ibi fuit initium signorum, videatur locus ille Matth. 11. & cum hoc conferatur. Ibi si quis attendat, aduertet Christum promississe suum secundum aduentum, in quo restitueretur regnum Israëliticum, & obtinerent credentes non solum spiritualia, sed & totum orbem, in quo dominaretur Euangelium in allato Sabbaptismo post iudicium, de quo ibi loquitur, & egit in superiori capite.

Afluuius Aegypti vsque ad fluuium magnum Euphratem. Idque in statu circumcisionis primo: at in secundo baptismatis à mari Oceano vsque ad idem flumen. in statu autem tertio ab extremo mari ad extremum mare. (*Cineros*) decem populi numerantur venisse sub ditionem populi Israëlitici. tempore Christianorum venerunt decem prouinciæ, siuè plures. tempore innouatæ Ecclesiæ, ac restituti regni Israëlitici omnes populi, qui sunt in orbe terrarum, obtinebuntur sub regno Christi. præcipui tamen hostes oppugnantes Euangelicos numerantur decem psal. 83. qui cædentur in iudicio ad vallem

Iosaphat. & plures cap. 25. Ieremiæ bibituri

dicuntur calicem iræ

Domini,

CAPVT XVI.

IN superiori capite signata est tertia, & quarta ætas perducta in septimam, hoc autem significantur illa, quæ deinde fuerunt Ecclesiæ Christi, & Synagogæ in Sara, & Agar; significatur & ætas quinta. Agar narratur prius concepisse, quam Sara; at Sara spreta ab ancilla, eam reijcit. In filio Agar significatur regnum, & Dominatus. quod regnum, & administratio publica fuerit post Christum apud Iudæos, non apud Apostolos. tempore autem Syluestri Papæ, quando Christiani obtinuerunt regnum gentium, fuerit illud apud Papistas, non apud Euangelicos. quod significatum fuit cap. 12. Apoc. in muliere amictasole, quæ peperit masculum sublatum ad Deum, & ne deuoraretur à Dracone. nam tum Papistæ statim occuparunt regnū Christi, & fidelium domināte Agar, & eius filio. atque ita Iudæi spreuerunt Ecclesiam Christi: item Papistæ. hinc fit, vt non sit insignitè capite superiori propositus Christus natus. quia venit in humilitate, & fuit Deus absconditus in homine. Significatur autem aperte natus Christus cap. 21. & 22. quando cum potestate, & virtute magna apparebit Deus, & homo hoc tempore. hinc dicebat Paulus Col. 3. 4. Quando Christus vita nostra patefactus fuerit. tunc & vos cū eo apparebitis in gloria. & 2. Pet. ca. 1. ver. 7. idem ait. Interea Ecclesia retinet suum locum quantumuis despecta à filijs Agar, à Iudæis olim non credentibus, à Papistis nunc credentes oppugnantibus. Quænam ratio præterea sit, vt non hic sed ca. 21. natus signetur Christus, ibi dicemus. A Paulo deinde locus hic de Sara, & Agar est tractatus in Epistola ad Galatas. quare minus multa verba facienda sunt a nobis: ordinem persequar historiæ mysticæ vt potero.

1. *Sara autem uxor Abram non peperat ei: & fuerat illi ancilla Aegyptiaca, & nomen eius Agar.* Ecclesia fuit ab initio mundi; sed eius partus non fuit cognitus vulgò, nec semen, quod paritura erat, vnde & ipsa fuit nata: interea tamen datur locus Synagogæ, & eius filijs, hoc est semen carnale apparet vulgò, eorum qui promissiones Dei apud se habebant, qui Spiritu viuebant in Spirituali Ecclesia, facile patiebantur tum, populum dominari, qui promissiones habebat, & eo ex proditurus erat qui spiritu viuificatos præstaret omnes credentes Dei semen, & Dei Filios, at qui carne viuunt, non admittunt secum Spiritu viuentes: ac in carne ipsi gloriantes, & Spiritu, & Spiritu viuentes contènant. Verum Ecclesia Apostolica in surgit contra Ecclesiam carnalem, & eam expellit à familia filiorum Dei, tametsi in humilitate Christus apparet non videatur Dei Filius, & Saluator mundi; est tamen & Euangelij virtus in suis. quam Paulus & præferebat apud Corinthios.

7. *Et ineniteam Angelus iuxta fontem aqua in deserto super fontem in via Sur.* Tametsi hæc reuocantur ad genus Iudæorum carnalium secundum historiam literæ, propter mysticam tamen signant Papistas filios Dei, ac Iesu Christi secundum carnem, non autem secundum Spiritum, ac quantum sint multiplicati iam vidimus.

12. *Et Hic erit feros homo.* Quàm feros fuerit, & fit Papa, & Papistæ, cognouimus ex historijs, ex Prophetis, & nos ipsi vidimus, & sensimus.

Manus eius contra omnes. Vt vidimus, contra omnes insultauit vi sua, & aliena concitando in arma principes, item sua excommunicatione.

Et manus omnium contra eum. Quomodo Papa semper pugnarit contra aliquos, & aliqui contra ipsum ex historia

historia cognoscatur: & tandē manus omnium ferentur
contrā ipsum, vt tandem ruat in interitum.

*Et in facie (coram, contra) vniuersorum fratrum suorum
feger tabernacula.* Hoc est: non verebitur faciem cuius-
quam: nec à suis, nec ab alijs timebit. Siue ponet castra
contrā fratres suos omnes. Quomodo Papa, & Ecclesia-
stici susceperint perpetuum bellum contrā Euangelicos,
historia quoque docet, & nunc maxime in prædicatione
secundò repetita! Euangelij apparuit, vt illud semen
carnale Israël persequebatur quoq; Apostolos: locus idē
cum hoc est in Malachia cap. 2. nunquid non pater v-
nus est omnibus nobis? cur spernit vnusquisque nostrum
fratrem suum violando pactum patrum nostrorum? Quā-
do præterea perpetuò bella mouerit, & miscuerit Papa
inter Christianos, historia docet.

*Vocauitque (Agar) nomen Domini loquentis ad se. tu De-
us vides me. qui dixit. nonne etiam hic vidi post videntem
me.* Cognoscent tandem Papistæ Christum dedisse sibi
omnia, cum à tergo remanserint: videbunt Christum, &
credentes festinantes in regnum Israëliticum; se autem
retro mansuros, & indè expulsos. de puteo dicemus
cap. 25.

16. *Et Abram Octoginta annorum & sex annorum erat
quando peperit Agar Ismael ipsi Abram.* Ante liberationem
Aegyptiacā, ante Ecclesiā Apostolicam antepredicati-
onem secundò repetitam Euangelij, regnauit impietas
Aegyptica contra filios Dei. statim enim mortuo Ioseph
coeperunt vexare populum Israëliticum Aegyptij, &
ante Christum, quando data fuit lex in monte Sina, ex-
titerunt in populo Israëlitico Ismaelitæ ætate secunda, &
tertia: extiterunt & post primum aduentum Christi æta-
te quinta, & sexta, vt in 14. annis ante centū mihi videan-
tur signatæ, & hæ duæ posteriores ætates, & illæ priores.

CAPVT XVII.



Idetur historia hoc capite assumere initium ætatis quintæ, atque eius progressum exponere vsque ad ætatem septimam. Quando professio publica, & libera fuit baptismatis, & nominis Christiani: constitutusque fuit status Christianorum publicus, ac regnum Christi; statim fuit illud occupatum ab Antichristo, & à Papatu constituente ætatem quintam, quamuis Antichristus, qui velit se esse Christum, suam ætatem quartam faciat, & septimam, de qua re dicendum erit in Apocalypsi. verum in fine sextæ ætatis, & initio septimæ expelletur Papa, euertetur Papatus, perdentur Antichristi: atque assumet Christus regnum mundi, & solum Christum omnes in mundo profitebuntur. & hic erit quinta promissio.

r. Et erat Abram filius nonaginta & nouem annorum, & apparuit Dominus Abram. & dixit ad eum. Ego Deus omnipotens, ambula coram me, & esto perfectus. Quod 99. annorum esset Abraham, videtur signari tempus ante secundum aduentum Domini. in centum annis signantur duo Iubilæi, status primus Patris, & secundus Filij. Oportuit præterisse 90 & 9. annos: item ad 100. peruenisse, antequam nasceretur Isaac, hoc est, afferretur regnum Israëliticum coeptum Spirituale in primo aduentu Christi in carne. Excurrente autem ætate quarta ad suum finem, vt constitueretur regnum Israëliticum etiam in statu politico; ecce pax habetur à tyrannis: Romanum imperium venit sub nomen Christianorum. extant tunc visiones de hoc tempore Ecclesiæ, vt habeatur ratio omnium, quæ agenda sunt: extat Apocalypsis, quæ monet eorum, quæ statim futura erant: vt præteream visiones Herma, & aliorum.

Ego Deus omnipotens. Qui describitur cap. primo. Apo.

Ambula coram me, & esto perfectus. Præcipitur Syluestro Papæ, & alijs, vt aduertant potentiam Dei, qui tradat illis imperiũ Romanum, & regnum: & sciant eum, qui illud tradidit, vt monentur cap. 2. Osee, posse quoque auferre. contemplantur cap. primum Apoc. Præcipitur omnibus deinceps, vt viuant vitam Euangelicam, & in nullis præceptis Dei claudicent, sint fideles ministri, non proditores: non dicant. eccè hæres, occidamus eum: non occupent sibi regnum, quod est Christi.

2. *Et dabo pactum meum inter te, & inter me.* Si obseruassent Ecclesiastici, qui pollitici sunt Deo in Baptismo, vt profiterentur vnum Deum, & Dominum nostrum Iesum Christum; atque eius præcepta, & instituta seruassent; constituissent statum regni Christo & non Antichristi, & tyrannorũ: nunquã è regno Christi erant expellèdi. cum verò contrà omnia egerit, nil eis proderit iactare successiõnem, quia non perseverat successio, vbi pacta nõ seruatur.

Et multiplicabo te vehementissime. Quantum auctum sit nomen Christianum, vidimus omnes: atque occupaturus est totũ terrarũ orbẽ, sed non sub dominis Papistis.

3. *Et cecidit Abram in faciem suam, & locutus est cum eo Deus dicendo. ecce ego pactũ meum tecũ, & eris pater multarum gentium.* Fit per repetitionem confirmatio eiusdem pacti, propter eos qui persistent in doctrina, & vita Euangelica qui obtinebunt totum orbem, non autem propter Papistas & alios, qui pactis non steterunt.

5. *Et non vocabitur vlrã nomen tuum Abram. erit nomen tuum Abraham, quia patrem multitudinis gentium dedi te.*

6. *Et multiplicabo te vehementissime & dabo te in gentes, & reges ex te egredientur.* Nouum nomen consecuti sunt credentes, vt appellarentur Christiani a Christo, quod nome manauit logè lateq; & infinitus extitit numerus Christianorũ: in Christo patre omnium est vita: in Ecclesia,

quæ est corpus Christi, habent vitam omnes possessuri æternitatem Patris. Addicta fuit litera 17. litera Spiritus Sancti, vt regeneratus in Christo per Dei Spiritum inteligeretur Abraham, & eius semen.

7. *Et statuam pactum meum inter me, & inter te, & inter semen tuum post te in generationes suas, vt sim tibi in Deum, & semini tuo post te.* Hic non solum significatur pactum confirmatum in Christi, & à Christo; sed & secundus aduentus Christi, in quo pacta omnia confirmabuntur Ecclesia innouata. vnde dicitur, post te, quasi dicatur, post quintam, & sextam ætatem pactum iterum confirmandum, post in omnes generationes vsq; in finem mundi.

8. *Daboq; tibi, & semini tuo post te terram peregrinationum tuarum. omnem terram Chanaan in possessionem perpetuam: & ero eis Deus.* Imperium orbis dabitur credentibus. in terra Chanaan signatur omnis locus, vbi prædicatum fuerit Euangelium. quod prædicabitur in omnibus in terris: sed prius intelligitur de Italia, vbi est Papa, & de alijs prouincijs, vbi viguit Papisimus.

9. *Dixitque Deus ad Abram. & tu Pactum meum custodies, tu, & semen tuum post te in generationes suas.* Interea tu obseruabis præcepta mea: non sequeris Scribas & Phariseos, non Papisas: quia qui diligit me, sermones meos seruabit. *& semen tuum post te,* quod non fecerunt Papisas, qui fuerunt semen Agar. veri Euangelici, & Christiani seruant pactum, quod habuerunt cum Christo.

10. *Hoc est pactum meum, quod custodies inter me, & inter vos, & inter semine tuum post te vt circūcidatur in vobis omnis malus.*

11. *Et circuncideris carnem præputij vestri. & erit in signum fœderis inter me, & inter vos.*

12. *Et filius octo dierum circūcidetur in vobis, omnis masculus in generationes vestras: natus domi (tua) & emptus argento ab omni*

ab omni filio alienigena, qui non de femine tuo est. In circumcissione signatur baptismus, quia in utroque signatur carnis expoliatio, & innouatio totius hominis, ac vitæ: item professio publica, & confessio nominis Christi, qui sit saluator mundi, Dei filius. quæ publica, & libera professio fuit à Syluestro Papa vsque ad finem mundi. *Infans octo dierum.* Electio Dei & vocatio non sunt secundum merita, vt volunt Anabaptistæ: idcirco infans dum sustinere potest cultrum, circumciditur, & vocatur in beatitudinem dandam in octonario, hoc est post septimam ætatem mundi in cœlis: vt ait Christus de paruulis, talium est enim regnum cœlorum: Angeli eorum semper vident faciem Patris.

Tam vernaculus, quàm emptitiuus. Omnes circumcidi, omnes baptizari debent inter Christianos. quia electio & vocatio est secundum Dei propositum, qui vult ex omni genere hominum saluos facere: nec est apud ipsum distinctio humana; sed sua, qui semen suum, vbi vult, serit, ac fructum educit. vnde prædicante Christo, & Apostolis vocantur omnes gentes in Euangeliũ, quæcũq; illæ sint. omnis, qui non credit, condemnabitur, quæ prædicatio deducta est ad hoc tempus, vt iam supplicium sumatur de non de credentibus nobilissimis etiam Papis, Cardinalibus, Scipionibus, Cornelijs, imperatoribus, regibus, & similibus. assumantur contra in regnum Dei ex magnis, & paruis credentes. hinc ait Paulus non est seruus, neque liber. hinc carnem suam vocat Onasimum seruum.

s. Dixit quoq; Deus ad Abram Sarai uxorem tuam, nõ vocabis nomen eius Sarai: sed Sara erit nomen eius. Quarta ætas videtur hinc repeti, & Ecclesia Apostolica. nã in mutatione nominis Saræ signatur nomen Sinagogæ mutatum in Ecclesiæ nomen, quod in eam vocentur, & vocanda; vni-

dæque sint omnes gentes, quæ futuræ sint Christi, inno-
uatae & ipsæ ac regeneratae per Spiritum Sanctum signatū
in ea litera II. missum à Patre, & à Christo, qui erit æter-
na benedictio, de qua sequetur. *Et benedicam ei.* Faciet
ipse Deus, vt sit per Spiritum Sanctum vna Ecclesia Ca-
tholica tandē ex toto orbe. *Et etiam dabo ex ea tibi filium.*
In Ecclesia Catholica dabitur Christus, qui datus fuit in
Apostolica; sub cuius regno Israëlítico erit totus mun-
dus. *reges populorum ex ea erunt.* Vt Dauid, vt Salomō na-
ti sunt ex semine Abrahamæ, & Saræ: è semine inquam san-
cto; ita erit regnum Dauidicum, & Solomonicum, quan-
do Christus solus regnabit in toto orbe terrarum. & qui
reges erunt, erunt Euangelici. Sanctificati à Domino.
regem regum Dominum profitentes. Fuerunt quidem
ante reges; sed multi facti sunt Esau, Ismaël, & Phara-
ones.

17. *Et cecidit Abraham in faciem suam, & risit. & dixit in
in corde suo. nunquid filio centum annorum nascetur proles? &
an Sara filia nonaginta annorum pariet?* Crediderunt Apo-
stoli, & qui Apostolos secuti sunt, Christo: sed quòd domi-
nat^o totius mundi futurus esset credentium, id aliquando
non videbatur credendum alijs multis, dum intuiti sunt
Christum crucifixum, potentiam ante tyrannorum tem-
pore martyrum: post Papatus. atque propè omnes hoc
tempore contendunt afflictiones piorum perseueraturas
vsque ad finem mundi, & Papatum semper duraturum.

18. *Et dixit Abraham ad Deum. Vtinam Ismael uiuat coram
te.* Dum intuiti sunt multi pij gentes impias in toto mūdo
aduersas nomini Christiano; exoptarūt, vt remaneret Pa-
patus, quò semen aliquod esset Ecclesiæ. eadem senten-
tia intelligenda est cap. 16. ver. 2.

19. *Et dixit Deus ad Abraham, verè uxor tua pariet tibi fili-
um. &*

um. & vocabis nomē eius Isaac: & statuam fœdus meū cum eo, in fœdus sempiternum semini eius post eum. Confirmat Deus pactum. vt Christus regnaturus sit in p̄petuum: & qui sibi paruerint cū constitutum fuerit regnum Israëliticum, successuri sint in eius administrationem. nomen Isaac dicitur antequam sit natus, vt primus aduentus Christi antecessisse intelligatur in his, quæ h̄c narrantur: item electio & vocatio Dei, de qua disputat Paulus cap. 9. ad Roma. 16. congnoscatur. nam & ante annum, quā concipiatur Isaac, vocatur eius nomen & fit ad eum promissio. ex eo, quod dicitur. statuam fœdus meum cum eo in fœdus sempiternū semini eius post eum; videtur Paulus cap. 9. Rom: ostendisse in pacto factō de Isaac, fuisse consignatum aduentū Christi, & gentes Christo credentes, vt exposuimus antè initio capitis duodecimi.

20. Super Ismael quoque exaudiui te. Ecce benedixi ei, & crescere faciā eum vehementissimè: duodecim principes generabit: & dabo eum in gentem magnam. Papatum auxit interea Deus, vt vidimus ab eius initio vsque ad finem eiusdem. Duodecim duces generabit. Vidimus in Apo. Antichristum & serpentem cognitum ex capitibus, hoc est in his, qui fuerunt postremo tempore. prius cauda ingressus est, vt vidimus cap. 12. Apoc. tandem nunc septem capita ostendit, quæ sunt septem capita, quæ visa sunt tempore prædicationis, vsque ad conciliū secundum Tridentinum, in quo cognitus & comprobatus fuit Papa Antichristus. fuerunt illi Leo, Adrianus, Clemens, Paulus tertius, Iulius tertius, Paulus quartus, Pius quartus: si his addas tres buffones, tres spiritus immundos, spiritus dæmoniorum concitantes omnes ad bellum contra Euangelicos, quorum primus est Pius quintus, alter Gregorius tertius

tertius futurus; decem habes Papas. Si his Addas Alexandrum, qui combussit Sauonarolam primum prædicatorem in secundo aduentu Domini, siue qui nuntiauit secundum aduentum Domini adesse: item Iulium secundum, qui extollebat se contra prædicatores vrgentes prædicationem Sauonarolæ, habebis duodecim duces. existimo ego numerari hos postremos propter causas, quas meorau in Apoc. *Duces.* verbum Hebræum, vt existimo, signat eum, de quo ait Paulus, qui extollitur supra omne, quod dicitur Deus, vt in templo Dei, sedeat tanquam Deus, se Deum ostentans & iactans. iudicium sit eorum, qui linguam Hebræam tenent.

21. *Paſſum verò meum ſtatuum cum Isaac.* Peribunt illi, & Christi solus erit regnum. *Tempore isto in anno altero.* Tempore isto, hoc est, in fine status secundi, anno altero, hoc est in statu tertio extabit Dux, & Dominus mundi solus Christus expulso Antichristo.

22. *Et deſit loqui cum eo, aſcenditque Deus ab Abraham,* Quando perficientur quæ locutus est Deus in Prophetis, & in omnibus diuinis scripturis, tunc Deus habitabit in Ecclesia sua. domicilium erit Dei cum hominibus, vt dicitur in Apoc. & tunc finietur visio, & prophetia Daniel 9.

23. *Tulit autem Abraham Ismael filium suum, & omnes nato domus sua, & omnem acquisitum argento suo: omnes masculos, qui erant in viris domus Abraham. & circumcidit carnem preputij eorum in eo ipſo die ſicut locutus eſt cum eo Deus.* Sub historia eorum, quæ hic fecisse Abraham dicitur, intelligimus etiam Papam, & papistas vocatos Christianos, fuisse baptizatos, professos nomen Christi: intelligimus & in Papatu fuisse Euangelicos, qui tandem se ostenderunt Euangelicos & quos nouit, Christus: intelligimus & in his, qui iactant

iacant nomen Euangelici, esse qui semen sint Ismaeliticum. ergo homo non potest, nec debet se iudicem interponere, nec negare baptismum cuiquam, nec rebus externis fidere. ac hęc videtur significatus status futurus post Apostolos tempore Papatus, de quo locuti sunt ipsi Apostoli.

24. *Abraham filius erat nonaginta, & nouē annorum quando circumcidit ipse carnem præputij sui* In eo, quod facit Abraham circumcidendo quoscunque apud se, significatur secundus aduentus Christi, in quo tantum profitentes baptismum, erunt in mundo, quando erit regnum Dei Israëliticum; siue apparatus ostenditur, & præcipitur ad hunc aduentum. Qui pertinent ad electionem, parant se nunc, dum ingressuri sunt filij Dei in regnum Christi, parant inquam se, vt credant, vt operentur, quæ sunt filiorum Dei, & Christi Iesu, siue vocetur Papistæ, siue Euangelici. Qui desinunt à malo Papistæ, obtinent locum in regno Christi: qui desistunt Euangelici à vita Christiana, expellentur: vt monemur in Ezechiele cap. 3. & 33. Tertius decimus annus Ismaël signat, vt existimo, tempus post postremum Papam: nonagesimus nonus Abrahæ Euangelicos re, & opere pergentes in tertium Iubileum in secundo aduentu Domini. *Et omnes viri domus illius.* Tandem omnes gentes profitebuntur Christum, & Baptismum.

ARG. IN CAP. XVIII. XIX. XX.



Mhi vi detur hoc capite signari in sexta promissione sexta ætas, quando Deus nuntiavit per Abbatem Ioachim, & alios aduentum Christi secundum, & Papatus euersionem. capite. autem 18. & 20. hæc denuntiata effici.

1. *Apparuit autem ei Deus in querquetu Mambre.* Apparuit siue visus est, dicitur, vt intelligas Prophetiam in historia: intelligas & visiones factas seruis Dei ætate sexta de Ecclesia Romana, de Papatu, in quo sunt magnæ quercus, Papa, Cardinales, tyranni magni, & parui quàm plurimi. Hinc Isaias dum ostendit superbos, & elatos principes, ait, *Diem Domini futurum super omnes cedros Libani sublimes, & super omnes quercus Basam: & Zacharias 33. ululate quercus Basam.* Eo ergo tempore, quando facti sunt maximè duræ quercus, & magni tyranni, Papa erecto suo Decretali, ac se extolente in altissimam, & durissimam quercum; misit verbum suum Deus ad Abbatem Ioachimum, & ad alios multos tota ætate sexta: qui fuerunt sub ditione Papæ, subiecti magistratui Ecclesiastico, & Decretali Papæ, vocati in periculum, dum tantillum ausi fuissent mutire contra Ecclesiam Romanam, & Papam ignem minitantem omnibus, qui sibi quicquam de potestate Antichristica detraxissent.

Et ipse sedebat ad ostium tabernaculi dum incalesceret dies. Hi noui Prophetæ omnes nuntiarunt instare iudicium Domini corrà Papatum & impios vehementissimum, vocantes omnes nomen Christi profitentes ad innouationem vitæ. ac interea ipsi erant inter eos, qui comburunt Euangelicos; & Prophetas.

2. *Et eleuauit oculos suos, & vidit. & ecce tres viri stantes propè eum.* Abbas Ioachimus, & alij scripserunt de tribus statibus mundi, de statu Patris, de statu Filij, de statu Spiritu Sancti. vt Pater in circuncisione dedit legem, ac operibus admirabilibus ostendit se præpotentem Deum; vt Filius sub baptismo dedit Euangelium, operibus pariter admirabilibus se Deum declarando: ita fuisse expectandum, vt Spiritus Sanctus patefieret se Deum in baptisate

tificate ad huc Spiritus aperiendo Prophetiã, & mysteria cripturarũ editis operibus pariter admirabilibus. quæ opera nunciarunt isti, quos dixi, noui Prophetæ, & probarunt futurum statum Spiritus Sancti, vt fuit primus Patris, & secundus Filij. quem statum etiam certa ratione descripserunt, atque contemplandum in prophetis proposuerunt. hinc fit, vt tres Angeli siue viri appareant iuxta Dominum, quod viso opere Patris & Filij, nuntientur jam, & incipiant fieri, quæ sunt status tertij, & Spiritus Sancti: atque vnus Deus Pater, Filius, & Spiritus Sanctus debeant à nobis cognosci.

Et vidit & cucurrit in occursum eorum ab ostio tabernaculi, & incurruant se in terram. A papa cœperunt deficere, & à suo Decretali noui Prophetæ, & viri Euangelici: atque animum conuerterunt ad promissa. in quibus vnum Deum cognoscerent amandum à se, & adorandum.

3. *Dixitq; Domine: si inueni gratiam in oculis tuis, ne quæso transeans à seruo tuo. capiat ur obsecro parum aque, & lauante pedes vestros, & requiescite sub arbore.* Quod omnibus temporibus factum est à viris Dei, id omnibus temporibus fuit faciendum, & cùm fuit persecutio martyrum, & maximè in secundo suo aduentu debere fieri iussit: Christus vt cibus, & potus præberetur esurientibus, sitientibus, & hospitio susciperetur membra sua, & eis necessaria administraretur. quod quæ pauperibus hoc est Euangelicis præstitissent, perinde se accipere, ac si fuissent sibi præstita. nam fuit venturus in membris suis, in pauperibus peregrinus. hinc igitur monemur, quicquid tale membris Christi fuerit impertitum; ita accipi, ac si Filio, & Spiritui Sancto esset datum. quod nunc tabernaculum Dei futurum sit cum hominibus: in credentibus futurus sit Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. & dum Spiritus sanctus fuit omnibus temporibus in credentibus, simul fuit Pater & Filius.

lius. vnde tanta fuit sollicitudo in patribus, vt ad portas ciuitatū starent expectantes hospites. quos hospitio susciperent, vt videbimus cap. 20. fecisse Loth, & virum illum. qui cap. 19. Iudicium dicitur suscepisse Leuitam. & hic idem Abraham facit sedens ad ostium tabernaculi. hinc Ioannes ducit argumentum, quòd diligamus Deum, cùm diligimus fratres. In lotionem pedum signatur quoque prædicatio regni Christi, quod nunc datur, & illa quæ dicemus, cap. 13. Ioannis. & dum tres hærent arbori, videtur signari, quod dixi, Patrem, Filium, & Spiritum esse in Ecclesia: atque honorem diuinum tantummodo tribuendum Patri, & Filio, & Spiritui Sancto. quod prædicarunt noui Prophetæ, & agunt veri Euangelici. atque hic esse scientiam boni & mali, arborem vitæ. in pane signatur Euangelium, & verbum Dei expositum: in tribus satis farinæ verbum legis, Euangelij, & Prophetiæ, in uitulo Christus oblatus pro peccatis. omnium fidelium: in butyro, & lacte gratia & misericordia proposita in Euangelio, & Prophetia; cognitio, & dona data Ecclesiæ. atque in his continetur prædicatio.

9. *Et dixerunt ad eum. ubi est Sara uxor tua, & dixit. ecce in tabernaculo.*

10. *Et dixit. reuertendo reuertar ad te, secundum tempus vite. & ecce filius erit Sara uxori tuae. & Sara audiens in Ostio tabernaculi, et ipsum erat post eum, (ostium loquenti erat ad tergum.)*

11. *Et Abraham & Sara erant senes, venerant in dies (profecta erant ætatis) desierat fieri Sara iuxta morem mulierum.*

12. *Et risit Sara intra sese, dicendo. postquam senui, erit mihi voluptas, & dominus meus senuit. Hic secundus aduentus Christi promittitur Ecclesiæ. & regnum Christi Israeliticum, Postquam Ecclesia ducta fuit in desertum.*
hoc pau.

hoc pauci crediderunt, multi irriferunt, iudicio humano non ex lege, Evangelio, & prophetia de illo aduentu iudicantes. vnde ait Iohannes. Beatus qui legit, & audit verba Prophetiæ huius.

13. *Et dixit Dominus ad Abraham. ut quid risit Sara dicendo. Num etiam verò pariam, & ego senui.* Hic aduette-re oportebit, tres Angelos poni & verbum, dixerunt, deinde Dominus, & dixit. nam orto Papatu, orta est hæresis Arriana. quæ & Abbatem Ioachim in dubium reddebat qui precibus a Deo obtinuit, vt cognosceret Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum vnum Deum: atq; scripsit Decacordum, in quo id ostenditur: hoc verò in loco confutatur hæresis illa Arrij, quam innouatam nostro tempore vidimus in multis. Quòd verò Sara riserit in promissione, est risus nostrorum temporum, quando homines non credunt futurum nunc illud Christi quod dicitur Iere. 31. 22. Dominus faciet nouum in terra, in quo semen Abrahæ obtineat promissa de hæreditate terrarum.

16. *Et surrexerunt inde viri, & respexerunt contra faciem Sodomæ. & Abraham ibat cum eis, vt deduceret eos,* dimitteret vt mos est. Iudicium contra Papatum incipiet à loco, vbi est supremum iudicium, quando in secundo aduentu prædicatum diu fuerit Evangelium, & belligeratum, iudicio Domini in domum Dei vigente, vt deinde status prior deleatur. & hinc cognoscenda est historia omnium rerum gestarum ab initio prædicationis Lutheri, vsque ad bellum ortum anno 1583 ad Coloni- am, quando Episcopus Coloniensis duxit vxorem & suscepit Evangelium. quòd ibi & alibi puniendus sit Papatu tandem. Nam oportuit Episcopos Electores, apud quos est supremum iudicium Christi, primos suscepisse Christum, & defendisse eius Evangelium:

contra autem factum est. idcirco iudex erit Christus, qui iudicet & puniat, & agat opus suum. & hinc recognosce sententiam Psal. 82.

17. *Et Dominus dixit. Nunquid celabo ego Abraham, quæ acturus sum?* Significatur in Apoca: Deum voluisse aperire seruis suis, quæ facturus fuit citò: quæ & citò fecit, vt ibi ostendimus. Euerisurus ergò statum Papistarum Deus nunciat, quæ facturus est, vt in Amoso cap. 3. dicitur Deus non facere rem insignem, qui non ante nunciauerit consilium suum seruis suis.

18. *Cum Abraham certò futurus sit ingentem magnam & robustam, ac benedicenda sint in eo omnes gentes.* Præsertim cum Ecclesia fidelium consecututa sit regnum Christi, & ad ipsam pertineant omnia, quæ sunt regni Christi.

19. *Novi enim eum, quòd præcepturus sit filius suus, & domui suæ post se: & custodient viam Domini, vt faciant iustitiam & iudicium. vt venire faciat Dominus super Abraham quòd locutus est super eum.* Veri ministri Christi, veri Euangelici hæc præstiterunt. ergo illis nuntiatur status impiorum delendus, vt in eorum locum ipsi veniant, Deo in Euangelio seruietes. Pius quartus in forma illa sua iuramenti, vult vt patres doceant filios, & nepotes sua, non quæ sunt Dei. at contra oportet fieri, & fiet.

20. *Et dixit dominus. Clamor Sodomorum, & Amorrhæorum, quia multiplicatus est, & peccatum eorum, quia aggravatum est valde.* Interitum Papatus nuntiavit Abbas Ioa-chimus, qui & hoc tempore nunciatus fuit. præcipuè vere iudicium primò videtur futurum apud capita ipsa iudicum, quæ capita arguit Christus Psalmo illo. 28. quod perperam iudicant. Vt dicebam cum ibi sit supremus Magistratus, Iudicium primum Christianorum, ac debuerit suscipi Christus, & prædicatio Euangelica: atque
ibi in

ibi in primis defendi & retineri, ac contrà factum fuerit semper; id circo ibi primùm insigniter suum iudicium magnum incipiet Christus contrà Papatum. Vbi est iudicium vallis Iosaphat, iudicium inquam supremum Christianorum; erit quoque iudicium Christi iudicantis in valle Iosaphat.

21. *Descendam nunc & videbo, an secundum clamorem eius, qui venit ad me, fecerint consumationem. & si non, sciam.*

Videtur significare Deus, se audiuisset clamores & voces eorum qui sub Papatu tot annos conquesti sunt de Ecclesia Romana facta Sodoma, & de his, quæ acta sunt antè, & dùm Episcopus Colonienſis anno. 1583. suscepit Euangelium et nunc tandem ait Deus, se descendere, vt causam piorum iudicet, videat an sint completa peccata Amorum, & puniat nouam Sodomam, quæ est, vbi sunt primi, & supremi Magistratus. Tu Sodoma audi, illud audi inquam Sodoma, audite sorores.

22. *Et conuerterunt se inde viri. & perexerunt sodomam, & Abraham adhuc stabat coram Domino.* Cùm peccauerit Papa & Ecclesia Romana, vt Adam; rejecta pronuncietur à Deo cap. 2. Oſeæ. verum dùm per repetitam prædicationem Euangelij reuocatur illa, & omnes ad Christum; ac venit ipsa contrà Christum & eius prædicationem; non ultra erit locus ei salutis, sed auertet se Christus ab ea, vt nunquam ei parcat, quæ vt hætenus peccauit in Patrem, & Filium, ita nunc peccet in Spiritum Sanctum. peccet autem vt Sodoma & Spiritua liter quoque, quod est summa abominatio.

Abraham autem adhuc stabat coram Domino; vt deprecaretur Deum pro ciuitate, vt ostendunt illa, que sequuntur. Euangelici semper precati sunt pro Papistis, vt testantur etiam nunc eorum preces impressæ, quas publicè habuerunt. Disputatio Abrahamæ cum Deo ostendit totum

IAC. BROCARDI IN XVII. CAP. GEN.

dit totum Papatum corruptum, & quanta sit Dei patientia, qui cap. 42. Isa. ait, tacui à seculo, filii: quantaque sit eius Misericordia, qui paratus sit ignoscere. verum vt antè tam diu restiterunt Christo, ita nunc resistere perseuerant, & semper acrius pugnant contra Christum, & Deum Patrem: vt nullo modo ignoscendum illis sit, dum totus mundus iudicatur. Electores Ecclesiastici Imperij præcipuè debent consultare de communi salute. Vt præteream dietas, & conuentus plures, anno 1541. Ratisbonæ, qui conuenerant ob causam religionis, statuerant vt Hermannus Archiepiscopus Colonienfis, adhibitis sibi pijs viris & doctis, constitueret reformationem Ecclesiæ, quæ fuit descripta & edita. & hanc Papistæ rejecerunt: atque ipse fuit abdicatus ab Episcopatu.

CAPVT XIX.

Rersequitur Prophetia exponere, quando fi-
ant jam illa, quæ capite superiori denuntiata
sunt futura de Ecclesia Babylonica Romana
coepto iudicio magno à supremo iudicio in
valle Iosaphat. Et quoniam cap. 24. Matthæi & 17. Lucæ
copiosè exponuntur, quæ hîc significantur, breui com-
plectar singulorum sententias.

1. *Veneruntque duo Angeli Sodamam vesperi: & Loth se-
debat in porta Sodoma: & vidit Loth, ac surrexit in occursum
eorum, & incurruauit se in faciem super terram.* Quando
prædicatur Euangelium & Prophetia, suscipitur vtra-
que prædicatio Filij Dei, & Spiritus Sancti à pijs: ac
opus quod iussit Christus perficitur, vt sibi lauentur pe-
des, suscipiatur in suo secundo aduentu. Ecclesiastici ve-
rò Papæi respuunt vtramque prædicationem, & Christum
nolunt recognoscere. est Christus nunc veluti pauper,
qui in

qui in plateis pernoctatur. Suscipitur quidem ab humilibus; sed ipse vult suscipi ab Ecclesiasticis, & regibus, qui præsumunt suæ Ecclesiæ, & regno. postquam vero non suscipitur ab ipsis, recipit se ad humiles credentes: cum ipsis conuiuium habet, apud ipsos cogit Ecclesiam suam per prædicationem, ac innouat cultum.

4. *Prius autem quam irent cubitum, viri ciuitatis, viri Sodome cinxerunt vndique domū à puero vsque ad senem: omnis populus ab extremo, ab extrema parte ciuitatis. tota ciuitas.*

Verum contra Euangelicos, contra Christum, & Spiritum Sanctum signatos in duobus Angelis, confurrexit inquisitio, & principes Papistæ: per hos circumsepsit illa Christi, & Spiritus Sancti ministros, atque omnes credentes. Et quamuis certis in locis sint supremi magistratus, in quibus non fit inquisitio, sunt tamē coniuncti cum inquisitione, & spiritualiter eodem modo peccant facientes se Christos, & Christum tanquam sit vnus è Christianis, cui iubeant: vt & apud ipsos sit abominabile facinus, quod exponetur in Daniele, vbi agetur de abominatione. quod facinus, & scelus cum debuerint iudicare, & punire omnes magistratus, qui magistratus minus debuit, illud fouit & tutatus est cum toto populo vbique Papistico. vnde, & exercitus comparant ingentes coniurati contra Christum, & Christum Suscipientes, ut exponitur psalmo 33.

5. *Et vocauerunt Loth, & dixerunt ei. Vbi sunt viri qui venerunt ad te nocte, educ eos ad nos, ut cognoscamus eos.* Totus Papatus cum inquisitione fertur contra Christum, & eius prædicationem: volunt falsam esse prædicationem, volunt vt credentes, illam abjurent, quod dum volunt, volunt etiam vt Christus, qui est in credentibus, abjuret: falsum & hæreticum fateatur esse suum Euangelium. Non veriti sunt Papistæ iam execrandum scelus patrare: in

inquisitione arguere Filium, & Spiritum Sanctum, ac vel-
le hos sibi subijci: & quæ ipsi sentiunt, ac volunt, eadem
hos debere velle, & sentire. hoc idem cum inquisitione,
& Papa agunt illi, à quibus incipiet Christus iudicium
gladio, & igne, illis gladio, & igne contra se & suos ve-
nientibus.

8. *Ecce nunc sunt mihi duæ filia, quæ non cognouerunt vi-
rum. educam nunc eas ad vos, & facite eis sicut bonum est in
oculis vestris: tantum viris istis, ne faciatis rem, quia idcirco
venerunt in umbra & igni mei.* Fideles credentes. Euan-
gelio, fideles credentes Prophetiæ, membra Christi, &
geniti Filij Dei ex Spiritu Sancto obiciuntur inquisito-
ribus, vt vxor Leuitæ obiciebatur Gabaonitis, vt illa a-
buterentur, non autem attingerent Leuitam. O scelera-
tiores Sodomitis, & Gabaonitis inquisitores, & vos Pa-
pei hæc simul agentes, aut comprobantes. non satis est
vobis abuti Christianis, ni & ipsum Christum abomina-
biliter appetatis? si illis abutimini, saltem à Christo co-
gitationem sceleratam auertite, qui Deus est, qui in Spir-
itu nunc ad vos, vt promisit, redijt.

9. *Et dixerunt. secede hinc. & dixerunt. vnus venit ad pe-
regrinandum, & iudicabit iudicando? nunc affligemus te ma-
gis, quam ipsos. & vim fecerunt in virum, in Loth valde: &
acceserunt, vt frangerent ianuã.* Inquisitores dum non pos-
sunt attingere Christum, cuius nomen apud se est nomen
scandalosum; adoriuntur ministros Christi: volunt hos
esse aduenas, nullius rei esse participes in statu populi
Christiani: nolunt audire de aduentu Christi, & de ju-
dicio. Iudicium Christi, & eorum, quibus est apertum
æternum Euangelium, sibi vendicant. Ius Deo, & Chri-
sto Iesu volunt dicere Sodomæi. hæc omnia, quæ agit
Papa cum Inquisitione, & regibus Papistis, ac populo
Papistico, ducta sunt iam à quinta ætate, quando Papa
extulit

extulit hastam suam execrandam Baal Peoriticam, vt videbimus in Daniele, vbi agetur de abominatione. *Vim faciebant in Loth vehementissimè.* Visinquisitoria est nota omnibus, vt nulla similis inueniatur apud Latrones & grassatores. Verùm Christus liberabit iam suos, et percutiet cœcitate inquisitores, & Papistas, vt nesciant, quò se vertant, dum iudicium conuertetur contrà eos, & defendentur qui erunt Christi.

12. *Et dixerunt viri ad Loth. adhuc (ultra ne) quis tibi est hic? Generum & filios tuos, & filias tuas, & omnia qua sunt tibi in ciuitate, educ de loco.*

13. *Quia disperdemus nos locum hunc, quia creuit clamor eorum coràm Domino. & misit nos Dominus, vt disperdamus eum.* Cum ergò iudicium illud futurum sit, debebunt pij viri esse moniti, vt secernant se à Papistis, audire illud. exite ex illa popule mi. audire similitudinem Christi, de quinque virginibus.

14. *Et exiit Loth, & locutus est ad generos suos, qui acceperant filias suas, & dixit. surgite egredimini de loco isto. quia perdet Dominus ciuitatem istam. & fuit sicut ludus in oculis eorum.* Nunciatur iudicium Domini, & veritas Prophetæ: nec creditur.

15. *Et cum ipsa aurora ascendisset, & vim faciebant in Loth dicendo. Surge accipe vxorem, & duas filias tuas presentes (qua adsunt) ne forte pereas in iniquitate (punitio) ciuitatis. Si iustus vix saluabitur. vbi impius & peccator latebunt? non credentes, & sibi non prospicientes, peribunt cum impijs.*

18. *Et dixit Loth ad eos. Ne queso Domini mei.*

19. *Eccè nunc seruus tuus gratiam inuenit in oculis tuis, & magnificasti Misericordiam tuam, quam fecisti mecum, ad viuificandum animam meam. & ego non potero me liberare ad montem, ne forte hareat mihi malum, & moriar.* Debent

in tempore precari & inuocare Deū pij prudentes, vt salui fiant in articulo téporis. Propter pios profugos multa loca non punientur: hinc Propheta, orate pro ciuitatibus in quibus eritis, vt pacem det Dominus propter vos.

23. *Et Solegressus erat super terram, & Loth ingressus est Segor.* Bella signantur, quibus consumetur Papatus.

5. *Et subuertit ciuitates estas, & omnem planitiem, & omnes habitatores urbium, & germen terra.* Qui Euangelici profugi retinuerunt mores Papisticos, aut propter difficultates exilij meditantur reditum ad impios cum illis peribunt, fient vxor Loth. Quando euertetur Sodomā cum socijs, erit vastitas in tota valle, vnde dictum est. ver. 17. nonstes tota valle, erue te ad montem.

26. *Et respiciens vxor eius post, fuit facta statua salis.* Pij videbunt interitum impiorum; & quæ Ecclesiæ perissent in cultu Euangelico, procul videbunt aliorum interitum. retrò autem respicientes non videbunt regnum Dei. Luc 9.

29. *Et fuit cum euerteret Deus ciuitates illas planitiei, etiam recordatus est Deus Abraham, & emisit Loth è medio subuersionis, dum euerteret ciuitates, in quibus habitabat Loth.* Salui fient & qui erunt in administratione Euangelij, & qui alibi erunt priuati adhærentes Domino, & cum inuocantes, dum vxor Loth, dum generi eius, & filix non credentes, non adhærentes Domino, peribunt. voluerint esse inter Papistas, & poenas Papistarum senserint.

30. *Et ascendit Loth de Segor & habitauit in monte, & duæ filix eius.* Dum in fine capitis dicitur, ver. 37. *vsq; hodie.* ipse scilicet Moab est pater Moabitarum, & usque hodie ipse scilicet Ammon est pater Amonitarum, significari videtur, quod de historia antiqua narratur factum ante millia annorum, reuocandum esse nunc ad hæc nostra tempora: vt scilicet alij Moab & Amon intelligan-

telligentur nunc nati, qui videantur minimè debuisse esse geniti: quique quia geniti, siue creati sunt Reges, & regnarunt; deducendi sint, siue potius deducti intelligentur in eadem flamma ad interitum. Et vt existimo Sodomā, hoc est Papatus, qui fuit apud Moab & Amon; apud alios populos Reges & Papistas vocabitur in idē iudicium ignis, & gladij postquam, puniti fuerint, qui obtinent iudicium, & dominatum ad vallem Iosaphat, fulciantes abominationem, & contra Christum arma ferentes. Hæc aduertāt singuli Filiæ Lot videtur signare prædicatores Euangelicos quosdā, qui voluerūt retinere regna priora tyrannica: vel in filiis duabus Lot signantur ministri status publici, qui parere debent ministris verbi in his, quæ pertinent ad cognitionem diuinæ voluntatis, & legis. contrā autem fecerunt: noluerunt illis parere: ac persuaferunt tyrannos priores esse retinendos, vt ipsi quoque participes essent fructus tyrannidis: ex vtraque enim parte & ex ministris verbi, & ex ministris politicis fuerunt, qui tyrannos voluerunt, & qui noluerunt. Et hîc rectè defecisse semen masculinum debuit in Loth: & crescere in Abrahamo, ad quem pertinebant promissiones de regno futuro Dei. Verùm qui noluerunt attendere ad promissiones, ac priora regna tyrannica, Moabitica, & Amonitica retinere maluerunt: negantes etiam adesse Dominum secundò, & parare regnum Israëliticū; senserunt illud Osee 11: dabo vobis regē in ira mea, & auferam vobis regem in furore meo. Aliter possumus hunc locum interpretari vt dicamus idem hîc agi, quod dicitur initio cap. 57. Isaïæ de filijs auguratricis, adulteræ, & fornicariæ, quæ genuerit alienos a semine sancto. Item sunt illi ministri filiæ Loth, qui volunt Christum agere, non quæ sunt sui verbi, sed quæ concupierunt ipsi: volūt suo arbitratu mutare, & constituere tempora, & legem.

CAPVT XX.

1. *Et profectus est inde Abraham ad terram meridianam & habitauit inter Cades, & inter Sur, & peregrinatus est in Gerar.*



Vm peruenit prædicatio Euangelica in Italiam, inuaditque plurima alia loca; ecce ibi principes inueniuntur esse inquisitores, & locum Christi sibi vendicare abutentes Ecclesia Christi: at Christus rapit multos ex illorum manibus, qui & me ante eripuit. In piis autem fuerunt variae simulationes, & dissimulationes, vt vitarent mortem, & alia indignissima: quam mortem post concilium secundum Tridentinum certò sciuerunt nil profuturam pro testimonio, quòd omnes noscent inquisitores contra veritatem cognitam agere: vt versu 10. significatur, deinde quia erat quoque infirmitas in multis.

3. *Et uenit Deus ad Abimelech in Somnio noctu: & dixit ei. en mortuus es propter uxorem, quam accepisti, & ipsa est maritata marito.* Multi tamen & in alijs prouincijs errore peccauerunt retinentes imperium in Ecclesia Christi, suo iudicio quique separatim volentes Ecclesias administrari, ac se constituentes iudices de quæstionibus verbi Dei, & de cultu Deo præstando; cum hæc sint solius Christi in sua Ecclesia coacta. hi restituent Ecclesiam Christo, cum erratum suum sibi ostendetur in verbo Domini per Prophetiam apertam.

8. *Et Surrexit Abimelech mane, & vocauit omnes seruos suos. & locutus est omnia verba ista in auribus eorum, & timuerunt viri valde.* Quod erratum reuocabitur in ministros verbi: at ministri afferent suas causas, quòd solitudo in principibus de imperio facit eos minus cognoscentes eorum, quæ verè & secundum Dei verbum dicuntur.

12. *Et etiam verè soror mea est, filia patris mei ipsa, veruntamen non filia matris meæ. & fuit mihi in uxorem.*

13. *Et fuit postquam eduxit me Deus è domo patris mei, tunc dixi ei. Hac est misericordia, quam facies mecum in omni loco, ad quem veniemus, dic de me, quod frater tuus sim.* Lam ab initio prædicationis noluerunt ministri verbi suum jus ostendere in Ecclesijs propter timorem principum: nec omnia, quæ sentiebant aperire, concedendo multa tempori. non enim permisissent multi principes in suis regnis prædicationem, si primi ministri verbi id prædicassent, quod prædicabunt posteriores. quibus concedetur suum jus, vt apud Ecclesiam sit omne iudicium, & munus in exponendis, & decernendis his, quæ pertinent ad administrationem Ecclesiæ: cognoscetur error illorum principum, qui suo arbitratu volunt homines secum sentire in his, quæ ipsi non nouerunt, nec suum est decernere. Verùm tandem Principes deserent Ecclesiæ & Christo, quod ante abstulerant, idque vltro facient cognito Dei consilio.

15. *Et dixit Abimelech. Ecce terra mea coram te. vbi commodum tibi visum fuerit, habita.* Principes per prædicatores sanabuntur ab omnibus erroribus, atque ab omnibus malis liberabuntur, in quibus fuerunt propter Ecclesiam, quam suo iuri subiectam esse voluerunt: perseuerabunt in suis regnis complectendo ministros verbi Evangelici, & Prophetici. Abraham fuit Propheta, cuius prophetia continetur in sua historia, vt Samuel Propheta fuit, cuius Prophetia est in sua historia.

CAPVT XXI.



Romissio adest hîc secunda de Papistis, regnaturis vsque ad secundum aduentum Domini: & de his, qui parebunt & obedient Christo

Christo, potituris in secundo aduentu eiusdem regno
 Israëlitico, & patria cœlesti. binas habent Papistæ pro-
 missiones. vnde attendant, diem secundum non fuisse
 benedictum, vt alij. cùm obtinuerint regnum Christi:
 ætate quinta, & sexta, cogentur cedere illud Isaaco, hoc
 est Christo: cuius secundus aduentus hîc significatur in
 nato Isaaco, vt in sequenti capite primus in eodẽ Isaaco
 adulto offerente se patri, vt immoletur. Et hîc poterit vi-
 deri mirum, quod posteriora narrentur ante prima: &
 quòd in pueritia, seu etiam infantia signetur secundus
 aduentus: & in adulta, seu etiam virili ætate primus. Sed
 hoc minimè mirum videri debet: quia est proprium
 Prophetiæ prius exponere postrema, deinde redire, &
 assumere priora, & quæ antecesserunt: quia Deus tam
 videt omnia futura secula, quàm præsentia, & præteri-
 ta. nec mirum quoque quòd in natali signetur secundus
 aduentus Christi, & in opere virili primus: quia ita ra-
 tio retinetur Prophetiæ: vt in prioribus postrema ostèn-
 dantur, & in posterioribus priora: vt præteream alias
 rationes, quòd hæres mundi sit Christus declaratus in
 natali suo, dum dicitur, hodie genui te, dabo tibi gen-
 tes hæreditatem tuam, & quæ sequuntur: item quòd
 fuerit Christus Deus & homo. vnde diuina & virilia o-
 pera narrant Prophetæ Christi in eius natali, dum vastat
 præsentem mundum, & nouum creat. Quòd verò in in-
 fantia, & pueritia ostendatur secundus aduentus Christi:
 atque in firma ætate primus, si minus probatur sensui
 humano, probatur tamen Euangelistis & Prophetis,
 nam cum munus sit Euangelistarum exponere primum
 aduentum Christi, persequuntur historiam eorum, quæ
 gessit ætate virili, quando accessit ad prædicationem.
 Qui describunt secundum aduentum eiusdem, expo-
 nunt natiuitatem, & pueritiam narrando quæ gesta sunt
 in secun-

in secundo aduentu. Ac dum Marcus orditur ab initio prædicationis, Iohannes ab æternitate verbi, & à prædicatione Iohannis Baptistæ, Matthæus & Lucas natiuitatem proponunt, tanquam eam assumentes è Prophetis, vt Prophetæ narrantes bella, & quæ tributa sunt pueritiæ Christi, assumunt ab Euangelistis, quæ sunt ætatis virilis Christi, vt Isaias cap. 53. quæ sunt passionis Christi. atque ea causa est, quod tam pauca memorent Prophetæ de rebus gestis Christi ipsius primo aduentu: & quod Euangelistæ prætereant exponere vitam Christi à pueritia vsque ad prædicationis munus susceptum. Ita enim abscondere voluit Deus consilium suum, quod patet tandem in Ecclesia innouata. quia apud Deum idem est principium, & finis: ac ætatis nulla est distinctio: & ipse primos facit postremos, iuuenes facit senes, & senes iuuenes. Est similis ratio in Apocalypsi, vbi Antichristus signatur cap. 12. in cauda, capite autem 17. in capitibus, vbi cognoscitur tandem Antichristus. ita Hebræi in secundo aduentu Christi tantum cognoscunt Christum, vt etiam Papæi. se Antichristos mira est hæc ratio Prophetiæ, & sapientiæ Dei. priores viderunt à tergo, qui sequuntur faciem tandem sunt visuri. Est præterea illa mutua, quæ est mira, tractatio in Prophetis, & Euangelistis: vt dum hi narrant primum aduentum narrent & secundum; dum illi narrant secundum, narrent & primum. de qua re dicetur in Matthæo. His positis singula jam persequamur.

1. *Et Dominus visitauit Saram quemadmodum dixit: & fecit Dominus ipsi Saræ quemadmodum locutus est.* Christus quemadmodum nuntiauit tota ætate sexta, extabit rex in toto populo Christiano, quemadmodum & Deus in omni Prophetia antè fuit locutus, vt eius regnum iam sit

IAC. BROCARDI IN XXI. CAP GEN.
etiam huius mundi. quod negauit esse cum venit in carne, siue dicas tunc fuisse mundum Ismaëliticum, nunc futurum Isaaci.

2. *Conceptus, & peperit Sara ipsi Abraha filium in senectute eius tempore, quo Dixerat ei Deus.* In postrema ætate Ecclesiæ, ut Prophetia continet.

3. *Et vocauit Abraham nomen filij sui, qui natus est sibi, quem peperit ei Sara, Isaac.* Nam in nomine Isaac signatur risus Euangelicorum, quando obtinebunt regnum Israëliticum in secundo aduentu Christi victo Antichristo, & regno Satanæ. Quamuis Angeli nuntiarint gaudium magnum, fuit tamen luctus, quem dixit ipse Christus conuertendum in gaudium post moriente ipso, & resurgendo è mortuis, patientibus fidelibus cum Christo, & in Christo resurgentibus.

5. 6. 7. *Abraham autem erat centum annorum, quando natus fuit ei Isaac filius suus.* Quando à statu primo & secundo ingredientur in Sabbatismum, admiratio erit apud omnes, qui videbunt regnum Christi ætate septima, & ridebunt tumpij in interitu impiorum, & Antichristi: & ob suum beatum statum. Repetitur risus, vt secundus aduentus signetur, qui signatur idem, dum Sara, hoc est Ecclesia ait se peperisse in senectute sua.

8. *Creuit igitur puer, & ab lactatus fuit, & fecit Abraham conuiuium magnum die quo ab lactatus fuit Isaac.* Christus visus est puer, at nunc & Deus videbitur. conuiuium. hoc est conuiuium de quo ait Christus. dico enim vobis post hac non eadem ex hoc Pascate, donec compleatur in regno Dei. item non bibam de fructu vitis, vsq; dum bibam illud vobiscum nouum in Regno Patris mei. tunc erunt nuptiæ Agni. ab hoc conuiuio eijcietur Papismus.

9. 10. *Et vidit Sara filium Hagar Ægyptia, quem peperit ipsi Abraha ludentem. (irridentem).* Hic fit reditus ad filios carnis

os carnis, ad Papistas, quorum mores pij viri ferre non potuerunt. potius deserta petierunt. ibi fuerunt vsque dum Ecclesia Romana, & Papa in magno iudicio eijcerentur, qui irriserant cum ante tum nunc prædicationem de secundo aduentu Domini, de iudicio nunc futuro, de quibus locutus est Dauid. Ps. 1. u. 5. Prou. 1. u. 22. & 26. 2. Pet. 3. u. 3. quibusq; eueniet, quod nuntiavit Salomon capite illo primo Prouerb. & cap. 3. u. 34

11. 12. *Displicuit autem hoc valde in oculis Abrahæ propter filium suum.* Nam Deus, quia Papatus ortus est ex Ecclesia, certam secundum suum iudicium voluit illius habere rationem.

13. *Et etiam filium ancille in gentem ponam eum, quoniam semen tuum est.* Data sunt illi bona multa in deserto Bersabeæ: hoc est in duplici potestate, vt obtineant bona Ecclesiastica & Politica, ius coniunctum haberent Ecclesiastici & Politici, in administranda Repub: Christiana. Verum intelligendus est hic panis, & aqua, cibus & potus spiritualis sumptus à doctrina Apostolica, & Euangelica. Et in Bersabea signatur Ecclesia, è qua hauritur spiritualis potus, & quæ exponit magistratui politico legem Dei in administranda rep. Christiana.

14. *Et Surrexit Abraham summo mane, & tulit panem, & utrem aqua, & dedit Hagar imponens super humerum eius.* Aquæ autem defecerunt, spiritus & doctrina exaruit in Papatu, & in Ecclesia Romana, facta serua cupiditatum.

15. *Cum consumpta esset aqua ex utre, proiecit puerum subter unam arborem.* Vnde significatur alia aqua data Papistis Ecclesiasticis, terrena scilicet bona. quæ & cap. 19. Isaræ significantur in aquis. & hic etiam indicatur versu 19. vbi puer dicitur fuisse sagittarius, & in iaculando peritus, Papa, qui fuit bellator, interfector priorum, excommunicator, hoc est, interfector animarum. procul

jaciendo interficit, & vulnerat per excommunicationem, & per principes, item conicit alios in bella, & se extra periculum continet. ante prædicationem Lutheri auctoritate pertingebat fines populi Christiani. Sagittarius est & Turca, ambo Antichristi. Nam Mahumetus, & Papa leges præscribunt populis. ille apertus Antichristus: hic hypocrita.

20. *Et fuit Deus cum puero: & non creuit, & sedit in deserto, & fugit jaculator sagittarius arcuarius.* Quando Papa factus est venator, & sagittarius, fuit tunc ejectus e gloria ministrorum Christi, & successione Apostolica. quando inquam induit vestem rubeam, & voluit adorari: & Ecclesia Romana maritavit se quoque cum regno Gallia, coniunxit se cum Sorbona, & tyrannide regia: maritavit se cum magnis principibus, se prostituit tyrannis: eaque acta sunt quæ historia docet. Idem intellige de Mahumeto, & Turcis. Et hæc recognoscantur in Osea cap. 2.

22. *Et fuit eodem tempore, & dixit Abimelech, & Picol princeps exercitus eius ad Abraham dicendo Deus tecum est in omnibus qua tu facis.* Hic duplex videtur esse sententia, prima, imperatores, & reges tempore Papatus coniunctos fuisse cum Papa: altera in euerfione Papatus. Principes conjunxisse se cum Evangelicis. nec mirum videri hoc debebit, quod in vna narratione quæ sententiæ certa ratione contrariæ inueniantur. talia sunt multa in scripturis propter mixtos Israëlitas, & Christianos veros, & Hypocritas: vt videbimus in facinore Simonis & Leui, qui cæderunt Sichimæos. videbimus & in Apoc: cap. 9. reges pugnare pro Papatu, & urbem Papæam incendere. Vtramque ergo sententiam attingamus Papa fit rex, & rex Papa, dum alter alterius partes, & munus sibi sumit. Et qui Evangelici fugerent in deserta cultum
Apostoli-

Apostolicum retinentes sustinent Ecclesiasticos factos Abimelech, & hi sustinent Euangelicos.

24. *Et dixit Abraham, Ego jurabo* Erit tamen illud reprehendendum, vt qui retinent cultum Spiritus, priuentur bonis externis occupatis à Papistis. siue in puteis intelligas vultum Spiritualem, qui non impediendus sit.

27. *Et accepit Abraham pecudem, & bouem, & dedit ipsi Abimelech, & percusserunt ambo ipsi fœdus.* Septem agnæ sunt fideles, quia à Spiritu Sancto ducuntur, & in baptismo sunt facti Christiani, & Christi: quos Christus imitandos proposuit Papistis vsque ad postremam ætatem. Interea fuit Papistis pax a Christo vsque ad prædicationem Lutheri. ac interea Papa non veritus est tradere omnes oues Christi Diabolo, vt posset ipse regnare Antichristus. vnde est suum regnum puteus septem aquarum: & factus est infernus animarum locus Ecclesiæ quæ fuerat salus earundem: & vbi hauriebatur vita, ibi per Papam hauritur mors. Et hæc est causa, quare detestentur hunc locum Prophetæ, & sedem Papæam. Amos ait, in Bersabea non transibitis hoc est non ingrediemini in fœdus cum Papistis, nec adhæreatis Papatui.

31. *Idcirco vocauit locum istum Bersabeam, quia ibi iurauerant ambo ipsi.* Dum tyrannis ponitur in populo Christiano.

32. *Et inierunt fœdus in Bersabea, & surrexit Abimelech & Picol princeps, exercitus eius, & reuersi sunt ad terram Philistæorum.* Papa est Antichristus. hinc quia in Philistæis signati sunt Longobardi præter regiones regni: Philippi in Germania inferiori, præsertim Flandria, dixerunt noui Prophetæ, Antichristum futurum Longobardum. ac Pius Quartus fuit Mediolanensis, cuius tempore Papa in concilio secundo Tridentino fuit declaratus Antichristus: in Flandria fuit Dux Albanus Hispanus ma-

nus Antichristi, percutiens credentes Christo. Sin autem secundum aliam sententiam interpretabimur, assumemus finem superioris capitis, & cognoscemus expulsis Papistis principes, qui viderint iudicium Domini peractum, conuenturos cum ministris verbi Euangelici, atque mutuis consiliis, & iisdem legibus administratos in populo Dei. component controuersias, quæ fuerunt antè propter prædicationem Euangelicam. in septem agnis probabitur esse tempus iudicij, & postremæ ætatis, & quæ prædicatio fuit Euangelicorum, esse illâ, de qua dixit Christus Mar. cap. 13. oportet prius prædicari Euangelium: & Mat. 24. & prædicabitur hoc Euangelium regni in vniversa terra in testimonium omnibus gentibus. Secundum ergo prædicationem secundi aduentus Domini debent Ecclesiastici, & politici administrare, & inter se conuenire. Atque antea Papistæ dum voluerunt esse Papistæ, & foedera habere cum Euangelicis & Euangelia cum Papistis, ea ratione mihi videntur debere habuisse, vt fuit inter Abraham, & Abimelech.

Dum caput duodecimum huius libri esset sub prælo, rogauit à me quidam, an censerem, exemplum hoc de Abrahamo foedus iniente cum Abimelecho, potuisse ab Israëlitis vsurpari, vt ferrent foedus cum gentibus. respondi, mihi non videri. Nam secundum certam rationem vno tēpore fiebant aliqua, quæ tēpore alio aliter fieri debuerunt. vt Deus voluit populū suū ingredi in Aegyptum: post voluit eundem exire, ac viuere omnino separatim ab aliis gentibus. Atq; ita ante potuit fuisse aliquod foedus cum gentibus, inter quas fuit viuendum, non item dum fuit status publicus, & separatio ab illis. Non ergo quia aliquando voluit Deus populū suū esse in Aegypto, aliàs assumet sibi vir Deo dicatus, ut versetur

versetur inter Aegyptios. In Prophetis iubentur, qui
 erant in Aegypto, ire in Caldæam, & relinquere Aegy-
 ptum. post iussi sunt relinquere Caldæam, & redire in
 patriam suam. Ergo cum semel iussi sunt ire in Aegy-
 ptum, & in Caldæam, non iccirco adducet homo in e-
 xemplum, ut cant Israëlita in Aegyptum, & in Caldæ-
 am, ut habitent ibi. similiter si foedus initum fuit cum
 gentibus, dum oportuit vivere inter gentes, non idem
 censendum est fuisse agendum, quando Deus separavit
 populum suum à reliquis gentibus, dato ei publico sta-
 tu, & propriis legibus, & hac separatim sapius repetita
 de foedere non ineundo cum gentibus. Præterea foedus,
 quod tunc fuit, non erat de aliqua ineunda societate, &
 communicatione; sed ut alter alteri non noceret, quod
 erat lex naturæ perpetuò seruanda. aliàs debuerunt esse
 disuncti, quod in lege requirebatur. quæ lex repeteba-
 tur, ne fieret foedus cum gentibus. Et ita fuit discrimen
 inter foedus, & foedus. tale erat foedus Abrahæ, & Isaaci,
 ut præstaretur, quod requirebatur in foedere vetito in
 Mose, ut non esset consociatio, dum non esset bellum;
 ne esset occasio in communi societate, & consuetudine,
 ut imbiberentur mores gentilitii. Præterea adhuc non
 erant adductæ gentes, ut fidem fallerent. ut post addu-
 ctus fuit Pharaò, & aliæ gentes, ut violarent fidem, dum
 fuit contentio de statu publico: quæ ante non ita fuit. id-
 circo seruabant fidem gentes. neque tum insidiabatur
 Abimelech vitæ Abrahæ, & Isaaci propter odium divini
 cultus, ut fecerunt post gentes. probat enim Abimelech
 religionem Abrahæ, & Isaaci: ac reuerebatur Deum in
 illis: non erat odium ob statum publicum, ut post. con-
 cessit enim Abrahæ quæ sua erant: & ablata iussit resti-
 tuti. contra egerunt post gentes. omni statu, & vita volu-
 erunt esse priuatum Dei populum: non foedera, & pro-
 missa

ISAAC. BROCARDI IN XXI. CAP. GEN.
missa seruabant. Et dum disjuncti erant Abraham, & Isaac ab Abimelech, non erat occasio, vt filij Abrahami, & Isaaci imitarentur mores gentium. His de causis mihi non videntur Israëlitæ potuisse adducere in exemplum factum Abrahami, & Isaaci vt contra præceptum Dei singulare inirent foedus cum gentibus.

Idem addidit rogare, quidnam sentirem de foedere nunc inito cum principe Papista. nam superioribus annis Germani, & Heluetij inierunt foedus cum Papistis in suis regionibus. item in Gallia mortuo Francisco juniori initum fuit foedus ibi quoque cum Papistis. quod foedus dictum fuit edictum Ianuarij. hinc videretur, & nunc quoque potuisse fieri foedus cum principe Papista. Hic respondi. miror, quod tu ista roges. sume quemuis de via sensu humano præditum, siue etiam Papistam inter Papistas. hic ridebit. Germani non erant suspecti de fide violanda, nec principes Papistæ ibi imbiberant decretum Papæum de fide violanda. item Galli Evangelici nunquam tum putassent ibi principes Papistas, qui ante fuerant exemplum fidei, vt dum firma promitteretur fides, diceretur, FIDE REGIA, recessisse à lege insita in natura; à jure gentium, vt fidem fallerent. At postquam fesellerunt semel in Gallia, fuit ne papistis deinceps ibi credendum: & vbi principes suscepissent sibi seruandum impium decretum de fide non seruanda non quidem videtur. & si sæpius fesellerunt multo minus credam. Nam jam diu ipse gentes, quæ voluerunt etiam hostibus fidem esse seruandam, ita censuerunt, & statuerunt, vt crederemus perfidis. Est verò nunc alia ratio, quod qui inter gentes aliquando fuerunt perfidi, non tamen semper in eadem re fuerunt; nec statuerunt aliquando non esse seruandam fidem. verum hoc tempore non solum statuerunt; sed & decreto confirmarunt institutum

stitutum impium de non seruanda fide. Nihil faciunt
 jus legis naturæ hominum: nil jus gentium nil jus diui-
 num præcipiens seruandam esse fidem. quod illis obji-
 cit Deus, inquit cap. 24. Isaia. transgressi sunt leges,
 mutauerunt jus, dissipauerunt foedus sempiternum. ita
 nulla vis conscientiae est in ipsis, quæ solet esse aliqua in
 animis etiam sceleratissimorum hominum, non verentur
 iudicia, & reprehensiones bonorum, non Papistarum
 qui ducuntur aliquo timore Domini, non Turcarum, &
 aliarum nationum retinentium aliquid juris naturæ, &
 gentiū. non dimouentur à suo instituto moniti aliquan-
 do à Deo poena aliqua allata insigni. Vladislaus Panno-
 niæ rex habuit foedus cum Turca. suadet illi Papa, infi-
 delibus non esse seruandam fidem. vnde eam rex fran-
 git. et ão. 26. ipse & cū ipso totus eius exercitus cæditur à
 Turca. Papæi hoc non attendunt; nec Turcā ante confi-
 ctum, conuersis oculis in vexillum, In quo erat picta
 imago Christi crucifixi, altavoce, lingua sua exclama-
 se, crucifixe. Si verèes Deus, ulciscere perfidiam tuæ gen-
 tis, quæ contra jus, & fas, & contra fidem datam arma
 cepit. Hic ostendit Christus decrerum Papistarum pu-
 niendum: & à Turcis habetur pro eo, quod sit contra
 omne jus. Iacobus Scotiae rex dicitur fidem dedisse re-
 gi Angliæ, se non venturum contra ipsum, suasu Papæ
 contra datam fidem venit contra Anglum, à quo cum
 toto exercitu cæditur. Diuinam poenam vidimus in ali-
 is quibusdam notis in toto mundo. in uniuersos perfid-
 dos tandem visuri sumus. Tu iam his vitam tuam, aut
 quicquam credes? Instant hic aliqui. si semel, aut ali-
 quoties fecerunt impiè non semper forsitam facient,
 Verùm tu in tua (quicumque id infers) ego non in mea
 vita periculum de hac re faciam. hætenus semper fece-
 runt, & eorum institutum est semper tacere. Dic mihi

rogo, si tu donares vni ex sanguinarijs regnum optimum
 & pulcherrimum, vt desisteret ab illo tartareo decreto de
 non seruanda fide; putasne tu, quod esset gratus? quod
 saltem à te abstineret manus? non credo ego, & forte
 possem rem ostendere exemplo. Quamobrem sensus me-
 us non potest acquiescere in hac re: & si acquiescerem,
 scio quòd risu essem excipiendus à turba Paparum.
 Et hæc dicta sint secundum sensum humanum commu-
 nem. Si autem rem expendamus secundum rationem vi-
 ri Euangelia curantis, quæ sunt Ecclesiæ, & regni Chri-
 sti; censerem ego esse distinguendum, vt antè dicebam,
 inter fœdus, & fœdus. Secundum fœdus Abrahæ, &
 Isaaci cum Abimelecho mihi videntur Germani, & Hel-
 uetij, siue alij annis superioribus potuisse habere fœdus
 illud cum Papistis, vt religio esset libera: suum statum
 quisque retineret; alter alteri non noceret: quisque sua
 separatim ageret, quæ requirebantur quoque in edicto
 Ianuarij anni 1561. in Gallia seruando inter Euangeli-
 cos, & Papistas. verùm hoc non fuit seruatum, quia non
 fuit factum cum Abimelecho, vt putabatur; sed cum
 Pharaone, & cum Esau. Si iam sit fœdus Pharaonicum
 sequens decretum Esau, qui persequatur gladio fratrem
 suum, violet misericordiam, non remittat de furore suo,
 ac dignationem suam seruet perpetuò. Amos cap. p.
 tale fœdus non videtur admittendum, ne in te fiant uni-
 uersales cædes. Et si in fœdus venisti, in quo aduertas te
 venire in periculum; tu, qui minister es status Euange-
 lici, mihi videris, præter reliquas diuinas scripturas, de-
 bere audire Salomonem in toto sexto capite Prouerbi-
 orum. tu qui es imbellis, et extra Aegyptum, audi Iere-
 miam, qui te monet, dum non auditur Salomon in eo
 capite, ne ingredi in Aegyptum: sustineas captiui-
 tatem, in quam te duxit Deus: sis vbi libertas obtinea-
 tur

tur Evangelij: ne graueris traicere maria, & flumina,
 vt Israëlitæ: sustinere incommoda peregrinationis: ex-
 pectare patienter tempus liberationis à seruitute consti-
 tutum à Domino. Cautio est hæc & illa, vt cognoscatur
 Dominus adesse: ipse audratur, & suscipiatur, siquidem
 ipse est, qui Evangelicos Gallos anno 1561. & Belgas
 anno 1576. in libertatem adduxerit. qui sit recogno-
 scendus, & audiendus. Atque dum non est fides, non est
 salus in principibus. & vbique est oppressio, iniquitas,
 perfidia, & proditio; clamat Christus Isaia. 45. Deus ju-
 stus, & saluans non est præter me, respicite ad me omnes
 fines terræ, & salui eritis. non suscipitur, non auditur ip-
 se: suscipiuntur, & audiuntur aduersarij: præcepta Dei
 non seruantur. Hinc nobis dicitur, Isaia. 5. Spreuerunt
 legem Domini exercitum: & eloquium Sancti Israël
 contempserunt. vnde fuit morticinium in medio platea-
 rum. item 31. Væ descendentibus in Aegyptum pro auxilio:
 & non respexerunt ad Sanctum Israël, & Dominum i-
 plum non requisierunt, jurarunt in aliu, Deu, quam in De-
 um verum, vt queritur ipse Deus cap 4. & 5. & 12. Iere-
 miæ primo Soph. & 5. Zachariæ. vnde nunc poena adest,
 nec aduertitur error, tanquam non sit Sanctus Israël,
 qui nunc percutiat: tanquam non ista omnia nuntiane-
 rit in Prophetis: tanquam quæ nunc fiunt, casu, & for-
 tuna fiant. Quare irascitur Deus cap. 26. Leuitici, dum
 casu volumus hæc fieri, non autem à se nunciata olim, &
 nunc profecta. vnde ait se in casu quoque ambulatu-
 rum nobiscum. & ecce mala, quæ nunc inuadunt nos,
 quæ tibi, & alibi minatus est. Quamobrem ego sentio
 confugiendum esse ad illum Christum, qui auxit popu-
 lum suum in Gallia anno 1561, & liberum fecit post in
 Hollandia, & Zelandia & deinceps anno 1576. in toto
 Belgico vt ab hoc seruatore non sit recedendum: non juran-
 dum

IAC. BROCARDI IN XXI. CAP. GEN.

dum in illum, à quo interficiaris, & meritò à Christo deseraris, quem deserueris cum aduersario repetens foedera. Nam si suscepisti Euangelium, quomodo potes suscipere oppugnatorem Euangelij? Si statuisti esse in Ecclesia Christi, & eam promouere, quomodo illum inducis, qui eam vastet? Si mortem sustinuisti pro tuendo cultu Euangelico, prædicasti pro eo tuendo vitam ipsam esse profundendam; quomodo inducis aduersarium, qui illum euertat; & tu interficiaris, vt euertatur, qui sponte interficibaris, vt seruetur. Si eiecisti cultum impium, quomodo vocas illum ad te, qui illum reuocet? Putasne, te posse jurare in Deum, & Christum Iesum, & item in Aduersarium, Melchumum? Vide quid tibi minatus sit Deus cap. 13. Ier: & p^o. Soph: & 5. Zacharia. Vide an illa tibi contingant. Plurima hîc dici possunt, quæ alibi copiosius veniunt tractanda. Quamobrem & ne interficiar ab his; qui nihil deliberatius habent, quam me perdere sub promissa fide: atque ne ingratus, & iniuriosus sim in Christum in eius locum, siue cum ipso suscipiendo ejus aduersariû; nunquam adducerer, vt acciperem mihi dominum Papistam, cum eo jungerer. Fugerem in ultimas terras, & ultra quantum possem. Hæc volui hîc addere, dum talia agitantur inter nos: & vt quid apud me statutum sit, tester apud Deum & apud homines.

CAPVT XXII.



Promissio septima affertur, & significatur ætas septima in qua assumitur & quarta, & alia deinceps.

1. Et fuit post hæc & Deus tentauit Abraham, & dixit ad eum Abraham & dixit ecce ego. Fit reditus ad-

tus ad primum aduentum Christi in Isaaco, qui vocatur ad sacrificium, vt ipsemet immoletur. verum dum non ipse; sed aries immolatur, signatur secundus quoque aduentus: in quo dum est parata mors omnibus Evangelicis, postquam & antè multi interfecti fuerunt, atque afflicti, & impij quoque tandem interficiuntur, & perduntur superstitibus omninò remanentibus membris Christi, & Domini regno Christi, ac in eius Ecclesia victrice.

13. *Et vocauit Abraham nomen loci illius, Dominus videbit, idcirco dicitur hodie in monte Dominus videbitur.* Peractoque iudicio Domini, memoria debuit esse perpetua, Deum Patrem in Christo prospexisse & præparasse, salutem nostram, etiam ante mundum & prospexisse iudicium, quod peracturus erat in saluando pios, & perdendo impios.

15. 16. *Et clamauit Angelus Domini ad Abraham secundo à caelo.* Conclusio adducitur superiorum promissionum in hac septima; confirmataque maximè fuit omnis promissio in Christo, & de Christo, & per Christum, & à Christo: qui dum promisit in coena se iterum venturum, hæc omnia promisit, & præstabit nunc in restitutione regni Israëliti.

19. *Et reuersus est Abraham ad pueros suos: & surrexerunt, ac iuerunt pariter in Bersabeam & habitauit Abraham in Bersabea.* Postquam ascendit Christus in Coelum fuit missus Spiritus Sanctus Ecclesiæ, in eaque fuit.

20. *Et fuit post hæc & nuntiatum est ipsi Abraham dicendo. Ecce peperit Michal etiam ipsa filios Nachor fratri suo.* Constituta & fundata in duodecim Apostolis. Nam in Nachor signabatur Filius Dei, vt diximus cap. 11. qui procreauit duodecim Apostolos. Et dum octo recensentur filij Michal uxoris, & quatuor Reumæ concubinæ; si-

MAC. BROCARDI IN XXXIII. CAP. GEN.
natur, vt existimō, Ecclesia innouata totius orbis par-
tim constituta per ministros verbi Europæ, partim per
ministros Asiæ, & Africæ: quorum provincia cum fi-
deles propter promissionem venerint in sortem sponse
Christi: siue in Michal intelligamus Ecclesiam gentium,
in Reuma Iudaicam, seu contra: nec quisquam miserari
debet, si hinc Ecclesiam Apostolicam, & innouatam
huius temporis in eodem loco, & in iisdem verbis intel-
ligimus. Si item quæ de immolando Isaaco dicta sunt in
hoc capite ad vtrumque statum referimus, quia, vt vide-
bimus in interpretationibus in Euangelia, etiam Chri-
stus sepè iisdem parabolis cognoscetur: alio cunctis & Iu-
dæos, & Papistas: complexus & quæ fuerunt illius tem-
poris, & simul quæ huius nostri. Antequam persequa-
mur cap. 23. restat, vt præter septem dies, qui capite
primo Gen. memorantur: præter septem ætates, quas
vidimus signatas quoque à cap. 12. vsque ad hunc lo-
cum; contemplemur etiam in his vndecim capitibus
septem tempora operû Christi in eius secundo aduentu,
vt innouaret Ecclesiam suam, afferretque nobis regnum
Israëliticum. *Tempus primum.* Dum igitur cap. 12. exit
Abraham è patria sua, & domo sua, signantur omnes
credentes prædicationi Euangelicæ repetitæ à Christo
in Luthero, & aliis, debuisse exisse è Papatu, in quo nati
sunt, reiecisse parentum Papistarum instituta, vixisse
autem in cultu Euangelij vsque dum non habuimus Ec-
clesiam liberam, & versati sumus in medio Papistarum:
hoc est, debuimus credidisse promissioni Euangelicæ,
quòd in Euangelio salutem consequeremur. In Aegy-
ptum, dum contendit Abraham, signatur prædicatione in-
grediens in Papatum quando aggreditur opus prædica-
tionis Christus in Luthero, vt vidimus factum. item si-
gnatur prædicatione deducta è Germania in Galliam &
hoc tem-

hoc tempus videtur respondere primæ promissioni. Tæ-
 pus secundum. Et dum diuulgatur Euangelium vndi-
 que in Germania, & Heluetia, fit separatio inter Ecele-
 sias Euangelicas & Papisticas: fit concursus Geneuam
 multorum Euangelicorum. In Rhetia quoque adsunt
 Ecclesiæ distinctæ à Papisticis. peruatit Euangelium præ-
 dicarum in Germania, & Heluetia multa loca, & vi in-
 greditur in omnes regiones populi Christiani: vt ubi-
 que sint Euangelici, etiam vbi non sunt Ecclesiæ. Et
 dum existit persecutio, & perturbationes variæ, nihilo-
 minus vbi que apud Papistas scaturiunt Euangelici: qui
 tollunt animos, quibus manet certa promissio de secun-
 do aduentu Domini in Spiritu signati in Melchisedech.
 vt nunc patefiat Filius Dei æternus semper fuisse in Pa-
 tre: qui nunc incubat, vt ita dicam, in totum populum
 Christianum, & omnes gentes, non solum viuificat mē-
 bra Ecclesiæ, quæ est suum corpus, vt præstet ipse iam
 conuiuium promissum illud. non bibam de hoc fructu
 vitis, vsque dum ipsam bibam vobiscum in regno Dei.
 vbi etiam signatur cibus, & potus Spiritualis Cœnæ Do-
 minicæ susceptus à pluribus Ecclesiis in Heluetia, Rhe-
 tia, Geneuæ, & alibi. Et hæc respondent secundæ pro-
 missioni Abrahæ. *Tempus tertium.* Regna peruatit idē
 Euangelium, dum concilium primum Tridentinum ha-
 betur: & quaritur r defensor veritatis, & dux Euangelicis:
 quaritur iudicium de veritate prædicationis, & neutrum
 inuenitur; sed maculationes persenerant vbi que fieri Eu-
 angelicorum, vbi viget vis Papistica: dabitur ipse Chri-
 stus, qui cum peruentum fuerit ad 40. annum à prædica-
 tione Lutheri, bello inuadat Galliam, & alia loca Pa-
 pistica, quæ sibi subiciet & coget concilia, in quibus ve-
 ritas locum habeat. Et hæc respondent tertiæ promissi-
 oni Abrahæ *Tempus quartum* Dum regnat adhuc Pa-
 pa, post-

IAC. BROCARDI IN XXII. CAP GEN.

pa, postquam Euangelium peruasit Galliam, desit tamen regnare in hominum animis tacita conscientia omnibus jam de Papa dubitantibus. Et quantumuis Papa & Imperator, & reges interficiant eos, qui à Papa deficiunt, vigent tamen Euangelici, vt & Vngaria & finitimæ regiones replentur credentibus, & deficientibus à Papa. & quò magis contendit Ferdinandus interficere omnes, eò magis illorum numerus crescat, vt regnum Christi adsit Spirituale vbique, & vera professio baptismatis in Euangelicis. Et hæc respondent quartæ promissioni Abrahamæ. *Tempus quintum.* Quintum tempus prædicationis Euangelicæ venit in perturbationem Gallicanam, vt obtineant Euangelici ibi victoriam de Antichristo, qui secundum Euangelium susceptum, & professionem nominis vixerint. Et hæc respondent promissioni quintæ promissæ: Abrahamæ de regibus è se orituris, si seruetur pactû, quod habetur cû Deo. *Tempus sextum.* Sextum tempus prædicationis Euangelicæ videtur ducere initium à coedibus uniuersalibus, seu à perturbatione magna & à iudicio magno vsque dum tota Gallia, Hispania, Italia, & Germania vi bellica pugnante Christo sint ipsi subactæ, & victæ. Et hæc respondent promissioni sextæ Abrahamæ. *Tempus septimum.* Nascitur nouus status mundi, Ecclesia reuiuiscit Apostolica, restituitur regnum Israëliticum expulso Papatu, & regno tyrannorum. & quia post magnum iudicium vallis Iosaphat incipient hæc fieri, aliquando septimum tempus incipi dicitur post illud iudicium, Et hæc respondent septimæ promissioni Abrahamæ.



CAPVT XXIII.

Nedicam in Sara signari Ecclesiam honorificè ductam vsque ad statum tertium, & memoriam præclaram futuram apud posteros de his qui benè in ea se gesserunt, & deinceps nullam in illa futuram curam nisi de cœlesti vita; alia vt video desiderabuntur. vt quid in annis Saræ, quid in locis in quibus est mortua, quid in diligentia in emptione agri pro sepultura, quid in tam diligenti stipulatione, quid in enumeratione locorum, quid in possessione hæreditaria confirmata ipsi Abrahamæ signetur. Verum mysterium, quo hæc exponenda sunt, videtur ad id tempus pertinere, quando in vnâ Ecclesiam venient omnes nationes, quæ in terris versabuntur. Interea hoc caput videtur esse expositum. cap. 32. Ieremiæ: sumatur ergo inde interpretationis summa. vt quemadmodum Esau pro esca vendidit primogenituram, sic vita futura, & regnum æternum sit captum à pijs relicto impijs vsu fructu seculi tyrannici & Antichristici. sit inquam coemptum morte Christi, cum quo passi sint & qui ad eius corpus, & Ecclesiam pertinent: impij autem qui venderunt ius hæreditatis, & possessionis terrarum, in secundo aduentu Christi exhibunt, vt non sint in terris.

CAPVT XXIIII.

Missi sunt Apostoli, quando peregit opus suum pater in filio, eum pro peccatis mundi sacrificium in cruce suscipiendo: vt Ecclesiam secundum electionem ex gentibus afferret Filio suo sponsam propriam: mandataque dantur illis eorum, quæ sibi agenda essent in accersenda sponsa. Dum

IAC. BROCARDI IN XXIII. CAP. GEN.
autem pergunt ad suam legationem; & munus Aposto-
licum: dum variæ extant dubitationes propter Iudæos;
illos censent Apostoli pertinere ad Ecclesiam, qui Spi-
ritum Sanctum acceperunt in prædicatione, & in qui-
bus cernuntur opera certa Spiritus Sancti, & charitatis, vt
etiam erga infimos. sit eadem ratio charitatis, vt vidimus
in Paulo erga Onesimum seruum. illi, in quibus cerni-
tur is Spiritus, & charitatis opus, quod vidimus in Re-
becca (quasi quæ duxerunt è diuino fonte, diffundant in
alios) assumuntur pro sponsa Christi vt ait Paulus. de-
spondi enim vos vni viro virginem castam exhibere
Christo. in aures appenduntur illis, & manus ornantur
armillis, vt habeant Spiritum ad apprehendendam ve-
ritatem verbi Dei, & sint parati ad omne opus diuino-
rum præceptorum. post dantur varia dona, & faculta-
tes, & munera à Spiritu Sancto his, qui veniunt in cor-
pus Ecclesiæ, & sponsæ Christi. quod signatur in vasis
argenteis, & aureis, & in vestibus. Cum perducitur ad
sponsam sponsa huiusmodi, fit vnum corpus cum ipso
Christo, & Christus obliuiscitur Synagogæ, & quicquid
nobilitatis præ se fert caro in familiis, & in genere. Est
prætereà in hoc capite attendendum studium, & solici-
tudo, & diligentia Apostolorum, & ministrorum verbi
in suo munere præstando: quomodo Deo fidant, ab eo
expectent omnem benedictionem sui operis: quomodo
aduertant, quæ sibi eueniunt: quomodo opus suum o-
pus Dei vbique recognoscant: quomodo gratias Deo
vbique agant pro omni re à se, siue in se benè expedita.
Petrus fuit attentus in ea visione de serpentibus edendis
in linteis demissis ex alto: vt cognosceret eos non esse
reijciendos ab Ecclesia; qui Spiritum Sanctum cum ali-
is pariter accepissent. Sed vt rem totam in vnum con-
ducamus, mihi videtur hic seruus Abraham esse figura
Pau-

Pauli vocantis ad Christum Ecclesiam ex gentibus & eadem in utroque conspici in suo munere optimè perficiendo, poterit quisque aduertere eadem in iisdem. Et quia nomen serui non ponitur, quisque minister cognoscere debet, sibi quoque seruum hunc esse exemplum, quomodo suum ministerium præstare debeat. in Ecclesia Christi, quod præstiterunt Apostoli, & præstabitur in innouata Ecclesia. Si quis attendat, quæ capite duodecimo dicta & probata sunt ex Paulo de Isaaco, in quo signatus sit Christus, & vocatio gentium; propriè videbitur Paulus respondere seruo adducenti vxorè Isaaco, dum ipse adducit Ecclesiam è gentibus Christo.

CAPVT XXV.



Ultra videntur concludi in hoc capite: historia Abrahami, in qua coniungitur Isaac, & Iacob, vt omnes status & ætates mundi hic coniunctæ videantur per vnum Iesum Christum medium: atque Patris, & Filij, & Spiritus Sancti sit in his tribus Patriarchis typus. Comprehenditur deinde tempus Ecclesiam post Christum, & ostenditur transitus ab ætate sexta ad septimam, siue à secundo statu ad tertium.

1. Et addidit Abraham, & accepit vxorem, & nomen eius Cetrach. Ac primum quidem videtur status tertius concludi in Abrahamo, & signari opus Patris, & primi status perfectum. dum autem aliam duxit vxorem quæ sex peperit; videntur signari sex priores ætates, & in Isaaco septima: Christus scilicet obtinens regnum mundi, & donans illud Euangelicis. qui autem fuerunt tempore sex ætatum, & illi maximè, qui nati sunt non secundum electi-

electionem, vt Iudæi, & Papistæ carnalès filij concubinarum habuerunt dona, bona scilicet, regna terrena, vsque ad ætatem septimam qui fuerunt & sunt secundum promissionem nati obtinent & bona temporis Sabbatissimi cum æternis. nec mirum videri debet, si Isaac natus sit antè: quia priora in Prophetia sæpè ostendūt posteriora.

6. *Et isti sunt dies annorum vite Abraham, quos vixit, centum anni, & septuaginta anni, & quinque anni.* Numerus annorum Abrahami potest distingui (vt in multis alijs) vt primus numerus referatur ad primum statum, secundus ad secundum, tertius ad tertium: & inde mysteria deducere, vt videbitur peritis.

7. *Obijt, & mortuus est Abraham transacta bene ætate, senex, & satur dierū: & aggregatus est ad populos suos.* Quod Abraham, in quo signatur pater, & primus status legis, concludat tertium statum, fit, quia in Filio & Spiritu Sancto est Pater, vt Filius in Patre, & Spiritu Sancto.

9. *Et Sepelierunt eum Isaac, & Ismaël filij eius in Spelunca duplici, in agro Hephron filij Zoar Hethæi, qui è regione Mambre.* Quod Isaac, & Ismaël sepeliant Abraham, videtur opus perfectum Dei, quod dicitur cap. primo. Gen. in die septimo, præsertim cum hîc versu 15. numerus annorum Ismaëlis signet ipsum perductum ad initium septimæ ætatis, quando non erit distinctio familiarum, sed vna tantum Christo futura sit in mundo.

10. *In agro, quem emerat Abraham à filijs Heth. ibi sepultus est Abraham, & Sara vxor eius.* Mysterium esse videtur, vt antè dictum est, in agro hæreditario expositum cap. 32. Ieremiæ.

11. *Et fuit post mortem Abraham, & benedixit Deus Isaac filio eius, & habitauit Isaac ad puteum viuentis & videntis me.* Videtur hic signari patris perfectum opus primi status, dum benedictio Abrahamæ post suam mortem redundat

dundat in Isaac. in quo videquimus deinceps exponi, quæ sunt secundi status, & parari ea, quæ sunt tertij.

Et habitavit Isaac ad puteum viventis & videntis me. Hic existimo signari tempus, quando ortus est Papatus, vt dictum est cap. 16. In puteo enim illo videtur signari Ecclesia, in qua Papa, & Papatus malè aspiciunt Deum, & malè agunt opus Dei, qui etiam non videbunt Deum in tertio statu. non aduertunt se debuisse curare & parare regnū Christo, dum se tyrannos præbuerunt. at Christus vivus tamen est illis vivens, & videns, qui sit illos iudicaturus. Sed cum longè abesse videretur illud tempus, contempserunt iudicium, nec cognouerunt hoc multo antè futurū, quàm opinati fuerint: atque post suum interitū, regnaturum Christum in suis Evangelicis. Non ergo mortuus est Christus, vt opinati sunt Hebræi, & videntur sentire Papistæ, non dormiuit non aduertens, quæ egerit Papa, Ecclesia Romana, & totus Papatus, verum in æternum vivit, & vigilat, & iudicat semper Papatum, & omnes in Ecclesia. Dum autem Isaac dicitur habitare ad puteum viventis, & videntis me signantur in Ecclesia Evangelici, qui intuentur iudicium Christi, verentur illa admittere, quæ papistæ agunt, expectant Christum venturum: parant se, vt possint consistere ante eum cum venerit, & iudicabit mundum: qui videt nos, & omnia nostra.

12. *Et ista sunt generationes Ismaël, filij Abraham quem peperit Agar Ægyptia ancilla Sara, ipsi Abraham.* Vt verò appareat Prophetam loqui de hoc tempore, affertur genus, & enumeratio familiarum Ismaël, in quibus post Hebræos carnales signati sunt Papistæ & Turcæ. Quatuor filij numerantur Ismaëlis: vt signentur quatuor tempora secundum rationem septenarii positi in Apoc. & in septem ibi Ecclesiis, vbi à Christo ducitur primus nume-

rus. & ita in quatuor filiis Ismaël signabitur quartum, quintum, sextum, & septimum tempus, quo fuerunt, & desinent esse Papistæ, & Turcæ. Et dum duæ familiæ recensentur, existimo signari breuitatem temporis, quod dabitur Papistis, vt non sint habituri statum Spiritus Sancti; sed perituri, aut desiturus Papatus statu secundo absoluto.

19. *He sunt generationes Isaac filij Abraham. Abraham genuit Isaac.* Hic existimo signari Christianos nomine, & re, non nomine solū, vt Papistæ: & qui perseuerarint in doctrina Apostolica, & vita Euangelica, vixerintque in timore Domini viuentis, & videntis omnia, quæ in ipsis aguntur. dum enim dicitur Abraham genuit Isaac, signatur successio filiorum Dei.

20. *Et erat Isaac quadragenarius quando accepit Rebeccam filiam Bethuel Aramai de Padam Aram sororem Labam Aramai sibi in uxorem.* Existimo signari tempus euerfionis Hierosolymorum, quando omnino desit Synagoga, atque in eius locum successit Ecclesia gentium adducta ad Christum per prædicationem Apostolicam, vt in superiori capite dicebamus, siue eo numero annorum soleant plerunque vocari serui Dei ad aliquod magnum munus vt Moses.

21. *Et orauit Isaac ad Dominum pro uxore sua, quia sterilis erat, & exoratus est ab eo Dominus, & concepit Rebecca uxor eius.* Erat sterilis Ecclesia, quia non habebat regem, non habebant vllum statum Euangelici, persequebantur illos vndique tyranni, & impij, sedem firmam habere non poterant. Christus rogauit pro ea Patrem, vt daret Regem & Imperium Ecclesiæ suæ, Pater concedit, dat ei Imperium Romanum, quod concipit Ecclesia, & parit magno ob martyrum interfectionem suo dolore. & hic cognosce illud Apoc. 12. mulier in vtero habens clamat

clamat parturiens, & cruciatur vt pariat.

22. *Et colludebant sese in utero eius. & dixit si ita, ut quid ego? hoc est si sic mihi futurum erat, quid ego uiuo? & inuit ad interrogandum.* Obtinuit Ecclesia duos filios Esau, & Iacob eodem tempore. Esau signat Ecclesiasticos, Papam, & principes, qui priores regnare voluerunt, sibi arrogantes primogenituram Christi, constituentes se summos sacerdotes, & sibi vendicantes regnum, & potestatem Christi. In Iacobo signantur Euangelici qui interea patiuntur, egent, & sustinent tyrannidem Papistarum. Quantum discrimen inter hos fuerit, vidimus: in illis fuit luxus, & ambitio: in his paupertas, & humilitas: illi in altis palatiis affluentes omnibus copiis, hi in solitudine egentes, & obscuri: magnum deinde bellum inter hos fuit, vt historia docet, quantum ad diuinum cultum attinet. nam in dominatu cesserunt pij impijs.

23. *Et dixit Dominus ei dua gentes sunt in utero tuo, & duo populi ex visceribus tuis diuidentur. & populus populo fortior erit.* Dominus aperit rem ipsam, dum intelligis agi hic de Papatu potissimum, & de femine mulieris quæ fugit in deserta loca: vt dicitur in Apoc. cap. illo 12. nec opus videtur esse alia interpretatione. Esau pilosus signat lupos, de quibus ait Paulus. Act. 20. video post me egressuros e vobis lupos, qui inuadent gregem, nec ei parcent,

26. *Et post egressus est frater eius, & manus eius tenebat calcaneum Esau & vocauit nomen eius Iacob. Et Isaac erat sexagenarius, quando genuit ipsos.* Mysterium hoc aperitur in Esdra cap. 6. lib. 4. quod in Esau signetur tempus usque ad finem sextæ ætatis, in Iacob tempus septimæ, & tertius status mundi. Quod manus Iacob teneat pedem seu calcaneum Esau; signatur tempus conflictus, quod nunc est in prædicatione Euangelij, & in pugna

in pugna armorum, quando utriusque obtinent potestatem, & pugnatur usque dum Esau expellatur è mundo. Et hic animaduertenda est ratio Prophetica, quod in ventre, & in egressu è ventre matris signata sint postrema tempora in his duobus filiis, in adulta autem eorundem ætate tempus quod antecessit ab initio Papatus: & hæc in Prophetis cognosci possunt.

Et Isaac erat sexagenarius quando peperit eos. Existimo hic signari ætatem sextam ab Abbate Ioachimo, & ab Albigeris usque ad prædicationem Lutheri, item tempus sextum à prædicatione Lutheri, quando extitit magna perturbatio siue etiam totum tempus contentionsis verbi, & armorum.

27 *Et creuerunt pueri: & fuit Esau vir (studiosus) venationis, vir agri.* In venatoribus significati sunt aliquando bellatores vt cap. 16. Jeremiæ. & hic signati sunt qui bellum semper habuerunt cum piis viris: vt Malachia in Esau ostendit Papam, & suos bella gessisse contra Euangelicos.

Iacobus vir integer (simplex) habitabat in tabernaculis. Pij viri Euangelici non secuti sunt avaritias auarorum, ambitiosorum, & tyrannorum; sed vixerunt in timore Domini tanquam hic non esset futura eorum beata vita respuerunt præsentia bona Papistarum, & contenderunt tanquam peregrini in hoc mundo ad ea quæ pertinent ad aliam vitam.

28. *Et dilexit Isaac ipsum Esau, quia venatio in ore eius erat: Rebecca autem diligebat Iacob.* Deus adhuc dilexit Papistas, ut ipse ait in initio Malachiæ. dilexi vos. veruntamen & piorum fuit habenda ratio.

30, *Et dixit Esau ad Iacob ciba me queso de rufo, rufo isto. quia lassus sum. idcirco vocauit nomen eius Edom.* Hic significatur pius concessisse libenter Papistis bona terrena, fructus

fructus copiosos, dignitates, vestem rubeam, Papatum, Cardinalatus & imperia, vt obtinerent ipsi Christum.

32. *Et dixit Esau. En ego vado, vt moriar, & ad quid mihi primogenitura?* Hic autem exponitur animis Papistarum, qui contempserunt iudicium Christi, contempserunt eum, & eius hæreditatem: vt perseuerarent in suis voluptatibus, atque in rebus omnibus libidinem expleant. aliàs non existimarent se beatos.

33. *Et dixit Iacob. iura mihi hodie & iuravit ei & vendidit primogenituram ipsi Iacob.* In iuramento hoc signatur quoque animus Papistarum confirmatus in malo, & electio mali, ac professio vitæ Satanicæ. contempserunt vitam Spiritualem, & Christum simul cum omnibus, quæ daturus est Christus suis post iudicium. Præmitto plura dicere de tribus statibus, quia Abbas Ioachimus & alij ex distinctio opere Patris sub circumcissione, ex distincto opere Filij sub baptismo, ex distincto opere Spiritus Sancti sub aperta Prophetia probarunt statum Patris, statum Filij, & statum Spiritus Sancti; & non ante satis multa ostendimus de ipsis.

CAPVT XXVI.

IN superiori capite videtur comprehensum tempus Papatus ante Lutherum, & dum fuit contentio verbi & armorum; preuentumque est ad magnam perturbationem signata in manu Iacob & pede Esau. Hoc autem capite videntur signifi cari quæ consecuta sunt post cœptas perturbationes Gallicanas & Belgicas: atque reliquos progressus multiplices & varios.

1. *Et fuit fames in terra præter famem priorem, quæ fuerat in diebus Abraham. & iuit Isaac ad Abimelech Regem*

PAG. BROCARDI IN XXVI. CAP. GEN.
Philistinorum in Gerara. Fuit fames verbi Dei in Germania inferiori sub Rege Philippo, quemadmodum fuerat in Gallia: in qua per perturbationes excitati sunt Galli; vt pascerent se verbo Dei, cuius in multis locis alibi fuit fames tum verbi tum panis.

2. *Et apparuit ei Dominus, ac dixit. ne descendas in Aegyptum habita in terra quam dicam tibi.* In Prophetis multa sunt de Germania inferiori, vt videbimus, cuius pars est signata in Philisthæis item de Gallia; tempore ergo illo, vt dixi, excitati sunt populi & in Gallia & in Germania inferiori, vt deficerent à Rege & peterent prædicatione, quam vi habere voluerunt, vt historia docet. verum cum non esset libera, aut non sine prodicione; debuerunt procul esse à Papatu: persistere vbi esset libertas Euangelij, vt iubetur in Ieremia. cap. 42. 43.

3. *Peregrinare in terra hac, & ero tecum & benedicam tibi: quia tibi & omni semini tuo dabo terras istas, & statuam iuramentum quod iuravi ad Abraham patrem tuum.* Promittitur salus his qui paruerint Verbo Domini, quod prædicauit nobis per Ieremiam Prophetam, vt peristeremus apud Euangelicos in cultu Euangelico Euangelicè viuentes, non autem rediremus ad loca impia Papatus.

4. *Et multiplicabo semen tuum, sicut stellas Cæli, & dabo semini tuo omnes terras istas, & benedicam in semine tuo omnes gentes terra.* Ibi incipiet defectio à tyrannis, vt solus Christus Rex Regum habeatur. ibi debuius quiescere vsque ad tempus liberationis à captiuitate, parere liberos ac augere numerum credentium, vt iubemur in eodem Ieremia. cap. 29. ver. 5. 6.

5. *Eò quod obediuerit Abraham voci meæ, & custodierit custodiam meam, præcepta meæ, statuta meæ, & Leges meas.* Quia crediderunt Christo, & eius prædicationi, Christo filii sunt

fili sunt, & non tyranno; obtinebunt libertatem & Principem justum & pium, vt promittitur in Isaia, cap. 29. v. 20. Et quamuis fuerint in ipsis multa vitia tamen promittit Deus se correcturum illa: vt alibi videbimus.

6. *Et habitauit Isaac in Gerar.* Persistent in liberate, & existimo illam promissionem factam Dauidi. Para. lib. primo. cap. 17. pertinere ad hunc locum. Et posui locum populo meo Israël. & plantaui eum, & habitabit in loco suo, nec commouebitur ultra, neque audent filij iniquitatis atterere eum, quemadmodū fecerunt in principio.

7. *Et interrogauerunt viri loci de uxore eius & dixit Soror mea est, quia timuit dicere. uxor mea, ne forte occiderent me viri loci propter Rebeccam, quia pulchra aspectu erat.* Existimo signari dissimulationem publicam multis in locis Euangelicorum, qui noluerunt fateri se sequi solū Ecclesiam Catholicam, quam profitebantur multi. quod si statim fecissent, res suæ melius habuissent. & cū profiterentur illam omnes, parabitur vniuersæ regioni quies. Videtur significari etiam innouatio statuum mundi, quæ si initio fuisset prædicata, vt post prædicabitur, principes in imperio non sustinissent prædicationem falso timore adducti, ne dimouerentur, aut aliquid deterius, sibi contingeret. veruntamen quando erunt benè instituti in verbo Dei principes, illam admittent, & libenter complectentur. Id autem si liberè fecissent omnes antè, tot bella & strages hominum non vidissemus. & secundum hanc sententiam dissimulatio hominum, quam dixi videretur profuisse, verū promissio, quam dixi libri Paralipomenō, videtur probasse illos qui non dissimularint, vt alij. In Abimelecho autem videntur significari principes qui voluerunt statuere de Ecclesia Christi, quorum non est munus statuere, & hoc erratum incipit corrigi in Belgico: vbi Hispanus & Gallus, & alij voluerunt

IAC. BROCARDI IN XXVI. CAP. GEN.
voluerunt præscribere populo religionem, quod munus
Sacerdotum est, & concilij.

12. *Seuit autem Isaac in terra illa, & inuenit eo anno centum mensuras (modios) & benedixit ei Dominus.* Audientibus prædicationem Euangelicam & verè Catholicam res benè successerunt, & aucti sunt viribus, & opibus tandem post perturbationes.

15. *Et omnes puteos quos foderunt serui patris tui, in diebus Abraham patris tui obturauerunt eos Philisthai, & impleuerunt eos terra.* Ecclesias habuerunt & in his prædicationem Verbi: quæ prædicatio fuit ante impedita à Papiſtis, qui excitauerunt magnam persecutionem contra Euangelicos; & per inquisitionem per apertam vim perdidērunt multos. iam est renouata & aucta.

16. *Et dixit Abimelech ad Isaac. recede a nobis quia fortior es nobis valde.* Vnde oportuit antè Euangelicos fugere patriam Papatu illos persequente igne & ferro, & similiter post orta vniuersali perturbatione.

18. *Et reuersus est Isaac, & fodit puteos aqua, quos foderat in diebus Abraham patris sui, & obturauerant eos Philisthai post mortem Abrabæ, & vocauit cognominibus secundum nomina, quibus vocauerat eos pater suus.* In Zelandia & Hollandia, & Gallia & alibi, erectæ sunt tandem in fine suarum perturbationum Ecclesiæ inuito Rege Philippo & Gallo & Papatu: atque eadem predicatio restituta.

20. *Et iurgati sunt pastores Gerar, cum pastoribus Isaac, dicendo. Nobis aqua (nostra est aqua) & vocauit nomen putei Eſech, quod iurgati essent cum eo.* Sed & post etiam erectis Ecclesiis fuerunt nouæ contentiones cum ministris regijs & papatus. Dum verò durat hæc contentio, & bellatur tum in Germania inferiori, tum deinceps in Gallia, Hispania & Germania superiori, tandem vbique fiunt victores Euangelici. Hanc sententiam de rebus Belgicis &

gicis & Gallicis in primis habui ex prophetis, & ex historia sacra, vt suis locis ostendam: quæ & hic mihi visæ sunt consignatæ.

23. *Et ascendit inde (Isaac) in Bersabeam.* Existimo victoria parta in teris locis contra Papatum nouam promissionem fieri Euangelicis de reliquis gentibus venturis sub Regnum Christi.

24. *Et edificauit ibi altare, & inuocauit nomen Domini, & tetendit ibi tabernaculum suum, & foderunt ibi serui Isaac puteum.* Futurum concilium totius populi Christiani indicatur, vbi Euangelica doctrina proponetur omnibus, siue etiam significantur concilia habita, in Belgica, Gallia & Hispania.

26. *Et Abimelech iuit ad eum ex Gerar, & Aziat amicus eius & Picol princeps exercitus eius.* Tunc principes cum ministris Euangelicis conuenient & simul administrabunt statum populi Dei.

32. *Et fuit in ipso die, & venerunt serui Isaac, & nuntiauerunt ei de puteo, quem foderunt, & dixerunt ei inuenimus aquas.* In noua aqua existimo signari apertionem Prophetiæ jam diu desideratam.

34. *Et erat Esau quadragenarius, & accepit uxorem Iehudith, filiam Boeri Hethei, & Bosmath filiam Elon Hethei.* Existimo hic signari illa quæ cap. 10. Isaiæ & alibi narrant Prophetæ, de Afsur, quod futurus sit Dux Euangelicorum, qui ambiat Monarchiam, & conetur retinere priorem tyrannorum morem in regendis populis.

35. *Et fuerunt amaritudo spiritus ipsi Isaac & Rebecca.* Sint & alij appetentes principatum, tum in Politicis, tum in Ecclesiasticis: sint fouentes Ecclesias alienas & ipsæ Ecclesiæ alienæ amaritudine & angore afficientes bonos, & bonas

Ecclesias.

CAPVT XXVII.

Rostquam deduxit Filius statum secundum ad calcem vsque; vult finem omnino imponere, & committere tertium Spiritui Sancto iudicatis pijs & impijs. Quod iudicium, & suum tempus significatur in senectute Isaac, & in benedictione donanda Iacob. Caligare dicuntur oculi Isaac, quia oportet iudicium fieri secundum statutum Dei, non secundum iudicium hominum, & opinionem & gratiam & studium partium. Petit cibum sibi Isaac ab eo, cui benedicendum. Petit Christus fidem, & charitatem, & omnino obseruationem præceptorum Dei secundum eam rationem qua dicebat cibus meus est, vt faciam voluntatem Patris mei, & Dei voluntas expletur à nobis, cum quod præcipit, illi tribuimus, feri homines, & impij ex suis studijs & operibus non possunt peruenire ad obseruationem præceptorum. Idcirco epulæ Esau non perueniunt ad patrem, sunt filij Esau similes quinque virginibus insipientibus, quæ eunt emptum oleum, quod antè in lampadibus ardentibus habere debuissent. hæc interpretatio videtur Euangelica, Prophetica illa: vt intelligam Christum in eius aduentu opus habere cibo, hospitio, & alijs commodis: petat necessaria vitæ in suo itinere ad nos, ab his, qui professi sunt se filios Christi primogenitos, & curare quæ sunt Christi, ac eius Ecclesiæ, & regni. interea eunt venatum, persequuntur voluptates, deserentes & suum munus, & doctrinam, & ipsam pietatem, Euangelici interea suscipiunt ipsi Christum, ei credunt, & præcepta seruant: & membra Christi reficiunt: vt illis dicat Christus. venite benedicti, possidete regnum paratum vobis ab initio mundi. Vt Rebecca suadet Iacobo, sic Ecclesia perpetuò monet pi-
 os, vt

os, vt præueniant impios in omni actione, & operatione bona, quòd præripiant palmam ignauis, & tardis in cursu contententium ad regnum Christi, & Cœlestem palmam. Parat Rebecca duos hœdos caprarum in cibum Isâac ea ratione, qua nouit eum delectari. hœdus signat hæreticum, & impium. vnde in Matthæo ad sinistram statuuntur hœdi. omnis ergo hæresis, & impietas, & quicquid est primi hominis, mactandum est, & mactatum in nobis est offerendum Patri: siue debemus apparere ante Christum iudicem mactatis, & mortuis libidinibus, ac primo & veteri homine; ita, vt nouimus placere Deo, & Christo Iesu. & quoniam inueniemur omnes in secundo aduentu Domini multa contra verbû Dei egisse: atque etiam in Angelis suis inuenerit Dominus prauitatem, hoc est, in ministris suis: atque in multis lapsi sumus omnes; idcirco & à dextris, & à sinistris inueniemur hœdi. & sapient illi, qui id intelligent, & veniam per poenitentiam apud Deum obtinebunt, vt veniant in locum ouium. Quantum ad vestes attinet, & pelles, quibus induitur Jacob, signatur omnis dignitas impiorum peruentura ad credentes Euangelio, item indicatur gratia, quæ est Christi ob suam mortem. Et quamuis homines, & humanum iudicium contendat, Papistis, quantumuis hypocritis dignitatem & honorem tribuendum; tamen quisque id cogetur agere, quod erit à Deo constitutum, & iudicatum debere fieri, & significatur quoque misericordia Dei erga Papatum incredibilis, de qua dicemus in Prophetis, & Psalmis, Illud nunc satis sit dixisse, Deum in Prophetis objicere Papistis, quod verbis suis interfecerint Prophetas, dum produxit iudicium, quo interea conuerterentur ad se Papistæ, & non perderentur, non dimouerentur è suo statu. qui tandem coëgerunt Deum conferre hæreditatem suam in credentes, & pios, illis à suo regno, & Ecclesia depulsi


IAC. BROCARDI IN XXVII. CAP GEN.
depullis. In benedictione rosis coeli, & pinguedine terræ signatur & vita æterna in cœlesti regno, & in dominatu præstito signatur Sabbatismus. Quod Esau veniat post Iacob ad patrem cum ferculis, est idem quod dixit Christus de amentibus virginibus, quæ veniunt postquã janua clausa fuit ad nuptias. Quod deinde petat benedictionem Esau, & habeat: & sibi quoque de rore coeli, & de pinguedine terræ nuntietur benedictio: item quod futurum sit vt excutiat, & soluat è collo suo iugum, cum seruerit Iacobo sunt contraria iis, quæ promisit Iacobo. vnde ratio Prophetica est aduertenda, quod benedictio Iacobi sit promissa iam tempore prædicationis Christi, & hoc tempore tertii status præstanda sit, dum est etiam decreta iudicio quo iudicat nunc Christus in mundo omnes. Benedictio autem Esau refertur ad antecedens tempus ad Papatum: in quo de rore coeli, hoc est de bonis Ecclesiæ, & de pinguedine terræ, hoc est de regnis terrenis Ecclesiastici fuerunt ditati & aucti. Dum autem dicitur gladio tuo viues, & fratri tuo serues, signantur iidem Ecclesiastici, qui restiterunt Evangelicis, & piis; quibus tamen obedire conati sunt, dum doctores, dum concilia habuerunt aliquam authoritatem in Ecclesia. at postquam edidit suum decretale Papa, & erexit suum magistratum Ecclesiasticum, tunc exculsit omnino iugum Apostolicum è suis ceruicibus: atque libidine, & licentia infinita dominatus est in Iacobum, quamuis & ante decretale insanierit in Iacobæos. quando initium Prophetiæ Malachiæ intelligetur & alia Prophetarum similia, tum demum hæc interpretatio, vt ego quidem existimo, vera habebitur.

40. *Oderat ergo Esau Iacobum propter benedictionem qua benedixerat eum pater eius. & dixit Esau in corde suo. appropinquabunt lactus patris mei, & occidam Iacob fratrem meum.*

Secun.

Secundum rationem, vt dixi, prophetica datus est status tertius Spiritui Sancto, Sed interea dum Esau fuit benedictus, facta est reditio ad tempus, quando ante Spiritui Sancto commissa fuerat Ecclesia, vt per ipsum administraretur. & inde summam expositum est tempus, quod datum fuit Spiritui Sancto postquam petijt Christus coelum vsque ad tempus hoc, quo repetita est secundo praedictio Evangelica, & Papatus summo odio persecutus est credentes: in quos toto tempore Papatus resistens Spiritui Sancto odium retinuit perpetuum. Is autem fuit animus Papistarum, dum praedicatum est Evangelium, vt interficerent omnes Evangelicos ad vnum vsque cum primum data illis fuisset potestas per tyrannum, aut per se ipsi illam habuissent. Quod dum aduertit Ecclesia credentium, statuit, vt quisque vitaret impetum Papistarum vsque dum dabit Dominus Ecclesiam liberam, & dominam. Idem monitum est cap. 16. Leuit. ver. 2. Dum autem mittitur Iacob ad Laban, vt inde sumat sibi Ecclesiam, signatur locus datus Antichristo, & fuga piorum ab Ecclesia Romana in loca deserta. vt alibi acquiratur Ecclesia Christo, quia respuit Romanam Christus, vt docemur cap. 2. Osee. Rebecca, & Ecclesia fidelium pati non potest, vt Ecclesia Papistica teneat locum verae Ecclesiae.

CAPVT XXVIII.

1.  *T* vocauit Isaac Iacob, benedixit ei, & praecipit ei, & dixit ei, non accipies uxorem de filiabus Chanaan. Spiritus Sanctus pariter monet Evangelicos, quando ingressus est Antichristus in Ecclesiam Romanam, vt nouam Ecclesiam quaerant credentium relicta Papistica.

4. Et det tibi benedictiones Abrahae, tibi & semini tuo tecum, & hereditate accipies terram peregrinationum tuarum, quam dedit Deus ipsi Abrahae. Quod in Ecclesia innouata ad normam Apostolicæ obtinendæ sint promissiones & Christus Iesus, vt obtinuerunt Israëlitæ terrâ Chanââ.

5. Et dimisit Isaac Iacob, & iuit in Padam Aram ad Labam filium Bethuel Aramai fratrem Rebecca matris Iacob, & Esau. Quod dum faciunt Euangelici, vt redeant ad primos patres ad Ecclesiam Apostolicam.

8. Et vidit Esau, quod benedixit Isaac Iacob, & misit eum in Padam Aram vt accipiat inde sibi uxorem: quodque benedixisset ei, dicendo (addendo) non accipies uxorem de filiabus Chanâam. Papistæ innouant & ipsi aliqua: sed assumunt tantum cerimonias, simulans & fingunt innouationem nec tantillum discedunt à suis moribus, retinent Baptismum, vt Turcæ, circumcisionem, præterea sunt Chanââ.

10. Et egressus est Iacob è Bersabea, & iuit in Haram,

11. Et occurrit in locum (quædam) & pernoctauit ibi, quia occubuerat Sol tulit de lapidibus loci, & posuit sub capite suo & iacuit in loco illo.

12. Et ecce scala erecta super terram, & caput eius. attingens cælum & ecce Angeli Dei ascendentes & descendentes in ea.

13. Et ecce Dominus stans super eam, & dixit. Ego Dominus Deus Abraham patris tui, & Deus Isaac, terram, quam tu jaces super eam, tibi dabo eam & semini tuo.

14. Et erit semen tuum, sicut puluis terre, & dilataberis ad occidentem ad Orientem, & ad Aquilonem & ad Meridiem & benedicentur in te omnes familiae terre, & in semine tuo. Euangelici repetentes semper prædicationem Euangelicam, & Apostolicam, in ea perseverant: atque dum versantur inter tenebras Papisticas, & diu laborant in
augenda

augenda prædicatione; in fide persistunt firma in promissionibus, in verbo Christi, in lapide primario Zach: 4. 7. Christo ipso, nec recedunt ab Euangelio. futurum autem fuit, vt ferro defenderentur Euangelici, atque magnam ostenderet Christus se eorum curam gerere. at in scala in qua Angeli ascendant & descendunt significatur contemplatio Apostolorum, & horum discipulorum, vt vidimus in Ignatio, in Polycarpo: in Dionysio Ariopagita: significantur visiones Hermæ, Methodij, & aliorum: significantur contemplationes patrum in deserto fugientium Papatum: significantur visiones Rabani Monachi, Abbatum Cyrilli, & Ioachimi, & plurimorum: qui fuerunt tota ætate sexta, & antè: significantur visiones antiquorum Prophetarum, & duodecim filiorum Iacob de statu futuro post Papatum: significatur apertio Prophetiæ, & mysteriorum diuinæ scripturæ, & consilij Dei, & æterni eius decreti in statu tertio, quando paruuli visiones videbunt, quas viderunt Apostoli, & Prophetæ. percurrent diuinas scripturas omnium ætatum, & intelligent: vt ad cœlestia conscendant: conferent super cœlestia cum cœlestibus, & cum his, quæ continentur in diuinis scripturis conferent hæc cum illis: sit aliquibus societas cum spiritibus Angelicis, quando habebit tabernaculum suum Deus cum hominibus: quando insignitè ostendet Deus se esse in Ecclesia fidelium, vt est in cœlo, exaudiet preces, præsidio erit credentibus, & præsens: vnde sequitur & ero custos tuus quocumque perrexeris, & reducam te in terram hanc. Nam postquam vagati antè fuerint Euangelici in locis desertis, & nunc fuerint profugi, & serui deducentur tandem in Ecclesiam innouatam Apostolicam, & in regnum Christi vbi sint liberi & domini, & obtineant, quæ hic diximus in scala. vt non solum Domini sint regionum in quibus

IAC. BROCARDI IN XXVIII. CAP. GEN.
peregrinatus est Abraham, Isaac & Iacob: non solum in Imperio quod fuit Romanorum; sed in omnibus terris: ut è semine nunc Christianorum credentium prædicati-
oni repetita in secundo aduentu Domini, nasci debe-
ant, qui per eandem prædicationem venturi sint in Ec-
clesiam, & Regnum Christi. omnes inquam familiae ter-
ra: omnia Regna mundi. Interea sint defensi qui vagi
& profugi sunt, dum est vexatio Antichristi, futuri semen
vnius ouilis; ac occupaturi totum terrarum orbem. ut
promittitur versu sequenti quinto decimo.

15. *Et ecce ego tecum sum, & custodiam te, quocumque per-
rexeris: & redire faciam te ad terram hanc. non enim derelin-
quam te donec fecero, quæ locutus sum tibi.* Ex his verbis pos-
sumus quoque cognoscere Deum fuisse semper in Ecclesia
fidelium, & per ministros suos, & Angelos administra-
re illam, atque perfecturum, quæ promittit: daturum se-
mini Abrahamæ Ecclesiam suam dominam mundi per
Christum, & allaturum regnum Israëliticum.

16. *Et cum expergefactus esset Iacob è somno suo, dixit.
Verè Dominus est in loco isto, & ego nesciebam.* Dum Eu-
angelici dormiunt super lapidem Verbi Dei, & in eius
promissionibus conquiescunt: die noctuque in illarum
meditatione versantur; vident, & cognoscunt secun-
dum aduentum Christi, & Filium Dei prædicare secun-
dò suum Euangelium. Hactenus hæc non cognouerunt
plures ministri verbi prædicantes Euangelium, sed no-
scent tandem dum bella gerentur, atque in exercitum
Euangelicorum viderint Christum pugnantem Deum
exercituum, & subjicientem sibi omnia.

17. *Pauesque dixit. quam terribilis est locus iste, non est
hic aliud nisi domus Dei, & iste est porta cæli.* Pauebunt Eu-
angelici, dum videbunt tempestatem bellicam, & inter-
uentionem quam afferet Christus impiis in magno eius
iudicio

judicio. Et tandem cognoscent parari regnū Israëliticum esse Ecclesiam Christi, esse ipsum Christum iudicem mundi in cœlo esse signum Filij hominis: inde esse iudicium, quo iudicabitur & administrabitur mundus: novam Hierusalem descendisse è cœlo: esse hîc domum, templum, ciuitatem Dei signatam antè in scripturis: iam parari nobis aditū in tertio statu Spiritus Sancti, vt in veram, & perpetuam domum Dei ingrediamur, & in cœlum.

18. *Et surrexit Jacob diluculo, & tulit lapidem, quem superposuerat capiti suo. & posuit eum in titulum, & effudit oleum super summitatem eius.* Hic lapis est Christus, Verbū Dei Sanctum nunc prædicatum: in quo quievimus expectando secundum eius aduentum, & liberationem nostram: qui aperuit Prophetiam, posuit scalam, vt ascendamus ad Patrem, & obtineamus petitiones, vt promittitur in fine secundi capitis Osee, dat, & præstat promissa Patris: pugnat, & vincit in nobis: aperit nobis nouum testamentum in antiquis diuinis scripturis, vt illud in his æternum cognoscamus. conferre possimus, iam priora cum posterioribus, posteriora cum primis: videre lucem æterni verbi, & vitam, æternumque Dei Patris consilium, & decretum: sentiamus iam illum esse in nobis, exaudire, defendere nos, pugnare in nobis, vt dixi, & vincere. plura dicere descala, & de ascensu erit fidelium in innouata Ecclesia, in qua & illa forsitan veniunt nunc intelligenda, quæ diximus in præfatione in Prophetas, contemplanda in tertio statu post completam Prophetiam.

Et erexit in titulum, fundens oleum. Huius Christi Filij Dei, in quo hæc omnia habemus, erigimus titulum, hoc est erigimus in nobis signum Filij hominis, vt ipsum solum regem habeamus, ipsum solum vnctum Domini,

IAC. BROCARDI IN XXVIII. CAP. GEN.
& non alium Regem Regum, & Dominum dominantium retineamus: ipsum verum sacerdotem summum, in quo solo sanctificamur. Nomen vrbis appellatur Bethel, quæ erit sedes Iacob in statu tertio, in prædicatione Prophetiæ. erit enim in terris tantum Christi regnum, cui seruient omnes reges, principes, & respubiicæ: tantum Ecclesia Christi, in qua viuemus sub Christo: statuetur locus, vbi sit concilium totius Ecclesiæ & sedes regni Christi, qui locus fuit alienorū hunc autem cognoscemus in Prophetis & Psalmis. item dum funditur oleum super lapidem, intelligimus verbo Dei dari Spiritum Sanctum, vt spiritualiter intelligantur, vt oportet, quæ sunt verbi Dei.

20. *Vouit etiam votum dicens. Si fuerit Dominus mecum, & custodierit me in via ista, quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad comedendam, & vestem ad induendum.*

21. *Et reuersus fuero in pace ad domum patris mei: & erit Dominus mihi in Deum.*

22. *Et lapis iste, quem posui in titulum erit domus Dei, & omne quod dabis mihi decimando decimabo illud tibi.* Dum sunt hæc promissiones magnæ, respondent, qui eas fide suscipiunt; se credere Verbo Dei Sancto & eius promissis; rogare, vt quod promissit, præstet: sit Christus in ipsis, se tueatur, det illa per quæ possint ad illud tempus peruenire. voto se astringunt, qui nullum alium Regem, & Dominum, & Deum sint habituri præter ipsum. In pane intelligo regiones, in quibus habeatur vitæ: in vestimento statum Publicum, in quo possis te tuen ab hostibus. In deserto dedit Deus populo Israëlítico vitæ & vestitum, & per Iosue regiones opimas, & statum publicum, & vires ad depellendam vim hostium. Hæc habuerunt, dum habuerunt Iehoua Deū suum. quæ amiserunt quando à Iehoua recesserunt; vt docet histo-

ria Iudicum & Regum, & deinceps vsque dum dixerūt Non habemus Regem nisi Cæsarem, & privati fuerunt statu publico, iure communi & proprijs sedibus. in Gallia dum agitur de restitutione regni Israëliti, præter spem dat Deus regiones, ciuitates & fortem militiam, vt ipse habeatur Deus: quia verò dixerunt. Osæ. 13. Christo. Da nobis Regem: dedit Deus Regem in ira sua, & interijt ingens numerus virorum, mulierum & paruulorum cum Condeo Principe. qui vbi erat Christus Deus & Rex, fecerunt sibi tyrannum Deum & Regem. Idem factum est sub Amiralio. vt vidimus coedem factam anno 1572. coeptam Lutetiæ 24. Augusti virorum, mulierum, & paruulorum & tunc fuimus sine duce, ac diu exoptatus fuit aliquis, nec est inuentus adhuc Diximus Isa. 3. huic & illi vestimentum tibi est: Princeps eris nobis. ruina hæc in manu tua erit, sed respondetur. Non ero alligans (Dominus Princeps caput) Nam in domo mea non est panis, nec vestimentum: non possideo regiones, & ciuitates, & populos, & authoritatem, & opes & necessaria ad bellū. Daturus est verò Christus Principem, sub quo obtinebimus victoriam, vt pollicitus cap. 19. Isaïæ. Hic ergo Princeps faciet votum, & illud præstabit. vt si denuo dederit Christus panem, & vestimentum, & regiones & dominatum in illis, & opes ad hunc tuendum; non se habiturum vltra alium Deum & Regem quàm Christum. idem agent alij duces verè Euangelici. Et tandem cum præstiterit Deus, quæ dicta sunt in prioribus versiculis. 13. 14. 15. Et peruenerint Euangelici acti hinc inde quotidie laborantes & contendentes ad Regnum Christi, & ad Ecclesiam innouatam: in concilio publico statuent, & astringent se omnes Domino se nullius tyranni insignia, præterquam Christi erecturos: se nullum alium Regem Regum quàm Christum habituros, nulli
alij ser-

IAC. BROCARDI IN XXVIII. CAP GEN.
 seruitium præsturos in diuino cultu. tandem quæ
 nomina sibi sumpserunt Christiani & Euangelici, re præ-
 sturos quoque vt verè sint Christiani & Euangelici. Lo-
 cus ille Isaia cap. 3. ostendit hanc interpretationem esse
 propriam, & propriam huius temporis. Vnde & superi-
 ora multa videri debebunt propriè esse exposita de hoc
 tempore.

CAPVT XXIX.

1. **E**tleuauit Iacob pedes suos, & iuit ad terram fi-
 liorum orientis. Dum venit Iacob ad sedem
 eorum, qui ad ortum incolunt, signatur ra-
 tionem prædicationis peti à primis princi-
 pijs, vt ab Abrahamo, ab Apostolis videt puteum in a-
 gro, æternum Euangelium in medio propositum omni-
 bus gentibus, è quo liberum sit vniciuque credenti hau-
 riri æternam vitam. Tres greges accumbentes iuxta eū
 sunt credentes trium statuum mundi, qui inde hauriunt
 æternam vitam. clauditur grandi lapide puteus, quia
 mysterium æterni Euangelij Spiritus Sancti est aperire.
 4. Dixitque ad eos Iacob. fratres mei vnde vos? & dixe-
 runt de Charam nos. & dixit eis Nunquid nostis Labam fili-
 um Nachor? & dixerunt, nouimus. Vt aperiatur mysteri-
 um putei, necesse est vt Ecclesia Christi cogatur: & dum
 dabitur ex eo potus gregi Christi, cognosci ab omnibus
 poterit mysterium Euangelij absconditum seculis. Ve-
 nit ergo Rachel ad Christum; accedit Ecclesia gentium
 & credit Christo, qui ait, se non inuenisse in Israël tantā
 fidem, quantam in centurione alienigena. & cum secun-
 dō venit Christus, & repetit prædicationem; exoscula-
 tur Christus suam Ecclesiam, & eam sibi iungit ab initio
 & ante mundum sibi destinatam sponsam. & qui perti-
 nent ad

nent ad Ecclesiam & sponsam, osculantur Filium, vt dicitur psal. 2. Verum ante oportuit ducere Synagogam, & ex ea procreari liberos; qui æternum regnũ consecuturi essent. & dum secunda extitit prædicatio Euangelij, propositus fuit idem pütens. greges tres cubabant ad puteum, hoc est, præmium propositum in Euangelio expectabatur, vt pronuntiaretur dandum credentibus primi status, secundi status, & tertij status: sed id non fit, nisi noua nunc credentium vocetur Ecclesia, nec hoc item fit, nisi ex Papatu prius cogantur credentes. operam suam posuit Spiritus Sanctus pascendo per septẽ tempora secundum rationem septenarij positam in Apocalypsi. vbi status vnus distinguitur in septem tempora: vr à Iacobi tempore vsque ad primum aduentum Christi, siue à primo aduentu Christi vsque ad secundum, septem ætates intelligantur, quando omnino ducenda est Rachel à Christo. nam dum dicitur Rachel plorare filios suos ab Euangelista, signatur primus aduentus Christi: dum autem cap. 31. Ieremix dicitur pariter Rachel plorare filios suos; signatur secundus aduentus Christi, quando Euangelici fuerunt trucidati à Papistis, in ipsorum cœdibus vniuersalibus Herodianis. Ergo quoniam produci- tur promissionis tempus vsque ad secundum aduentum Domini, siue ad tertium statum; post septem tempora omnino, quibus grex Christi ducitur in secunda prædicatione ad innouatam Ecclesiam, dabitur noua sponsa Rachel Christo. Decretum Domini fuit, vt Christo sponsa daretur Ecclesia ex gentibus; sed prius oportuit Synagogam assumi, quæ velaminibus, & vmbri intueretur diuina mysteria Christi, idcirco Rachel non parit: Parit autem Lea, quæ minus luce oculorum valet: ac parit quatuor, vt signetur Synagoga portasse tetragrammum magnum nomen Iehoua: ex Iudæ quarti filij fami-

lia natum tandem Messiam Deum, & hominem. parit quatuor, vt signetur tempus Papatus vsque ad secundū aduentum Domini. de quo tempore, & de quatuor his filijs plura dicentur in interpretatione Prophetiæ duodecim Patriarcharum filiorum Iacob.

CAPVT XXX.

I. **T** vidit Rachel, quòd non pareret ipsi Iacob, & invidit sorori suæ, & dixit ad Iacob. da mihi filios, sin minus morior. Et quia non est tempus cogendi Ecclesiam vniuersarum gentium; sed vocandæ tamen gentes, vt aliqua ex parte incipiant illæ fieri Ecclesia; ex ancilla Rachel nascuntur duo filij, & duo ex ancilla Leæ, vt deferant nomen Iesu Christi, qui venit in carne in statu primo. Dan. Nephtalim Gad. Aser. Et sunt duo filij ancillæ vnus, & duo filij ancillæ alterius, quia Ecclesia coacta fuit ex Iudæis, & gentibus. Tandem accedente statu tertio, quando Ecclesia debet deferre tertio sanctissimum nomen tetragrammon Iehoua; ex Ecclesia Romana, exsurgit in Saxonia signata in Zabulon prædicator, qui repetit iterum Euangelij prædicationem; & magnum nomen Iehoua promulgat Saluatorem, vt eius vox deferatur per totum orbem. & in alijs locis multis firmat se quoque prædicatione, in his quidem, quæ signata sunt hic in Isachar: quòd per totum imperium illa excurrere videatur, vt Esaii ob vilem escam perdidit primogeniturā, ita videretur Rachel Ecclesia innouata, non statim habuisse Iosephum, hoc est, Christum regem suum, quia magna ex parte voluit retinere, quæ fuerunt præteriti temporis Papistici, vt patebit cum regnum Christi erit constitutum, & Ecclesia omnino innouata. Sed tandem regnum Christi constituetur, & omnes gentes venient in vnā Ecclesiam: in qua sunt destina-

destinatus primus hæres Iacob Ephraim: hoc est, Spiritus Sanctus constituit vnum regem Christum, & vnam Ecclesiam, in qua vnum ouile, & vnus pastor futurus sit, Benjamin patri Iacob dilecto apud se retento, hoc est, Pauli prædicatione vniuerso orbe confirmato in Christo per Spiritum Sanctum. vt Ioseph & Ephraim veniant in tempus constituti regni Christi, in ciuitate Dauidica: in quo statu sit tribus Ioseph, & Ephraim. Benjamin veniat in regnum Christi constitutum in toto orbe. contentiones autem quæ sunt inter Leam, & Rachellem, signant contentiones, quæ fuerunt primò inter Synagogam, & Ecclesiam Apostolicam, post inter Ecclesiam Romanam, & Euangelicos, de quibus dicemus in interpretationibus Prophetiæ duodecim filiorum Iacob. Ita distinximus has tribus, quia, vt videbimus in Exodo, nomen magni tetragrammi ter repetitur propter tres status, & propter Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum; atque literæ quatuor ter repetitæ veniunt in numerum duodenarium: quæ impressæ in duodecim tribubus, in Prophetis, in Apostolis: atque adeo in omnibus pertinentibus ad has tribus, signant impressum Spiritum Dei, & virtutem Dei multiplicem in Ecclesia tota. in hac remonuit me Ioseph, qui vndecimus venit in jus primogenituræ, quæ cum semper fuerit Christi, datur & Ecclesiæ suæ restitutæ in toto populo Christiano. suntq; alia, quæ me in hanc interpretationem induxerunt. aliter tamè adhuc distinguemus duodecim tribus, & alia de ipsis, & de Mandragoris dicemus in interpretationibus pariter Prophetiæ horum duodecim filiorum Iacob.

25. *Et fuit cum peperisset Rachel Ioseph, dixit Iacob ad Labam. dimitte me, & ibo ad locum meum, & ad terram meam.* Eo tempore, quando Christus virga ferrea ostendet se curare Ecclesiam suam; præsertim cum tandem obtine-

buntur Venetiæ tribus Ioseph: jam libertas erit Euangelicis, qui peruenerint ad sedem regni Christi. ad pacta firma tunc libenter venient Papistæ, qui toties illa fregerunt, in Gallia præsertim. Vnde in grege varij coloris existimo signari Euangelicos mutatos ex nigro colore Papistico, & albo eorundem hypocritico in fideles varijs muneribus, & virtutibus Spiritus Sancti insignitos. vt causa relicta sit Deo de controuersia, quam habent Euangelici cum Papistis: siue Euangelici cum Euangelicis de doctrina disceptantibus, & de regno Christi, & de his, quæ sunt illius, vt illi obtineant, quibus plures dabit Deus pedibus ituros in eorum sententiam. Si Papistarum numerus maior remansurus sit, dum virga ferrea agit Christus; sint hi tyranni, domini, & Papa: sin contra, liberi erunt Euangelici, & obtinebunt, vt ad fontem, hoc est apud concilium ostendant munera Spiritus Christi. In virgis decorticatis, & non decorticatis, existimo signari Spiritum in verbo Dei quæsitum ab Euangelicis, & interpretationem veram, & eventa rerum denuntiatarum. item literam externam apprehensam à Papistis, & à certis alijs. Qui jam Spiritum quærunt in verbo Dei, lege, Euangelio, & Prophetia, ipsam scilicet Prophetiam, pertinent ad statum Iacobeum tertium Spiritus Sancti. qui negant Prophetiam in lege, Euangelio, & Prophetis, sunt illi, de quibus scriptum est cap. 23. Ieremiæ. Prophetia Domini non memoretur ultra: Prophetia Domini sit cuique verbum suum, vnde sequitur. & peruertistis verba Dei viuentis, Domini exercituum, Dei nostri, hoc est Spiritus Sancti, & Filij, & Patris. quæ verba Prophetiæ sunt in Prophetis, in Euangelio, & in lege.



CAPVT XX XI.



Vperant ergo multitudine siue virtute Euangelici Papistas, cogunt Ecclesias ab illis deficientes, vt cogantur Papistæ ad pacem cum Euangelicis descendere, & tandem illis cedere.

1. *Et audiuit Jacob) verba filiorum Laban, dicendo. tulit Jacob omnia quæ erant patri nostro, & de his quæ erant patri nostro fecit omnem gloriam. Principes audiunt Euangelicos Ecclesias suas auxisse, quæ à Papatu defecerant.*
2. *Animaduertit quoq; faciem Laban, & ipse non erat secum, sicut erat hodie & nudim tertius. Cogitant de illis opprimendis.*
3. *Et dixit Dominus ad Iacob, reuertere ad terram patrum tuorum, & ad cognationem tuam, & ero tecum. Dominus dat illis animos, vt persistent confirmare se ad formam Ecclesiæ Apostolicæ.*
4. *Et misit Iacob, & vocauit Rachel & Leam in agrum ad pecudes suas. Consilia habent inter se ministri verbi & belli, vt vitent insidias Papistarum.*
7. *Pater vester fefellit me, & mutauit mercedem meam decem vicibus, & non dedit ei Deus, vt malefaceret mihi. Quàm sæpè mentiti sūt Papistæ Euangelicis, quanta abstulerint, & rapuerint, historia Gallicana docet, & alia persistent in eo semper, hæreticis non est seruanda fides, atque vitam & bona more grafsatorum diripiunt.*
8. *Si ita dicebat, quæ notis respersa erunt. sit merces tua: & nascebantur omnes oves punctis (notis) respersa, quod si ita dicebat, lineis cinctæ, erant merces tua, pariebunt omnes pecudes lineis cinctæ. Concesserunt Euangelicis vt suas haberent Ecclesias, & cum frequentes coibant, illas ad-*
oneban-

IAC. BROCARDI IN XXXI. CAP GEN.
oriebantur, interficiebant viros & mulieres. Ediſta
promulgarunt, vt quiſque viueret in ſua religione, &
contra edixerunt, vt quiſque Papiſta Euangelicos im-
punè trucidaret. pacem promulgant, conuenitur vt
vtraque pars arma deponat, interea iubent clam ſuis
Papiſta, ne arma deponant, ſed cum primùm ſua Euan-
gelici depoſuerint, eos imparatos & inermes adorian-
tur, ad vnum vſque trucidant omnes. Non verebantur
populum Dei trucidare, auctum religione & muneribus
Spiritus Sancti, ad præſtandum cultum Spiritualem
Deo viuenti.

9. *Et abſtulit Deus gregem (peculium) patris veſtri, & dedit mihi.* Dum hæc ſunt ſignificat Dominus, ſurrecturos Principes multos, poſtquam Papiſmus, ſinem fecerit
perfidè agendi & fallendi, qui cauſam Euangelij defen-
dant: & plures ad futuros Euangelicos, quàm Papiſtis.
tunc perficietur illud Iſaiæ. 33. Væ qui prædatis, quia alij
te prædabuntur.

11. *Ego Deus Bethel, cui vnxiſti ibi lapidem, vbi vouiſti
mihi votum. nunc ſurge, egredere de terra hac, & reuertere ad
terram cognationis tuæ.* Qui Euangelici conſtituerunt
cauſam Euangelij defendere, & Chriſtum Regem habe-
re ſupremum Regem, dabit Deus illis victoriam, vt con-
ſtituant Eccleſiam liberã, & Regnum Chriſti. idque pri-
mò fiet in tribus Gallijs, in Belgica, Aquitanica, & Cel-
tica, vt ex Prophetis maximè licebit cognoscere.

14. *Et reſpondit Rachel & Lea, & dixerunt ei. Nunquid
adhuc eſt nobis pars & hæreditas in domo patris noſtri.* Hæc
dum conferunt inter ſe principes miniſtri belli, miniſtri
quoque Verbi, cauſam dicunt propter quam neceſſe ſit
reſiſtere Papiſtis, quod in Gallia, & in Belgico habue-
rint ſe tanquam hæreticos, vendiderint, & prodiderint
ſe Papæ comburendos, & trucidandos ac omnia ſua
bona rapuerint.

18. *Et abduxit omnes greges suos, & omnem substantiam suam, quam acquisuerat: pecudes acquisitionis suæ, quas acquisuerat in Padam Aram, ut reuenteretur ad Isaac patrem suum in terram Chanaam.* Instant contrà Papistæ: urgent Euangelicos assumpsisse sibi omnem auctoritatem Ecclesiæ & administrationis in populo Dei nomine primitiue Ecclesiæ instaurandæ, dum sunt hæretici. Quamobrem conueniunt omnes Euangelici, parant se ad pugnam, & ad defectionem. & quamuis hîc non fiat mentio de pugna, in dissensione hac, tamen illa intelligitur. Hîc enim significantur in mulieribus dissensiones Ecclesiarum Euangelicarum cum Papatu, nec decuit armatas illas facere. satis bellum indicatur in hircis, & in contentionibus. Illud autem statutum est apud Euangelicos, vt Euangelium, & Apostolicum statum restaurent & tueantur semper.

19. *Laban autem abierat, ad tondendum oues suas. & furata est Rachel Theraphim (idola) quæ erant patri suo.* Et dum Principes Papistæ, alia aduertunt, ac student rapinæ ac tyrannidi, ministri verbi non cessent Idololatriam diruere & expellere è Regnis: consiliis salutaribus, & pijs anteuertere consilia mala, conjurationes, & malas artes Papistarum. Et fortè in idolis Laban significatur id, quod in Isaia. cap. 37. dicitur: accedite huc vos filij auguratricis.

20. *Et furatus est Iacob cor Laban Aramai, eo quod non indicauerat ei, quod fugeret.* Duo agunt ignari Principes Papistæ, faciunt vt Euangelici à se deficiant, faciunt, vt Papatus euertatur.

21. *Fugit itaque ipse cum omnibus quæ sibi erant. & surrexit & transiit flumen, & posuit faciem suam ad montem Galaad.* Secernunt se Euangelici à Principibus Papistis, recipiunt se in loca tuta. paratur enim pugna & magna perturbatio.

TAC. BRUCARDI IN XXXI. CAP. GEN.
perturbatio, & progressus bellorum vsque ad internetio-
nem, vt vidimus factū anno. 1583. mense Ianuarij Co-
loniæ. Ibi habito conuentu Principes Euangelici & Pa-
pistæ, dūm hi nihil concederent de his, quæ sunt reli-
gionis, vtraque pars discessit, altera alteri bellum mi-
nitans.

24. *Venit autem ad Labam Aram cum in somno noctu, &
dixit ei. Caue ne loquaris cum Iacobo, à bono vsque ad malum.*
Deus tutatur suos, ne Principes Papistæ possint eos e-
uertere, nec promissa fide nos fallendo, nec vim mi-
nitando.

25. *Et affecutus est Labam ipsum Iacob, & Iacob fixerat ta-
bernaculum suum in monte, & Labam cum fratribus suis in
monte Galaad.* Hic duo exercitus videntur alter contra
alterum castra posuisse, per montem Galaad ego intel-
ligo hęc Regem illum Zach. 4. Quid tu mons magne ad
Zorobabel, & cum quo sit conjunctus totus Papisimus.

26. *Dixitque Laban ad Iacob. Quid fecisti? furatus es cor-
meum, & dedisti filias meas tanquam captiuas gladio.* Illa
duo quæ dixi versu 20. sunt, quæ valdè premunt Reges
Papistas.

27. *Vt quid abscondisti te vt fugeres? & furatus es me, &
non indicasti mihi, & dimisissim te.* Papistæ appellant Eu-
angelicos rebelles, seditiosos, fugitios, qui nolint pare-
re, & seruire Regi: & furti inprimis eos arguunt, quod
loca & ciuitates Regias sua fecerint, & interea dum
sunt fessi bello, dicant permittimus vobis pacem, & li-
beram prædicationem Euangelij, & vestras Ecclesias,
quæ millies promissa & concessa, nunquam voluerunt
esse firma & præstita.

29. *Et fortitudo in manu mea ad faciendum vobis scum
malum, & Deus patris vestri nocte præterita dixit ad me, di-
sendo. Caue tibi ne loquaris Iacob à bono ad malum.* In supe-
rioribus

rioribus prælijs falsi sunt Papistæ, se superiores fuisse viribus, veruntamen victoriam justam non potuisse obtinere de Euangelicis, & quod Deus videretur fauere Euangelicis. vnde nunc disces alios surrexisse Pharaones, & hinc memoria repetatur bellum Papistarum contra Valdenses.

30. *Et nunc eundo iuisti. si desiderando desiderabas ire ad domum patris tui, quare furatus es Deos meos.* In dijs his signatur, vt dixi, idolo latria Papistica, & ciuitatès, & loca capta, & redacta in potestatem populi futuri Dei, & tunc bellum oritur.

31. *Et respondit iacob, & dixit ipsi Labam, quia timui, & dixi ne forte raperes filias tuas à me.* Vt tueantur suas Ecclesias Euangelici, pugnant contra Regem, aiunt se non appetere illius ciuitates, retineat eas sibi, interea ne interficiat Euangelicos, ne remoueat Ecclesias & cultum Euangelicum.

34. *Porro Rachel acceperat idola, & posuerat ea sub strato (clitellis) Cameli, & sedit super ea. contrectauit Labam totum tabernaculum & non inuenit.* Ministri Verbi interea sunt illi, qui illudunt tyranno Papæ, dum insident in populis, & in his pariunt filios Dei, & seruos Christi. siue etiam hinc intelligas filiam Sion.

35. *Iratus est ergo iacob, & iurgatus est in Labam. & respondit iacob, & dixit ipsi Labam, quæ prauaricatio mea, quod peccatum meum, quod persecutus es me.* Cùm fiunt victores Euangelici, tum causam suam justam ostendunt. iniquitatem Regis Papæi, & ipsorum seruitium erga eum aperiant, quodnam antea fuerit. Hinc narrare poterunt Euangelici Germani quæ egerint in gratiam Caroli Quinti, quæ Galli in gratiam suorum Regum, quæ Belgæ in gratiam Caroli Quinti, Philippi Regis Hispaniæ, Alanco- nij fratris Regis Galliæ.

41. *Iam mihi sunt viginti anni in domo tua : seruiui tibi quatuordecim annos pro duabus filiabus tuis, & sex annos pro pecoribus tuis : & mutasti mercedem meam decem vicibus.* Pro defendenda autem Lege & Euangelio, & Prophetia laborarunt, & contra dixerunt Euangelici Regi : in primis enim septem annis signatur Lex Dei, & in Lea omnis reliqua historia veteris Testamenti. in alteris septem annis & in Rachele, Euangelium & Ecclesia Apostolica. in alijs sex annis signatur Prophetia, & in pecudibus Euangelici huius temporis. Ponuntur hinc sex anni : quia hæc intelliguntur narrari sexto tempore ex septem temporibus quibus diuisum est nunc opus Domini in suo secundo aduentu. quæ septena diuisio posita est antè, & deinceps sæpè de ea dicitur. Vnde Lea, & eius filij debebunt etiam reuocari ad tempus Papatu, de quibus dicitur in Prophetis 12. filiorum Iacob.

42. *Nisi Deus patris mei, Deus Abraham, & pauor Isaac fuisset mihi, equidem nunc vacuum dimisisses me : afflictionem meam, & laborem manuum mearum vidit Deus, & arguit (te) nocte præterita.* Ni Deus iuuisset Euangelicos; fuissent perditæ à tyrannis. nunc autem est Dei iudicium, qui iudicat inter Regnum Christi, & Antichristi. dictum est autem hinc non solum Deus patris mei; sed additum est, Deus Abraham, vt intelligendum sit, nunc, illum Deum qui promisit Abraham, efficere in femine Abraham promissa. additum est, & pauor Isaac, vt intelligamus tempus Iudicij, quod timendum sit, & quod iam agatur. quasi dicatur, ni esset nunc tempus iudicij, & præstandarum promissionum, nihil obtinuissent Euangelici; non Ecclesias constituisent; non ciuitates & regiones obtinuissent, vt antè non potuerunt obtinere : & oppressi & perditæ fuerunt in Papatu. Dat hoc tempore Deus, vt prædicatio Euangelicorum obtineat; vt vincant manu & opere,

& opere, qui tuentur Euangelium, & laborant pro Regno Israëlítico. Et hæc deberent cognoscere Papistæ, dum noctu à Deo arguuntur, dū in perturbationibus bellicis, & in vexatione Euangelicorū percutiūtur, & diminuuntur.

43. *Respondens autem Labam dixit ad Jacob. filia, filia mea sunt: & filij, filij mei sunt: & pecudes, pecudes mea sunt, quicquid vides meum est. Et filiabus meis quid faciam istis hodie, vel filijs eorum, quos pepererunt.*

44. *Nunc ergo veni percutiamus fœdus ego, & tu: & erit in testimonium inter te, & inter me.* Dum contentio perseverat; nec obtinent Papistæ vt perdant Euangelicos, quod sit nunc tempus restitutionis iuge sacrificij & Regni Israëlitici, quamvis nolint hæc ipsi attendere; descendunt ad pacem ita. tamen vt Ecclesiæ & ciuitates, sibi post certum tempus tradantur; populi ad se veniant; & sint Domini ipsi omnis status Ecclesiastici & Politici. ita pacta & fœdera inita sunt in pacificationibus cum Papistis, vt post paucos annos ciuitates Euangelicorum ad se redirent, vt fierent Domini totius status Ecclesiastici & Politici.

45. *Et tulit Jacob lapidem, & erexit eum in titulum (statuā.)*

46. *Et dixit Iacob fratribus suis. colligite lapides, & tulerunt lapides & fecerunt cumulum, & comederunt ibi super cumulum, Princeps Condens, Amiralus & alij, qui fuerunt capita inter Euangelicos, sanctè promiserunt se seruatuos promissa. & id testatū reliquerunt apud totum populum Christianum. Idem egit tota societas, quisque collegit suum lapidem, suam fidem dedit cum omnibus alijs. comederunt super cumulum lapidum. simul promiserunt omnes, testati sunt simul se fidem seruatuos, ac vellesse omnia promissa.*

47. *Et vocavit eum Labam Ieghar Sabadutha (acernum testimonij) Iacob autem vocavit eum, Galeed, (tumulum testificans).*

48. *Et dixit Laban. cumulus iste sit testis inter me, & inter te hodie. idcirco vocavit nomen eius Galeed.*

49. *Et Mizpha (specula) quia dixit. Speculetur Dominus inter me & inter te. quando (post hac) separati erimus alter ab altero.* Laban & sui non dicuntur tulisse lapidem; non fecisse cumulum, sed tantum cumulum nominant, ipsa capita Papistica tantum agunt, quod libido sua sit, non plures aduocant in consilium, quia & in Papatu sunt, qui horrent peierare, statuunt illa non stare promissis & verbo, quod iuraverunt Domino. Instant ut Evangelici ipsi seruent promissa, ne mutent quod iuratum est Deo non Deum verentur, qui sit puniturus, dum dicunt, speculetur Dominus inter me & inter te, quando separati erimus alter ab altero, qui sit puniturus eos qui deinde susceperint arma contra fidem datam aduersus eos, quibus iurauerunt pacem.

50. *Si afflixeris filias meas, & acceperis uxores super filias meas. non est vir nobiscum. vide Deus testis est inter me & inter te.* Ita conueniunt Papistæ cum Evangelicis, ne alias ciuitates, ne alias Ecclesias habeant, præter illas quas retinent vsque ad certum tempus, vrgent patrum & Deum testem, quod sciant Evangelicos timere Deum, & abhorrere à periurio, à quo ipsi non sunt alieni, qui decretum suum seruant, de fide non seruanda Evangelicis.

51. *Et dixit Laban ipsi Iacob. ecce cumulus iste, ecce statua, quam jeci in ter me & inter te.* Vrgent Papistæ iuramentum, & Deum testem ut Evangelici stent promissis, non se moueant, viuant securi, quæ ipsi non sunt facturi.

55. *Et surrexit Laban manè, & osculatus est filios suos, & filias suas & benedixit eis, & abiit, & reversus est Laban ad locum suum.* Dant signa pacis & concordia. tandem erit pax, non pax.

CAPVT XXXII.

In hoc capite, & 33. quoniam agitur cum Esau, existimo indicari periculum magnū, quod instat Euangelicis in magna perturbatione, & oppressione & bella grauissima. ita tamen vt fuerint dissimulata hæc, ac dum non putabatur emerferint. Afflictio & bella sint signata in nocte, & in conflictu Iacobi cum Angelo consilia autem recta, & omnia dissimulata item pax & concordia, quæ fuerunt in Specie, sint in actis Esau cum Iacobo adumbrata. Quod verò non fuerit fidendum, indicatum, sit in timore magno, & pauore Iacobi.

1. *Jacob autem abiit in viam suam, & occurrerunt ei Angeli Dei.* Videtur nuntiari apud Euangelicos instare magna perturbatio, vt omnes sint parati vbiq̃, idque in primis fiebat anno 1584. quando Episcopus Coloniensis susceperat Euangelium. & cœperat esse timor de periculo imminente à Papatu. & à Rege Nauarræ venerat Segurius Pardelianus in Germaniam monens de eodem periculo. vt esset prospiciendum, quò possimus peruenire ad Regnum Christi, partum.
2. *Et dixit Iacob, quando vidit eos. Castra Dei sunt hæc, & vocauit nomen loci illius Mahanaim.* Existimo indicari apparere tempus, quando Christus venturus sit in nubibus, in exercitibus: indicari in verbo Mahanaim exercitus Papisticos, & exercitus Christi. per suos Angelos, & ministros Christum peracturum suum iudicium.
3. *Et misit Iacob nuntios ante se ad Esau fratrem suum, ad manem Seir, agrum Edom.* Dum antè sæpè in Gallia, & in Belgico student Euangelici vt pacem habeant à Papis, postremò in Germania orto bello ob Episcopum

Coloniensem, qui susceperat Euangelium Christi, quaritur Pax & concordia, non illa firma datur. Quomodo autem in Gallia se subjecerint Euangelici Regi Pæpæ, vitam suam, & omnia bona sua, historia docebit posteros. docebit & de Germania.

6. *Reuersi sunt nuntij ad Iacob, dicendo. venimus ad fratrem tuum, ad Esau: qui etiam pergit in occursum tui, & quadraginta viri cum eo.* Suscipiunt Euangelicos Papistæ in ea parte, vt sint sub eius imperio, ipsi, & vita & bona sua omnia: non autem vt in sua viuant religione. ob hanc volunt ipsos perditos.

9. *Et dixit Iacob. O Deus patris mei Abraham, & Deus patris mei Isaac. Domine qui dixisti ad me. reuertere ad terram tuam, & ad cognationem tuam, & beneficiam tecum.* Quod norint Euangelici Papistas velle se perditos ob religionem, nec sibi sint vires ad resistendum confugiunt ad postremum, & summum auxilium, quo possint esse victores contra coelestia, terrestria, & inferna. ad Patrem, ad Filium, ad Spiritum Sanctum. in Deo Patris sui Abraham, recognoscent Deum Patrem: in Deo Patris sui Isaac, Deum Filium: in Domino, Spiritum Sanctum. Qui noverunt inuocare Deum Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, senserunt quale sit Dei præsidium, reuocat præterea Euangelicus hic, Deum ad promissiones suas factas sibi, in Abrahamo, Isaaco & Iacobo: in Lege, in Euangelio, in Prophetis: reuocat & ad tempus quando præstari debeant. Hic est gladius, hic est arcus Iacob, quibus dicit cap. 48. se tulisse de manu Amorrhæi quæ reliquit Iosepho & Ephraim.

12. *Et tu dixisti. benefaciendo beneficiam tecum, & ponam semen tuum sicut arenam maris, quæ non numeratur præ multitudine.* Iam præstanda sunt, quæ promissa sunt ab initio. hæc vehemens oratio periculum magnū ostendit.

13. *Et pernoctauit ibi nocte illa, & tulit de his quæ occurrebant in manum suam munus ad Esau fratrem suum. Ut dixi videntur pij Euangelici conuenire cum Papistis, qui terrenis bonis inhiant; volunt, quæ possident, illis relinquere, & insuper sua priuata tradere, modò liceat secundum Euangelium viuere. In animalibus quæ mittuntur existimo signari omne genus hominum, hoc est ipsos principes relinqui ab Euangelicis in suis statibus & regnis, & quia numerus omnium simul animalium collectus est 550. in eo videntur signari, quæ sunt quintæ diei tributæ Ecclesiasticis quintæ ætatis, & his qui cum illis faciunt.*

16. *Et tradidit in manum suorum seruorum singulos greges seorsim, & dixit ad seruos suos; transite ante me: & spatium ponetis inter gregem, & inter gregem. Prudentes & paulatim agent Euangelici, non timerè se committent periculo, omnibus bonis rationibus agent, vt vitent vim, & iniquitatem Papisticam.*

18. *Et dices. serui tui Iacob manus est, missum ad dominum meum Esau. & ecce etiam ipse (est) post nos.*

19. *Et præcepit eis secundo, etiam tertio, etiam cunctis euntibus post greges, dicendo. Secundum verbum hoc loquimini ad Esau, cum inueneritis eum. Nihil intentatum relinquunt Euangelici, quò possint perseuerare in suo cultu, & progredi ad illa, quæ expectant à Deo, ad liberationem, ad promissiones obtinendas. Dum fuimus sub Papatu, oportuit Euangelicos se dimittere sustinere seruitutem Papisticam, concedere illis omnia temporalia, & publicam administrationem: illa, quæ erant propria Euangelicorum, vsque dum appareret Filius hominis sedens super nubem candidam. Apoc. 14. vsque dum ascenderet Dominus super nubem leuem Isai, 19. quod præcipiebatur cap. 26. Leuitici & mulieri uestitæ soli manen-*

IAC. BROCARDI IN XXXII. CAP. GEN.
manendum fuit in desertis. & cum prodijt, etiam humiliter se gerere vsque dum reuelaretur Filius hominis sicut in diebus Loth. In perturbationibus Gallicanis, & Belgicis concesserunt Evangelici multa Papistis. dominum vocauerunt suum regem, se ei subjecerunt: omnia concesserunt, modò cultus Evangelicus sibi relinquere-
tur liber. primò concesserunt Papæo omnia, & secundo, & tertio, quarta vice fuit cauendum. idcirco non additur quarto.

20. *Et dicetis. Etiam ecce seruus tuus iacob post nos. dixit enim. placabo faciem eius munere, quod me antecedit, & postea videbo faciem eius: fortè suscipiet faciem meam.*

21. *Et transiit munus ante eum, & ipse pernoctauit nocte ipsa cum turma.* Ita putarunt sæpe Evangelici, posse placari iracundiam Papisticam (quamuis id deberet esse ad tempus) & sæpe conuenerunt cum Papistis, dum eis offerebantur munera: dum regna, & status publici, & dominatus eis concedebatur. ac interea qui erant cauti, sciebant se versari in tenebris, & in periculis vitæ.

22. *Et surrexit nocte ipsa, & accepit duas uxores & duas ancillas, & undecim liberos suos, & transiit vadum iacob.* Interea dum est nox, dum viget papismus, & est agendum cum eo, cauendum est Ecclesiæ Euangelicorum, & ministris, & populo, qui futurus est regnum Dei. prospicere vt deducerentur extra periculum, extra crudeles terras, dum licebat.

24. *Et remansit iacob ipse solus, & lætatus est vir. cum eo donec ascenderet aurora.*

25. *Et vidit, quod non prævaleret ei. tetigit acetabulum semoris eius: & movit se acetabulum iacob, cum lætaretur cum illo.* Existimo ego hic per illa, quæ euenerunt Iacobo in luctatione cum viro, aperiri fidelibus, dum est contentio cum Papistis, nec scitur quousque vt dicitur ps. 74. illa, quæ

quæ futura sunt post has perturbationes, & pericula, & persecutiones, vt sciat Iacob, ipsi Euangelici se euasuros tandem dum coguntur venire, & esse in conspectu Papistarum. esse interea prudenter agendum & cavendum, vsque dum inducatur magna perturbatio signata in nocte, quando oportebit esse in magna lucta; atque precibus, & fide, & constantia consistere, & contendere in perturbatione omnium rerum vsque ad auroram, vsq; ad victum Esau. vt in nocte signetur illud Amosi cap. 5. Dies Domini erit tenebræ, & non lux: in aurora indicetur parta victoria. in neruo, siue os illud fuerit, siue acetabulum dicas, siue vertebam, siue coxendicem, existimo significari firmitatem illam consistendi, agendi, pugnandi carnalem confringendam deinceps in Euangelicis, qui vivent Spiritu. Sapiencia, voluntas, cupiditas, libido coërcebitur, claudicabit, ne superior sit in homine, sed Dei Spiritus. Hac enim ratione vincentes Euangelici consistent ante Filium hominis, ita viuentes persistent in regno Dei. Certamen ergo Iacobi cum viro videtur signare vitam magnæ persecutionis, & afflictionis in magna perturbatione, in qua cum Christo passi sunt fideles, siue in quibus iterum crucifixus est Christus, vt in membris suis, vt dum gladius excitatur super pastorem, manus quoque Domini conuertatur ait Zach. 11. Super paruulos ipsos, qui consentur, & probentur, sicut aurum. & hoc sit virum non potuisse superare Iacobum: ab igne vexationis non potuisse hunc superari: Interea tamen eneruata est dira libido ad malum in Iacobo.

26. *Et dixit dimitte me, quia ascendit aurora, & dixit, non dimittam te quin benedixeris mihi.* Cogitur tunc Deus per orationem dictam, versu 9. 10. 11. & 12. vt post certamen præstet promissa omnia.

28. *Et dixit. Non Iacob vocabitur deinceps nomen tuum, sed Israël, quia princeps fuisti cum Deo, & cum hominibus, & prauulisti. Quia cum Christo passi sunt, & sustinuerunt certamen membra Christi, cum Christo glorificabuntur, obtinebunt portas inimicorum suorum. Quod vocetur Iacob Israël, quod princeps fuerit cum Deo, existimo indicari Christum in secundo aduentu se ostensurum, siue ostensurum se pati cum fidelibus secundum illud Psalmi, cum ipso sum in tribulatione. tunc patefiet Christus, illum videbunt, & cognoscent homines verum Deum, inde vocabuntur Israël.*

29. *Et interrogauit Iacob, & dixit indica quæso nomen tuum & dixit tu quid interrogas de nomine meo, & benedixit ei ibi. Nomen filij Dei erit tunc celebre, cuius benedictio extabit tunc erga credentes.*

30. *Et vocauit Iacob nomen loci illius Peniel (facies Dei) quia vidi Deum facie ad faciem, & liberata est anima mea. Patefiet tunc Christus, dum saluabit credentes ne pereant in magno iudicio.*

31. *Et exortus est ei Sol, quando transiit Peniel, & ipse claudicabat super femur suum. Quo iudicio peracto, & Christo patefacto orietur Sol, nouus status mundi, qui dicetur sabbatismus. tunc claudicabit vetus in nobis homo, operabitur Spiritus Dei in nobis.*

32. *Idcirco non edunt filij Israël neruum contractionis, qui est super acetabulum ossis femoris vsq; ad diē hanc. quia tetigit acetabulum femoris Iacob in neruo contractionis. Ut perpetua memoria extitit Sabbatismi in populo Dei, ita debuit extare de neruo, in quo singabatur quoque nos debere desistere ab operibus nostris.*



CAPVT XXIII.

Antequam perueniatur ad illa, quæ ostensa sunt in lucta Iacobi cum viro transit populus Dei per Papistas, & aduersarios per certa tempora, & ætates Nam dum contendit semen Abrahamæ ad patriam promissam, tria tempora significantur, quæ excurrerunt credentes antequam ad illam peruenierint. in acie ancillarum, & filiorum signatur Synagoga, & omnis populus profitentium circumcisionem: in acie Lea & filiorum Ecclesia quæ fuit post Apostolos delata in Papatum, & populus in eo profitentium baptismum: in acie Rachelis, & Ioseph Ecclesia vocata hoc tempore ad sui innouationem, & ad regnum Israëliticum. hoc toto tempore sub iugo tyrannorum fuerunt pij, & hoc capite ostenditur quomodo semper pij se gesserint dum regnauit Esau, hoc est tyranni, & aduersarij veritatis, & filiorum Dei & tempore circumcisionis, & tempore baptismi, & nunc, dum innouata est prædicatio Evangelica, & agitur de constituendo regno Israëlítico, ac restituendis omnibus ad cultum Dei pertinentibus ablati in Papatu. vbi possumus recognoscere in triplici acie pugnam Evangelicorum cum Papatu in Gallia, in Belgico, in Germania apud Episcopos electores. siue victoriam obtentam primum in Belgico, & Hispania, post in Gallia, post in Italia.

1. 2. *Attollens Iacob oculos suos vidit: & ecce Esau veniebat & cum eo quadraginta viri, & diuisit filios partim cum Lea, partim cum Rachel, partim cum ambabus ancillis. Firmos exercitus tyrannorum viderunt pij contra se sub circumcissione, & sub Baptismo, & quando secundo venit Christus.*

3. *Ipse vero transiit ante eos, & incarnauit se in terram*

IAC. BROCARDI IN XXXIII. CAP GEN.
septem vicibus vsque dum appropinquaret fratri suo. In se-
ptem aetatibus, quibus fecit Deus verbum nouum popu-
lo suo, propè semper viguerunt aduersarij, quos oportu-
it reutereri, & timere.

4. *Et occurrens Esau obuiam ei, amplexatus est eum, & ce-
cidit super collum eius & osculatus est eum, & stuerunt.* Dum
honorem pij detulerunt tyrannis tyrannicum, sub ho-
rum imperio professi sunt se esse, hos dominos sui, & suo-
rum bonorum appellarunt, his se in seruitutem tradide-
runt; tum passi sunt tyranni illos viuere, tum illos am-
plexati sunt.

5. *Et atrollens oculos suos vidit uxores, & natos. & dixit,
Qui sunt isti, tuine. & dixit, nati, quos donauit Deus seruo tuo.*
Tum gratulantur tyranni pijs de ipsorum bonis, quando
sub suum iugum & tyrannidem ipsi & omnia sua veni-
unt: quando inquam tu te, & tua bona omnia, & omne
familiam tuam eorum libidini subijcis.

6. 7. *Et appropinquauerunt ancille ipsa, & nati earum, &
incurruerunt se.* Nec satis est, vt pater familias id agat,
oportet & vt tota familia idem pariter agat, ptofitetur
incuruet se idolo, iurent in Molochum.

*Et dixit, quenam est omnis turba haec, cui obuiam veni,
ad inueniendum gratiam coram oculis domini mei.* Nec pax
habetur cum tyranno, nisi repletus sit bonis priuatorum:
& dum tu tua illi offers, recusas primò, deinde accipit. Et
hic notus est mos aulicus, & contentio recusandi & ac-
cipiendi. ni ita des, vi & violentia auferunt. Historia
Gallicana docebit, quomodo Euangelici obtulerint sua
corpora regi, & sua bona, modò cultus diuinus sibi per-
mitteretur liber.

13. *Et dixit ad eum. Dominus meus nouit, quod nati te-
neri sunt, & pecudes, & boues factae sunt mihi (lactantes) & si
impulerint eas die vna, morientur omnes pecudes.* Dum stu-
det eua-

det euadere Iacob conspectum Esau, nec familiam suam permittit apud ministros Esau esse, relinquit nobis exemplum vitandi conspectum Papæorum. quod cum non fecerint Galli, & alij fuerunt Herodianis cædibus consumpti.

17. *Iacob autem venit in Succoth & edificauit sibi domum, & gregi suo fecit tabernacula idcirco vocauit nomen loci Succoth, id est tabernaculum.* Oportuit Gallos, & alios in tentoriis agere: procul esse à patria, vbi viguit Esau, hoc est Papatus: habere domos vbi esses tutus à vi Esau, & à suis.

18. *Et venit Iacob in Salem ciuitatem Sichimæorum, quæ est in terra Chanaam cum veniret ipse de Padam Aram, & castrametatus est ante urbem.* Verùm Euangelici putarunt se tutos fore in Gallia; item alij alibi vbi se ostendebat aliqua spes paucis. Sub Palatinatu et alibi locus tutus visus est, vnde multi ibi firmarunt sua domicilia.

19. *Et emit partem agri in quo tetendit tabernaculum suum de manu filiorum Hamor patris Sichem centum agris (numis).* Emerunt agros. aedificarunt ædes, hoc est constituerunt se ibi vitam agere vti in loco tuto: idem & in multis locis factum est.

20. *Et constituit ibi altare, & vocauit illud. Fortis Deus Israël.* Ibi verò constituerunt esse, quæ sapere visi sunt, vbi fuit cultus Euangelicus liber extra Papistas. Hoc perpetuò fuit faciendum. quia ibi inuenitur Deus fortis, ibi est defensio. non oportuit esse inter Papistas, consuetudinem habere cum illis ne cædes fierent. quod exponitur capite quod sequitur.

CAPVT XXXIIII.

COEDES vniuersales separatim significantur hinc factæ tum Euangelicorum à Papistis, tum Papistarum

IAC. BROCARDI IN XXXIII. CAP. GEN.
starum ab exercitu Euangelicorum. Iacob capite 49. interpretatur coedem factam Sichimæorum de Iudæis ira, furore percitis contra Christum, siue etiam de coede innocentium. item de Papistis, qui cædes vniuersales essent facturi Euangelicorum. de coedibus factis in Gallia vniuersalibus intelligit Ecclesiasticus cap. 49. in fine. Leui verò in suo testamento, & Prophetia interpretatur de coedibus futuris Papistarum iustis, vt illis Euangelicorum iniuste patratis à Papistis. qua autem ratione id fiat, vt eadem res in contrarias sententias trahatur, diximus in Prophetia Leui: quare quæ ibi dicta sunt, huc assumantur, ne necesse sit, pluribus in locis semper eadem repetere.

1. *Egressa est autem Dina filia Lea, quam pepererat ipsi Iacob, vt videret filias terre.* In Dina significatur Ecclesia Euangelicorum ob quam factæ sunt cædes Euangelicorum, item Papistarum. significatur & oppressio, qua in inquisitione opprimuntur, significatur Euangelicos debuisse fugere societatem Papistarum, eorum congressum & aspectum, non familiaritatem habere cum ipsis, procul abesse ab ipsis. esse apud altare vbi est fortis Deus Israël. vt significabatur in fine superioris capitis.

2. *Et vidit eam Sichem filius Hemor Hervei principis terra. & tulit eam, & concubuit cum ea & afflixit eam.* Rex Gallia, siue quiuis Tyrannus Papista ille fuerit, qui voluerit vti Ecclesiam Euangelicorum suæ subicere libidini, significatur cum inquisitoribus in Sichem.

3. *Adhaesitque anima eius cum Dina filia Iacob: & dilexit puellam, & locutus est ad cor puelle.* Quibus lenocinijs vrantur inquisitores, & principes Papistæ, & ministri eorum in trahendis fidelibus ad impietates Papisticas omnes nouerunt & historia docebit.

8. *Locutus est autem Hemor cum eis dicendo. Sichem filij mei ad-*

mei adhaesit anima cum filia vestra date quaeso eam illi in uxore.
 Vt sub sua ditione & potestate habeant Papistae Ecclesias Euangelicorum, promittunt pacem, jurant per eundem Deum, se illam seruaturos, id dolo faciunt, vt omnes interficiant Euangelicos, & perdant eorum Ecclesias: aut vt haec omnes fiant Papisticae. & ita coedes vniuersales faciunt. verum quo dolo opprefferunt Papistae Euangelicos, eodem perdentur Papistae, vnde & Euangelici contra Papistas alicubi dolo egerunt.

24. Et assensi sunt ipsi Hamor, & Sichem Filio eius omnes egredientes portas urbis eius, & circumciderunt se omnis masculus, omnes egredientes portam. Dolus Papisticus, & institutum hic apparet, in promittenda pace, & concedendo cultu Euangelico.

25. Et fuit in die tertia cum essent in dolore, acceperunt duo filij Jacob, Simeon & Levi fratres Dina quisque gladium suum & venerunt ad civitatem confidenter, & occiderunt omnem masculum. Status Ecclesiasticus & politicus facit coedes.

27. Et filij Jacob venerunt super occisos, & praedati sunt urbem, quia polluerant sororem suam. Haec fecerunt Papistae Euangelicis, quae & sibi fient.

30. Et dixit Iacob ad Simeon, & Levi, turbastis me, vt fetere faceretis me apud habitatores terra Chananeorum, & Pherzeorum. & pauci numero sint mecum. & congregabunt se super me & percutient me, & dispendar ego, & domus mea. Quam magnum dedecus tulerint Papistae e coedibus vniuersalibus quas fecerunt Euangelicorum; nos vidimus: & histotia docebit posteros. verum eadem patientur Papistae cum ad supremum iudicium Christianorum, & alibi ceperit iudicium Domini conuerti in Papatum.

31. Et dixerunt. nunquid tanquam scortum facient sororem nostram? Causa affertur quare & Papistae caedentur, quia vi

IAC. BROCARDI IN XXXIII. CAP. GEN.
quia vi oppreſſerunt Eccleſiam Euangelicorum. Si aſſu-
mentur, quæ dicta ſunt in Prophetia Leui, propria, vt
exiſtimo, apparebit eſſe allata interpretatio.

CAPVT XXXV.

I. **D**ixit autem Deus ad Iacob; ſurge, aſcende in Be-
thel, & mane ibi & fac ibi altare Deo, qui viſus
eſt tibi, cum fugeres a facie Eſau fratris tui. Hoc
capite mihi videtur ſignari concilium Vene-
rum: quod ibi poſt victam Italiam, & Papam ſedes re-
gni Chriſti futura ſit in ſtatu Spiritus Sancti, quod pro-
mittebatur cap. 28.

2. Et dixit Iacob ad domum ſuam, & ad omnes, qui erant
ſecum, remouete Deos alienos, qui ſunt in medio veſtri, & man-
date vos & mutate veſtimenta veſtra. Vbi abolebuntur o-
mnia Papiſtica, & fiet innouatio. Quæ conſtituta antè
fuerint in concilio Gallicano & Belgico aſſumentur per-
tinentia ad cultum Euangelicum, & adhuc conſtituetur
ſtatus Eccleſiaſticus, & Politicus. quod ſignificatur in
mutatione veſtium.

4. Dederunt ergo ipſi Iacob omnes Deos alienos, qui erant
in manu ſua, & in aures, quæ erant in auribus ipſorum, & ab-
condit eos Iacob ſubter quercum, quæ erat apud Sichem. Om-
nes Euangelici deponent omnes opiniones de tyrannis,
de ſeruitio illorum, vt vni Chriſto ſentiant eſſe ſeruien-
dum & regibus pijs miniſtris Chriſti, non autem aduer-
ſariis: & hæc non fuerint diuulgata antè propter certas
cauſas: ſiue indicatur idololatriam, & tyrannidem ſepe-
liri, & non vltra apparere, iuſtitie regno exoriente. id-
que fiat quando ſupremus tyrannus percutietur; tum ſen-
tient pij, quomodo oporteat omnes innouari in regno
Chriſti conſtituto. Iacob, qui capite ſuperiori curauit ſe
cum

cum tota sua familia ipsi Esau, deinde auertit se ab illo, declarauit nunc esse finem faciendum colendi tyrannos vnus Christus iam Dominus, & Rex omnium est cognoscendus, & colendus. in cuius nomine flectetur omne genu. & veri ministri Christi, & reges pij quibus parebimus, hæc quoque præcipient.

5. *Et profecti sunt, ac fuit terror Dei super vrbes, qua erant in circuitibus eorum, & non persequuti sunt post filios Iacob* Jam non erunt vltra, qui persequantur Euangelicos; progressus facient ipsi deinceps semper maiores. nam post vnã regionem subactam, subicientur Christo & aliæ: vt vbique amoueat Papatus, vbi restabit: atque inno-uabuntur omnia, & conducentur in statum Spiritus Sancti.

6. *Et venit Iacob in Lax, qua est in terra Chanaam, hæc est Bethel, ipse, & vniuersus populus qui erat secum.* Postquam bello & in Germania tota victi fuerint Papistæ.

7. *Et adificauit ibi altera, & vocauit locum. EL Bethel, quia apparuit ei Deus cum fugeret à facie fratris sui.* Constituetur ibi quoque Ecclesia innouata, & regnum Christi.

8. *Et mortua est Debora nutrix Rachel, & sepulsa est subter Bethel sub quercum: & vocauit nomen eius Allon Bachoth id est quercus fletus.* In morte nutricis Rachel existimo signari adesse tempus, vt Christus Rex Israël conclametur, & ei parendum censeant omnes reges: atque status politicus administratur lege Dei, non vltra legibus, & statutis hominum. & hoc deplorabunt tyranni & filij tyrannorum.

9. *Apparuit autem Deus ipsi Iacob. iterum, quando redibat ipse de Padam Aram, & benedixit ei.* Vnde videtur hinc signari secundum conciliũ vt existimo Italicum, in quod coibit populus Christianus ex omnibus locis: constituetur status politicus secundum Dei legem. vnde Christus

cognoscetur, & habebitur ab omnibus Dominus & Rex: aperientur scripturæ & Prophetia, in qua cognoscent omnes Deum, Deum suum, & non alium. Et hic est tertia promissio, quæ respondit primæ: & tres promissiones Iacobi respondent septem Abraham, quòd tres status contineant septem ætates, & septem ætates contineant tres status. In Isaaco duas benedictiones habuimus, quia in septimam ætatem, & in tertium statum venit parefaciendus in Secundo aduentu Filius Deus Æternus cum Patre, & Spiritu Sancto. qui quòd venit in carne in primo aduentu, & passus est, debuit & secundo crucifigi in membris suis iterum, quibus mortificatis, & uiuentibus Spritu, promissiones Spiritus debebant in corpore Ecclesiæ exhiberi, in quo vigeret Dei Filius, cum Patre, & Spiritu Sancto.

10. *Et dixit ei Deus. Nomen tuum est Iacob. non vocabitur nomen tuum ultra Iacob, sed Israël erit nomen tuum & vocauit nomen eius Israël.* Vnde spiritus faciet inuolutionem omnium; in hominibus fiet immutatio, & mentis, & sensus, & vitæ. ac noua Hierusalem apparebit descendisse à coelo.

11. *Dixit item ei Deus, Ego Deus omnipotens: cresce, & multiplicare. gens, & cætus gentium erit ex te, & reges à lumbis tuis egredientur.* Persistet Ecclesia inuoluta, & augetur Regnum Christi, quod occupabit totum orbem; & in quo omnes gentes parebunt Domino. quem viderint omnipotentem.

12. *Tetram, quam dedi Abraham, & Isaac, tibi dabo eam, & semini tuo post te dabo terram.* Promissa Abraham conspicientur præstita conduciura semen Abraham in æternam sedem cœlestem.

13. *Et discessit ab eo Deus à loco, in quo locutus fuerat cum eo.* Ac Deus interea relinquet dominatum ipsi Ecclesiæ.

14. *Et erexit Iacob titulum in loco, in quo locutus fuerat cum eo, titulum (inquam) lapideum: & libauit super eum libamen & effudit super illum oleum.* Ecclesia eriget insigne Christi, statuet, vt nullus Saluator, Rex, & Dominus sit, & habeatur, nisi Christus: solius Dei, & Christi Iesu institutis viuatur: eius Verbo solius parebunt omnes.

15. *Et vocauit Iacob nomen loci illius, in quo locutus fuerat secum Deus, Bethel.* In ciuitate Dauidica erit Bethel, sedes regni Christi, ibi erit concilium orbis terrarum, vt docemur in fine 29 & 30, capitis Isaiaë, & alibi.

16. *Et profecti sunt de Bethel, & erat adhuc quasi miliare terra, vt venirent in Ephrata, & peperit Rachel, & difficultatem passa est dum pareret.* Antequàm perueniatur ad concilium totius orbis, dicta est mori in partu Rachel, & peperisse Benjamin: quòd in Rachel signabatut Ecclesia gentium postremarum. quæ dum veniunt, vt sint Ecclesia Christi, magnus fragor fit orbis armis illas quoque inuolentibus in magnam perturbationem. vt iudicium iterum incipiat à domo Dei, & martyrio coronentur credentes signati in Rachel in morte sua pariente postremos filios Ecclesiæ, corruentibus in æternum interitum impijs, nascente Benjamin filio postremo charo parentibus: & in quo illustris fiet doctrina, & sapientia Pauli. siue alter Paulus dabitur post prædicatores Euangelicos, & interpretes Prophetiæ, qui in tertio statu illa adferat, quæ antè non licuit loqui.

18. *Et fuit cum egrederetur anima eius, vt moreretur, & vocauit nomen eius Benoni, & pater eius vocauit ipsum Benjamin.* Vtrumque verum erit: quia erit filius calamitatis, vt fuerunt innocentes, & baculis ferreis trituri à Papis, & terro ab alijs, impijs gentibus, & Turcis. vnde dictum est Mat. 2. Ier. 31. Vox in Rhama audita est, ploratus, & vlulatus, quia dum nascetur Ecclesiæ postremus, fili-

mus filius, & status, hoc est, quando venient in Ecclesiam Christi Turcæ, & reliquæ nationes, maxima strages erit in his, qui credent, dum multi ex his interficientur. Sed deinde erunt filij dexteræ, qui superfuturi sunt in Ecclesia credentes, possidebunt ipsi hæreditatem paratam à constitutione mundi: inter hos existimo futuros Iudæos credentes: & erunt nouissimi primi, & primi nouissimi.

20. *Et erexit Iacob titulum super sepulchrum eius. Hic est titulus sepulchri Rachel vsque ad hanc diem. Magna erit memoria horum operum Christi in Ecclesia sua deinceps.*

21. *Et profectus est Israël, & tetendit tabernaculum suum trans turrim Eder. Dilata vsque ad vltimos fines terræ.*

22. *Et fuit cum habitaret Israël in terra ipsa, inuit Rubem, & concubuit cum Bala concubina patris sui, & audiuit Israël, & fuerunt filij Iacob duodecim.* Causa affertur cur Ruben, seu Rubenitis tributa non sit primogenitura, quod violarit cubile patris & simul affertur causa, quare Romana, & Romana Ecclesia repudiata sit, in qua tanta fuit præstantia & dignitas, in cuius locum & Hierusalem venerint ciuitas Dauidica, & tribus Ioseph. Item quare qui erexerunt inquisitionem in suis Regnis eiiciendi sint quia cubile patris ascenderunt, maritos Ecclesiæ se fecerunt, turpitudine affecerunt Ecclesiam, abominationem posuerunt in loco Sancto. de qua re dicitur & cap. 49. Ethic videtur dari locus finis historiæ Prophetiæ Iacob & sequi historia de duodecim filiis: in qua significantur, quæ pertinent ad constituendum statum regni Israëliti nato Beniamino postremo filio.

23. *Filij Leui primogenitus Iacob Ruben, & Simeon, & Leui, & Iuda, & Issachar, & Zabulon.* Fit enumeratio filiorum Iacob;

Jacob; in qua proponuntur, quæ deinceps futura erant in constituendo regno Israëlítico, assumptis tamen adhuc prioribus temporibus, & cultu pio superiorum more prophetico. & conductis item in constitutionem regni Israëlítico, vt videbimus. vt enim rejiciuntur tenebræ superiorum, ita suscipientur, quæ fuerunt lux.

27. *Et venit Jacob ad Isaac patrem suum in Mambre civitatem Arbam, ubi habitavit Abraham, & Isaac.* Vbi habebimus Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum: ac Dei Verbum, & Spiritus erit in nobis deinceps semper, qui fuit in patribus persistentibus in foedere & in obedientia.

28. *Fuerunt autem dies Isaac centum anni, & octoginta anni.* Nam fuit finis tunc secundi status cognito Christo Spiritu suo præsentem in sua Ecclesia, illam, & regnum Israëliticum solo administrante, & suis solius legibus regente. quæ respexerunt patres ducti Spiritu Dei in omnibus, quæ secundum Deum egerunt. in 180. annis existimo signari tempus secundi status, ante finem cuius adfuit Spiritus Sanctus parant tertium.

CAPVT XXXVI.



Tista sunt generationes Esau, hic est Edom. Vt numeratae sunt familiae pertinentes ad Ecclesiam Christi, sic numerantur familiae Esau, vt recensetur status Antichristi à suo ortu ad suum vsque occasum, qui status signabatur & in peccato Ruben.

2. *Esau accepit uxores suas è filiabus Chanaam, Hadah filiam Helon Hethei, & Olibama, filiam Ana filia Sibon Henei.*

3. *Et Bosmath filiam Ismael sororem Neboit.* Tres uxores recensentur Esau propter tria tempora, quibus aduersati sunt Israëlitis filij Esau. atate quinta voluerunt

Papistæ apud se esse Ecclesiam, item ætate sexta, item hoc tempore repetitæ prædicationis Euangelicæ: quamuis ante, & sub circuncisione, & subbaptismate uiguerit Edom in multis.

4. Peperit autem Adah ipsi Esau Eliphaz: & Bosmach peperit Reuel. In quinque filiis Esau videtur signari ætas quinta, quando confirmatum fuit regnum Antichristi per Carolum Magnum.

9. 11. 12. Tulitque Esau uxores suas, & filios suos, & filias suas, & omnes animas domus sue, & greges suos, & omnia iumenta sua, & omnem substantiam suam, quam acquisierat in terra Chanaam, & iuit ad aliam terram à facie Iacob fratris.

Tunc fuit omnino diuisio Papistarum ab Euangelicis, & quia cap. 34. dicebatur Esau recepisse se in Seir, & hic quoque dicitur, locus videtur dari interpretationi mysticæ: ut hic signetur tempus confirmati Papatus per Carolum magnum, ibi tempus secundi aduentus Domini, quando Euangelici aucti opibus constituerunt suam Ecclesiam publicè separatim à Papistis.

13. Et habitauit Esau in monte Seir. ipse est Edom. Regnum Antichristi est constitutum, quod signatur sub monte, ubi sub nomine Esau intelligitur Papa, & Antichristus.

Et istæ sunt generationes Esau patris Edom in monte Seir. Repeti videtur distinctio vxorum, & filiorum Esau, ut quinta & sexta ætas, & initium septimæ ostendatur, in quibus fuerunt Ecclesiæ Papisticæ.

10. Ista sunt nomina filiorum Esau. Eliphaz filius Hadab uxoris Esau: Reuel filius Bosmach uxoris Esau. Numerantur filii propter tyrannicum regnum Papatus, in quo Papæ dominati sunt.

31. Isti verò sunt Reges, qui regnauerunt in terra Edom antequàm regnaret Rex super filios Israël. Numerantur duces,

ces quòd antequàm regnaret Christus in suo secundo aduentu, Papatus regnauerit : & cùm debuisset regnare Christus, datus sit locus Antichristo.

40. *Et hæc sunt nomina ducum Esau per familias suas, per loca sua secundum nomina sua. Dux Timna, Dux Aluah, Dux Ietherb.* Decem reges, qui numerantur, respondent decem regibus, qui cap. 17, Apoc : dicuntur pugnare cum Agno, siue etiam septem bestis, quæ describuntur eodem capite, & tribus Spiritibus immundis, qui antè dicti sunt cap. 16.

43. *Isti sunt duces Edom, per habitationes suas in terra possessionis eorum. Ipse est Esau pater Edom.* Concluditur Papatus finem habiturus : ac dum dicitur enumeratio facta secundum habitationes terræ eorum : nec vltra fiet mentio de familijs Esau, signari videtur Papæorum successio finem habitura, quando constitueretur regnum Israëliticum, item non sine Dei voluntate tamdiu regnasse Antichristus : vt & cap. 12. Apoc. & 9. Dan. & 3. Osæ ostenderetur. capite vndecimo dictum est de familijs Cain & Cam ; quare de ipsis historia sacra desierit narrare. idem hic de familijs Esau intelligatur.

CAPVT XXXVII.

1. **H**abitauit autem Iacob in terra peregrinationum patris sui in terra Chanaan. Habitat Iacob, vbi habitauit Isaac, & Abraham in terra scilicet promissa semini sancto : & in qua terra conlequebantur, quæ consecuturum nunc fuit semen eorum, in his, quæ pertinent ad spiritum, beatamque vitam, exposita in prædicatione primi, & secundi aduentus Domini & in quibus perseverarunt omnes partes, & pij deinceps perseverabunt Esau, & Papistis eicctis.

2. *Hæc*

2. *He sunt generationes Iacob. Ioseph filius septendecim annorum erat pastor cum fratribus suis in pecudibus. Et ipse puerum filijs Bala, & Zelpha uxorem patris sui. Et retulit Ioseph famam eorum malam ad patrem eorum.* Sequitur nunc historia de Iosepho, qui assumptus est in successione primogenituræ, à qua propter peccatum eiectus fuit Ruben. qui Ioseph refert Christum in eius secundo aduentu administrantem regnum, quod constituitur perpetuæ pacis: ut in Iuda signatur Christus in primo aduentu, & in secundo bella gerens. Hic autem habes, quare ciuitas ubi erit sedes regni Christi in tertio statu vocetur nomine Ioseph, & Ephraim, de qua re agitur in historiis, & in Prophetis ex illa ciuitate prodibit in fama euagatura per vniuersum orbem.

3. *Israël autem diligebat Ioseph præ cunctis filijs suis, quia filius senectutis erat ei. & fecit ei tunicam polymitam.* Præ filiis hominum fuit Christus gratus Patri, item in filios postremos, qui venturi sunt in Ecclesiam, extabit præcipuus Dei amor. nam Iosepho data est tunica, in qua signabatur autoritas, & dignitas in administratione regni Dei in statu tertio constituto Spiritus Sancti item varia, & præclara Spiritus Sancti dona.

4. *Videntes autem fratres eius, quod eum diligeret pater ipsorum præ cunctis fratribus eius, odio habuerunt eum, & non poterant alloqui eum pacificè.* Causa affertur odij Papistarum in Euangelicos, & aliquorum Euangelicorum in Papistas, item parantur illa, per quæ Ioseph peruenturus sit ad summam dignitatem: ut nunc persecutio Papistica erit causa extollendi Euangelicos in regnum Christi Israëliticum.

5. *Somniauit autem Ioseph somnium, & narrauit fratribus suis: & addiderunt amplius odisse eum.* Difficile ferunt qui non sunt perfecti, si quis paria aut maiora, quam se, conse-

consequatur. vnde nuntiârunt quidam Mofi duos esse in castris, qui prophetarent. quorum inuidia reprehenditur à Mose. maior pars hominum nunc non sustinent memoranté prophetica siue paucula, quæ in ipsis non fuerint.


6. *Et dixit ad eos. audite quæso somnium hoc, quod somniaui.*

De somnijs his nihil est vt dicamus, quia per se res loquitur. Sed duo somnia sunt, vt non solum intelligamus ad Iosephum accessisse fratres, & parentes dominantem in Aegypto; sed & Ecclesiasticum & Politicum statum, & omnes Euangelicos ad vnum tantum Christum se curuatuos in tertio statu tempore messis, hoc est tempore iudicij. & hic aduerte in Sole, Luna, & stellis, quid signetur. In sole, luna, & stellis signari statum Ecclesiasticum & politicum, & in his ministros.

11. *Inuiderunt ergo ei fratres eius; at Pater eius obseruabat rem ipsam.* Aliter maleuoli, aliter beneuoli, & sapientes iudicant. vnde Pater, qui habuit Spiritum Prophetia, qui sciebat, vt sciuerunt post omnes eius filij omnia sibi contingere in figura, rem expendebat.

13. *Et dixit Israël ad Ioseph. nonne fratres tui pascunt in Sichem. veni & mittam te ad eos. Et dixit ecce ego.* Hic signatur Pater, qui mittat Filium charissimum ad pacem hominum procurandam. errat in hoc mundo Filius; inuenit fratres, quorum pacem curat: mortem contra eum hi machinantur: exuunt ei vestem: priuatum volunt omni dignitate, & autoritate; ad mortem mittunt in profundum, in sepulchrum; vendunt in super impijs. Hic Ioseph signat Christum in primo, & secundo aduentu. & quod admiserunt Iudæi in Christo capite: idem Papa, & Papistæ admittunt in Euangelicis, qui sunt membra Christi. atque nunc fuit illud tempus, quando surrexit frater in fratrem, amicus in amicum, & mortu eum tradidit, & vendidit.

CAPVT XXXVIII.



 Rgumentum capitis habebitur in conclusio-
 ne, vbi iudicium Christi rectum in Papistas,
 & alios apparebit. Interea duo occurrunt in
 hoc capite difficilia: alterum, quomodo ex
 familia, è qua nasci debuit Christus, incurrant hæc, vt
 ex nuru pater suscipiat filium, atque is, & non alij cense-
 antur è semine sancto: alterum: quæ nam signentur no-
 bis in his, quæ narrantur in hoc capite. hoc primum vi-
 deamus, alterum forsitan deinde patebit. Quoniam hoc
 factum Iudæ dicitur extitisse antequam venderetur Io-
 sephus, narratur tamen post, vt seruiatur Prophetiæ;
 videndum est, quidnam possit signare postquam Chri-
 stus mortuus est, & antequam Iosephus eueheretur in al-
 tissimum gradum in Aegypto, hoc est, antequam re-
 gnum mundi soli daretur Christo administrandum re-
 uocatum in regnum Israëliticum. Et quoniam in Mar-
 theo multa dicentur de Thamar, Rab, Ruth, & Bersa-
 bea, hic tantum illa assumentur, quæ ad historiam pro-
 pheticam institutæ hic narrationis pertinere videbuntur
 Videmus post Christum assumptum à nobis tres ætates
 secundum distinctionem Mosaicam extitisse, & in tertia
 post Christum, siue quarta à Christo extitisse nouam præ-
 dicationem. dicam ergo mihi videri in Iuda diuertente
 à fratribus ad Chananæum, & inde accepisse vxorem;
 signari Christum ad gentes diuertisse, atque ex his ha-
 buisse Ecclesiam, in qua trium ætatum nati sunt Christi-
 ani, & numerando ab ætate prima Ecclesiæ, quæ fuit in
 familia Abraham, ætate quinta post quartam Iudæ, hoc
 est Christi, natus est Papa Chananæus, qui signatus in
 Her voluit esse magister omnium, caput omnium. ille
 idem Papa, & sui, qui fuerunt ætate sexta signati sunt in
 Onam:

Onam: qui ætate incipiente septima, in Helach. Thamar datur maritus Her. hoc est, Papa, & Ecclesiastici veniunt in Ecclesiam Apostolicam. & quia mali sunt, respiciuntur à Deo. ætate sexta idem sit, & ex Ecclesia, quæ successit Apostolicæ, iam non sunt fideles Ecclesiastici. adest autem finis ætatis sextæ, nec parit Ecclesia, quæ successerit Apostolicæ, fideles: quòd ad se non accedant prædicatores ex sancto semine: ducit vitam vidualem, & infructuosam Ecclesia: Quid agit tunc Thamar, quæ æstuat more pariendi semen sanctum? videt sibi non dari prædicatores: & si dantur, videt illos esse Papistas filios Helach ex Chananæa natos: atque Ecclesiam Papisticam signatam in Chananæa vxore Iudæ mortua, ad finem suæ ætatis peruenisse. vir autem non adest in Papatu, in quo esset semen sanctum. Quid igitur tibi agendum est Thamar? ait illa. Dum venit Iuda, vt inuisat greges suos, dum venit Christus, vt iudicet mundum, illum suscipiam, postquam alij omnes emoriuntur, & non persistit Dei semen, nam secundum historiam Messias debuit nasci ex semine sancto, non ex Chananæo: ideo Thamar subiicit se Iudæ. Itaque Ecclesia maritata à Christo Papistis, qui mortui sunt iam in suis peccatis, Patrem Papistarum, in quo solo est semen sanctum, expectat in via, dum venit secundò, vt secum congregiatur, ex eo solo suscipiat semen: simulque Christus ex sola, germana, vera, & propria vxore, non autem ex Chananæa Papistica pariat & habeat fideles, qui suum regnũ obtineant. Ergo cum debuisset habere Ecclesia ministros sanctos, nec essent, dum venit secundò Christus ad iudicandum mundum, suscipit ipsa Christum qui debebatur sibi maritus, non autem Chananææ Papificæ: ac concipit duo in prædicatione Euangelij repetita antequam inuisat Christus gregem: siue iam hi duo signent

IAC. BROCARDI IN XXXVIII. CAP. GEN.
eos, qui crediderunt illi prædicationi, & eos, qui non
crediderunt: siue eos, qui martyrio coronati non ingres-
si sunt in regnum Dei, & eos, qui viuentes in illud in-
gressi sunt: siue eos, qui crediderunt Euangelio tantum,
& eos, qui crediderunt Euangelio, & Prophetiæ, siue
aliter viderint contéplatores. Hæc generatim dicta sint
de tota re: in qua & videri potest, quare factum sit, vt
Thamar voluerit habere semen è Iuda: id non libidini
videtur debere assignari, quia ita agendo debuit deinceps
esse sine viro. Singula possunt aduerti multa: inter
quæ est factum Onam: in quo signatur Papa, & Eccle-
siastici Ecclesiæ Romanæ, abhorrentes ab vxoribus, &
ab Ecclesiis Euangelicis: reiiciunt verbum Dei, Christi,
& Apostolorum, ne pariant fideles Christo: emittunt
suum decretale, vt omnes Christiani fiant Papistæ. vi-
deatur cap. 25. Deut. vt interpretatio huius loci habeatur,
& de Papistis, & de imitatoribus Papistarum. Pigno-
ra, quæ accepit Thamar è Iuda sunt signa rei magnæ:
annulus, quod sit vera vxor secundum diuinum institu-
tum, & non humanum: armilla, quod dignitas ad se
pertineat matrisfamilix in familia Christi: virga, quod
ad se pertineat administratio in Regno Christi. Cùm au-
tem Ecclesia Euangelicorum nunc accusatur à Papistis,
& maleuolis, vt adultera, & hæretica: ministrique Ver-
bi comburantur, vt hæretici ante Christum Iudicem, &
ita videatur vulgò: profert Thamar signa suæ doctrinæ,
suæ vitæ: profert annulum Christi, verbum prædicatio-
nis, & fidem, & pactum, quod habet cum Christo, & Deo
Patre, in cuius nomine iurauit: profert armillam, cha-
ritatem, & vitæ innocentiam: profert virgam, ministe-
rium Verbi rectè, & benè peractum. quæ sunt illa, qui-
buscum Christus se maritauit Ecclesiæ Apostolicæ. hinc
extabit nunc tandem iudicium Christi, vt non ultra
combu-

comburantur Euangelici; sed vt semen Chanaam pereat cum vxore Chanaanæ. Dum manum retrahit cocino ligatam Zaram, signantur qui dicti sunt antè, aut primi nouissimi, & nouissimi primi: aut electionem, vt quæ extitit in Iacobo. Hinc ergo cognoscent omnes verum iudicium Christi: cognoscentur & Euangelici, & ingrati, & qui primi habuerunt gratiam Euangelij, atque eam non magnifecerunt. Sciant autem è Iuda & Thamar natos esse verè credentes permanuros in regno Christi. Quæ hîc summam attigimus rerum futurarum, pluribus exponentur in testamento, seu Prophetia Iudæ.

CAPVT XXXIX.

 Equitur historia de Iosepho, in qua videbimus, quid post iudicium Christi, & interitum Papatus, & Euangelicorum liberationem fiat in regno Christi. interea tamen etiam quæ ad iudicium pertinent exponuntur. ostenditur in administratione Iosephi omnia prosperè euenire in Regno Christi: hoc est omnia rectè fieri, & benè succedere, quæ secundum verbum Propheticum ostenduntur, & fiunt. In pulchritudine Iosephi signatur spetiosa forma præ filiis hominum spiritu suo esse in nobis. Et dum Ioseph fit seruus, & minister præfecti causarum capitalium, signatur iudicium, quod sequi debeat in tota ætate septima in qua Iosepho tribuenda est omnis administratio. Vnde ab hoc præfecto datur domus suæ omnis administratio Iosepho: in carcere idem fit, idem fit in regno Pharaonis. Sed antequàm perducatur Ioseph ad administrationem regni Pharaonis ducitur & ipse per iudicia, in carcerem conjicitur. quia Euangelici etiam post prædicationem 70. annorum, quando debuerunt

IAC. BROCARDI IN XXXIX. CAP. GEN.
venire ad administrationem regni Christi; dumque impij iudicantur, & puniuntur, ipsi quoque iniuste ab impijs patiuntur; tamen ubique in omnibus que agunt, bene se gerant; præsertim verò, quia nolunt adulterari cum magna meretrice in tenebris Aegyptiacis, nam in Iosepho signantur Evangelici, qui post prædicationem 40. annorum, quando bellum coepit ardere in Gallia, secuti sunt tamen Christum, & eius Verbum, ac opus. & quia Evangelici tunc veniunt in nouum opus Christi; in quo perficiuntur, quæ Spiritus Sanctus præscripsit in Prophetis: atque in Evangelicis iam agit Spiritus Sanctus proprium opus distinctum à priori proprio Christi, tamen, vt alibi ostendimus, non sit Verbum sanctum sine Spiritu Sancto, & Spiritus Sanctus veniat cum Verbo sancto. In his ergo, in quibus agit nouum opus Spiritus Sanctus, volunt quoque dominari Papistæ: volunt vt fideles negent, quæ sunt Spiritus Sancti, & pro Spiritu Sancto accipiant seipsos, & sua mendacia; volunt se esse Spiritum Sanctum, vt volunt se esse Christum, ac vt contumelia afficiunt Christum in abominatione desolationis; sic volunt contumelia afficere Spiritum Sanctum. Signantur autem inquisitores, & Ecclesia Romana in vxore præfecti causarum criminalium, & in præfecto tyranni. qui inquisitores habent in suis & principum ciuitatibus & magistratum inquisitorium. principes nil mali inueniunt in vitis Evangelicis, & tamen, quia nolunt hi adulterari cum magna meretrice matre abominationum terræ, carcere coërcent ipsos in regno Aegypti, vbi est iudicium tenebricosum: ad quod iudicium cum ego adductus fui Venetijs, ingressus sum in aulam decem capitum tenebris, & caligine circumfusam totam. Ibi vt in alijs locis, vbi est inquisitio, durissimo carcere cruciantur pij viri, vt custodes carceris, & immanes homines ad misericordiam commoueantur.

CAPVT XL.

IN duobus, qui peccant, existimo signari pios, quos poenitet in Euangelio errati, & impios, qui perseverant in scelere: somniant seu vident illi de Christo vite vera in tertio statu, in qua saluandi sint. somniant isti, & vident panes; & carnes Aegyptiacas: quod Papistæ Aegyptiaci volunt panem esse corpus Christi: volunt carnaliter edere carnem Christi: & volant super panem, supra Euangelicos, & vorant eorum carnes: vt cap: 34. Ieremiæ, & alibi sæpe repetitur. Idem ergo nunc patientur Papistæ, & alij hos imitantes ingredientibus nobis in tertium statum, & tempus iudicij. Qui iam liberantur è carcere Papistarum Euangelici, atque ab eorum inquisitione, quique effugient poenam & mala, quæ afferet nunc iudicium Dei; narrabunt de Iosepho, hoc est, de Christo, in quo sit apertio totius diuinæ scripturæ. Et quamuis antè visi sint destituti, & perdit, qui fuerunt membra Christi, & veluti quorum nulla videretur futura memoria, vt etiam Papistæ putarint abolendam memoriam prædicationis Euangelicæ; tamen & illi suo tempore conspicientur clari in Regno Christi, atque videbunt omnes, prædicationem Christi solum florere, & obtinere locum in mundo. Illud hîc videtur addendum: vt dixi antè, vidi nigram caliginem in aula decem capitum Venetus, & Iosephum, hoc est, Christum nostrum ligatum post tergum trium capitum: qui mihi pollicitus est liberationem: & eo die fuit ipse inde amotus. Reliqua dicam, vbi agam de inquisitione abominabili Christum ipsum appetenti.



CAPVT XLI.

Fuit in fine duorum annorum dictum cum per-
 uentum esset ad finem duorum annorum item &
 Pharao somniauit: & ecce stabat iuxta flamen.
 Abbas Ioachimus in commentarijs in Isai-
 am cap. 19. ait Ægyptum poni generatim pro toto mun-
 do. quod videtur ita accipiendum hoc capite. Et hic in
 rege Ægypti signabitur Deus. Tempore autem Mosis si-
 gnabit Pharao Papatum, qui sibi locum Dei vendica-
 bit, item regem Gallum vt ait idem Ioachimus in Iere-
 mia sæpe. Vidit Pharao somnium, quod non explicatur
 nisi à Iosepho. In septem vaccis pinguibs signantur se-
 ptem ætates mundi, in quibus verbum Dei, semen filio-
 rum Dei, & cultus Dei viguit, & floruit & in magna fuit
 copia in Ecclesijs. in vaccis confectis maciæ signantur
 septem illæ eadem ætates quatenus impij in eisdem æ-
 tatibus fuerunt tenebræ, quæ suffocauerunt lucem Ec-
 clesiæ sanctæ Dei, vt in toto mundo, & omnibus in eo,
 non apparuerit eadem lux. Et cum antè suffocarent
 tenebræ impiorum lucem Ecclesiæ Christi, tum maximè
 hoc tempore septimæ ætatis accedentis vaccæ Papisticæ
 toto tempore prædicationis diuiso in septem tempora
 deuorant vaccas pingues septem temporum, quibus Eu-
 angelici prædicant Verbum Dei. Vtræque septenæ hæ
 vaccarum dicuntur egredi è flumine, quia vt vidimus
 cap. p. Gen. Deus creauit lucem, & tenebras, & duplex
 semper exitit genus hominum: filij lucis, & filij tenebra-
 rum vt vidimus in duobus filiis Abrahæ, in duobus Isa-
 aci, vt præteream Abel, & Cain: In his consignati fue-
 runt posterij pij, & impij, vt fuerunt. Vaccæ item pingues
 pascuntur in palustribus locis: macræ in ripa amnis. in
 locis virentibus, id dicitur, quia impij obtinuerunt hæ-
 redita.

reditatem piorum, & pii fuerunt spoliati suis bonis, propter ipsos enim creauit Deus mundum. Veruutamen vbertas vera & vita fuit in pijs. Monemur item dum nouimus adesse secundum aduentum Domini, & magnam rerum omnium perturbationem, vt non daretur locus prædicationi, & studio Diuini Verbi, debuiffe nos, dum prædicatum est Euangelium, assumpsiffe ex promissionibus factis Abrahamæ, Isaac, & Iacobo, ex Lege, ex Prophetis, ex Euangelio, ex doctrina Apostolica, ex Apocalypsi, ex prædicatione nostri temporis, Verbum, quo sustentaremur, dum prædicatio impeditur, vt perduceremur ad Regnum Christi, vbierunt omnia copiosa, & salutaria. Et si singulare tempus aliquod erit cognoscendum in septem, & septem annis, existimarem ego, nos debuiffe fuisse monitos post eadem Euangelicorum in Gallia, anno 1572. aduentum Domini fuisse nuntiatum adesse, tunc omnes nos debuiffe insistere in Verbo Domini, vt parati, & muniti essemus eo, quando post septem annos, non daretur per septem annos, locus prædicationi, & bellicis perturbationibus inuoluerentur omnia: ac debuiffe nos tunc sustentari Verbo Prophetiæ, quæ in perturbationibus illis Gallicanis, & persecutionibus, & cœdibus aperiebatur: siue quia non solum septem vaccæ, sed & septem spicæ in repetito & duplici somnio videtur: septem, & septem dantur anni, hoc est quatuordecim prædicationi ante magnam perturbationem, quando impediatur prædicatio euentus rem aperiet.

5. *Rursus dormiuit & somniauit secundo, & ecce septem spicæ ascendentes in culmo vno.* In secundo somnio idem significatur, vt & secundus status & tertius intelligatur. nam in vaccis signantur prædicatores primi, & secundi status, & repetita, & perseveratura prædicatio in toto

IAC. BROCARDI IN XLI. CAP. GEN.
tertio. in spicis opus verbi eorumdem, & messis colligen-
da in tertio statu. nam hæc omnia in postrema tempora
concurrunt & tunc apparebit has septem spicas respon-
dere septem calamis candelabri Ex. cap. 25.

9. *Et locutus est princeps pincernarum ad Pharaonem di-
cendo. peccatum meum ego memoro hodie.* Hic conijcimus
ex hac confessione etiam illum, quem dixi somniasse de
vite, signare Evangelicos credentes saluari misericordia
Dei, qui prædicaturi sunt gratiam Evangelij, & deinde
omnem diuinam scripturam futuram apertam per
Christum. Hi ergo expositionem diuinarum scriptura-
rum septem ætatum mundi acceptam ferunt Christo.
Vnde prodit Ioseph è carcere, & exponit somnium: pro-
dit Christus cum membris suis è manibus Papistarum ju-
dicatis ad mortem, & interitum: aperit Diuinam scri-
pturam totam, & Verbum prædicatum in septem ætati-
bus mundi, vt spe alantur Evangelici, dum furit tempe-
stas magna perturbationis.

25. *Et dixit Ioseph ad Pharaonem Somnium Pharaonis v-
num est quod Deus facturum est, nunciauit Pharaoni.* Aperit
Ioseph futuros septem annos, quibus magna erit copia,
& vilitas frugum, deinde successuros alios septem, qui-
bus magna futura sit fames: & ait idem signari in vac-
cis, & in aristis. repetitum autem ita somnium ait Ioseph,
quod verè, & omnino futurum sit à Deo, quod signifi-
catur: & festinaturum Deum, vt id perficiat. vtitur Ioseph
eadem repetitione, vt indicet omninò futurum su-
um vaticinium, & vt afferat Prophetiam futurarum æta-
rum. dicitur astè Pharaon post somnium expergefactus,
& rursus dormiuisse, & vidisse alterum somnium: vt præ-
ter factum suorum temporum signetur Christus, ac eius
primus, & secundus aduentus. signantur forsitan & cœ-
des vniuersales factæ in Gallia anno 1572. & eadem
vbique

vbique post repetitæ. intra quod tempus fuerit aliqua coitio fidelium & prædicatio, post fuerit impedita sæpè, maximè verò dum fit magnum iudicium signatum in spicis. tunc debuimus ali promissionibus in Prophetia. Vnde Ioseph repetit verbum Elohim bis, & verbum Da-uar semel: quòd omninò adducet Deus Verbum suum, vt fiat caro, sit panis, cibus, & vita nostra, prædicetur Euangelium etiam post cœdem Gallicanam & iterum festinabit, vt fiat messis, faciat Christus citius. quàm putant homines, magnum iudicium, & quæ decreuit se facturum in secundo aduentu patefacto omnibus. Vt iam firmum habemus hanc veritatem futuram, sic omnino fiet: vt septem anni sint vbertatis, & septem caritatis, qui veritatem illam signent, & firment: atque vt hi anni fuerunt, sic omninò, quæ in his signantur futura sint.

33. *Nunc ergo provideat Pharaos virum intelligentem, & sapientem, & ponat illum super terram Aegypti.* Monet Christus, vt fiat, quòd in tota Diuina scriptura nuntiat. vt ipse vnus Christus eligatur, & assumatur Rex in vniuersa terra, qui in ea habeat suos Euangelicos ministros, & pastores in omnibus regionibus, qui sui Verbi vbertate & copia pascant omnes credentes, præsertim cum liberè poterit fieri.

34. *Faciat Pharaos, & constituat præfectos super terram: & quintam partem accipiant de terra Aegypti in septem annis abundantie.* Difficile quidem est pronuntiare, quidnam in quinta parte signetur, dicam quod se offert. Videtur in quinta parte persoluenda signari furtum, quod in eo Lex velut quinque partes pro vna restitui. ita mihi videtur generatim significari in aduentu secundo Domini omnia esse restituenda Christo, & Deo Patri, ac Spiritui Sancto, obedientiam, honorem, gloriã, cultum Eu-
angeli-

angelicum, pietatem, regna, administrationem, & quicquid ab etate quinta, quando Papa inuasit tyrannidem vsque ad secundum aduentum Domini: & quicquid quinto tempore à prædicatione Lutheri ablatum est Christo in perturbationibus Gallicanis, & deinceps, omne restituendum esse Christo, regnum & summum pontificatum, & alia ita singuli agamus, restituamus Christo omnia, quæ sibi debentur, & quæ ei eripuimus, & nostra fecimus. & hæc sunt, quæ ostendentur in apertione Prophetiæ, & quæ erunt agenda vt liberemur in magno iudicio,

37. *Et bonum fecit verbum in oculis Pharaonis, & in oculis omnium seruorum eius.* Et hoc præstabitur maximè in Regno Christi, quando cognoscetur adesse Christus: se illi omnes, & sua tradent: et parebunt, & iussa sua facient omnia: quæ omiserunt, restituent, & perfacient maiori studio, & cura deinceps.

38. *Et dixit Pharaon ad seruos suos. Nam inuenire poterimus sicut istum virum, in quo sit Spiritus Dei.* Nemo erit, qui putet se sapientiorè Christo. Christo dabitur Regnũ Christus dabit administrationem in concilio vniuersali ministris Patri seruabitur solum. idcirco vocat Christus Regnum Dei suum. si Pater obtinet solum, Christus administrationem, quisnam erit, qui audeat in Regno Dei, vbi Christus erit Rex, præbere se nisi ministrũ?

42. *Et detrahens Pharaon annulum suum de manu sua posuit illum in manum Ioseph; & induere fecit eum vestibus byssa, & posuit torquem auri super collum eius.* In annulo, stola byssina, & torque aurea, facile est videre quid significetur. Ita in reliquis, in quibus intelligitur Christus tantum obtinere locum Patris. referantur iam huc quæ narrat Paulus de magnitudine Christi, & quæ Prophetæ, ne necesse sit pluribus eadem repetere.

45. *Et vocavit Pharaon nomen Ioseph. Saphenach Paneah: & dedit ei filiam Potipherah principis (Sacerdotis) On in uxorem. & egressus Ioseph super terram Ægypti.* Appellatum videmus Iosephum, vt in eo solum Iesum Christum cognoscamus. Si dicas reuelatorem absconditorum, est solus Christus, qui soluit septem signacula libri clausi.

Filiam Sacerdotis. Fiunt nuptiæ ex gente sancta, & ex Regali Sacerdotio.

Et egressus est Ioseph. Quod dictum est, fiet: idque in concilio publico; aperietur Apocalypsis, & Prophetia reliqua in omnibus Diuinis scripturis. vna ætas septima noscet, quæ omnes patres antè omnibus temporibus noverunt.

50. *Et ipsi Ioseph nati sunt duo filij antequam veniret annus famis, quos peperit ei Asnath filia Potiphera principis (Sacerdotis) On.* Fideles, qui erunt ætate septima, expertes erunt omnium laborum, & afflictionum, quas sustinuerunt pij prioribus ætatibus: deinde crescent in magnum numerum: vt in mundo nulli permansuri sint tandem, nisi Christum profitentes.

53. *Et finiti sunt septem anni abundantia, quæ fuit in terra Ægypti.* Quando veniet tempus penuriæ, quando non erit locus prædicationi, ac tempestas bellica in iactationem ducet omnes; pascemur promissionibus copiosis in Verbo Domini de liberatione nostra, vt perducamur in regnum Christi in quo sit vita æterna.

59. *Et fames erat super universam faciem terra: & aperuit Ioseph omnia (horrea) in quibus erat (triticum) & vendidit Ægyptijs. in valuerat enim fames in terra Ægypti.* Dum est magna tempestas, & perturbatio omnium rerum: atque vulgus non videt rationem tantorum malorum; ecce studiosi Verbi Dei, recognoscunt finem sextæ tubæ, & initium septimæ cap. 11. Apoc: recognoscunt magnum

terræ motum, vident ingressum in Regnum Christi, vident arcam apertam, & horrea Verbi Dei, quibus expleant famem panis expectati tandiu Christi Iesu, quo in hac vita, & in alia æterna pascantur. Et tum quisque in his, quæ abundabit, quæ habebit, debet communicare cum indigentibus tanquam, Christo, cui debetur, quod ante ablatum fuit, ac restituenda Charitas prima.

CAPVT XLII.



Andem multi Papistæ, conuertentur ad Christum item Hebræi facti postremi, qui fuerant primi desperati de salute, & de Messia suo cognoscent Christum, & accedent ipsi quoque ad Ecclesiam catholicam, & in ea, & in concilio suscipient tandem suum Messiam in Prophetia apertum, & re ipsa cognitum. Hoc, vt mihi quidem videtur signatur in his quæ sequuntur. Cùm ergò videbunt Papistæ Iudicium Domini contra se, & sua errata in apertione Prophetiæ, viderint post Iudæi, nullibi sibi ostèdi spem Messiaæ alterius venturi: atque frustratas hætenus omnes suas conjecturas, quas tanta & varias habuerunt falsas; audient in Ecclesia Euangelicorum esse ex euentis ipsis interpretationes Prophetarum, & Mosi. accedent & ipsi ad lectionem, & audient voces multiplices ministrorum Dei, & populi eius se arguentis tanquam exploratores in mundo: alijs omnibus esse statum, & religionem Ecclesiæ ac regni formam: ipsos nec Deum habere, nec ledem; sed vagari in sedibus alienis, tribus diebus erunt in carceribus. ostendentur ipsi in vmbris versati in tribus statibus mundi, non intelligentes Mosem, nec Prophetas. Siue á Christianis aliqua conditio exhibebitur: aut relegabuntur aliquò, vt sint extra communem vsum hominum

minum: pignoribus constringentur, postquam diligenter fuerit cum illis disputatum. Cogentur conditionibus videre doctrinam Evangelicam, & Apostolicam, eamque conferre cum Lege, & Prophetis: non retinere disciplinam ab alijs, quam à nobis: quòd ipsi sint filij Lex, & Synagogæ Iudaicæ, nos simus filij Rachel, & Ecclesiæ Apostolicæ. Si velint ipsi locum habere, & inter alios, cogentur suscipere, & habere Benjamin & Ioseph fratres: in quos postremos gratiam Deus contulerit: quique postremi fuerint primi. Hoc est, cognoscere debebunt Christianos Israëlitas veros: nec gloriabitur omnis caro coram Deo. Cùm prementur Iudæi, & coeperint videre regnum Israëliticum in Christianis, tunc erratum incipient noscere, videbunt tunc, in quem pupugerunt: plangent tunc se super se. Dabitur tunc doctioribus Hebræis expositio Prophetarum, & Mosis: & dabitur gratis, ne sibi quicquam persuadeant, vt antè fecerunt, de obseruatione suarum Ceremoniarum, ad suas familias deferent illi famam regni Israëlitici in populo Christiano: conferent inter se eò vsque dum aliquid intelligent. verùm adhuc recusabunt suscipere Euangelium, & Paulum in numero diuinarum scripturarum, vt eiusdem sint auctoritatis cum cæteris. similia acta intelligent cum Papistis, quæ agentur secum, vt qui credent ex Iudæis ingressuri sint in locum Papistarum non suscipientium Christum: qui non credent, nusquam futuri Israël.

CAPVT XLIII.



Ogenrur Iudæi accedere ad Ecclesiam, siue coacti aliqua ratione, siue ipsi adducti amore veritatis: & ut euellant dubitationes, quæ quotidie cor exedunt; animum, ac mentem

peritur

PAG. BROCARDI IN XLIII. CAP. GEN.

perturbant. & quamuis diu recusabunt recognoscere
 monumenta Euangelica, & Apostolica, tandem cogen-
 tur venire ad disputationem apud ministros Ecclesie: &
 allatis muneribus, ac præstito honore Christianis in re-
 gno Israëlitico, quantumuis inuiti cogentur cognoscere
 Christum Messiam. Contendent de Cerimonijs adhuc,
 & de meritis: verum gratuita omnia ostendentur in diui-
 nis literis dari. præstabit tandem Iudæis Christiani
 omnia officia charitatis: parabitur illis conuiuï Christi.
 disputatio magna erit de diuinis scripturis: distinctiones
 ibi fient trium statuum. Ostendetur quomodo Lex, quo-
 modo Prophetia, quomodo Euangelium sit separatum,
 & simul cognoscendum: quinam Israëlitæ veri dicendi
 sint: quomodo in quoque statu ex tribus. sint, quæ cogno-
 sci debeant: & quid cuique proprium tribuatur. quæ res
 magnam affert admirationem Iudæis; vt cognoscere de-
 buerint, quanta laus sit Pauli in Ecclesia, in quanta digni-
 tate postremi futuri sint ex parte quintupla data Benja-
 min pro vna. quæ contigit singulis in mensa. in quare
 videretur signari futurum, vt omnia restituantur filijs Dei
 ætate postrema, tanquam à Papis, & ab impijs antè
 fuerint surrepta filijs Dei, & regnum, & administratio,
 & omnia bona in illo. Et hîc, & capite 45. vbi dicit Ioseph,
 duos annos præterisse, & restare quinquæ, alia in-
 terpretatio videretur afferenda de Christianis, non so-
 lum de fratribus Iosephi de qua te pauca dicam in eo
 cap. 45.

CAPVT XLIIII.



Vti sunt in secunda disputatione Iudæi do-
 ctрина scripturarum gratis sibi oblata, quod
 sine meritis iam vocati sint, vt antea semper
 & in Lege misericordia Dei vocati, & gratis
 omnia

omnia eis donata fuerunt. & Benjamin, hoc est, ipsis etiam Iudæis postremò vocatis datur Scyphus Iosephi: datur vt bibant cum Christo in Regno Dei: bibant doctrinam Christi in Paulo. Et quoniam secundò non benè Iudæi, & perfectè intellexerunt Christum, tertio reuocantur ad eundem cognoscendum atque vt in vnum conducam. cap. 42. 43. & hoc 44. non intellexerunt sub Lege Christum Iudæi, qui in carcere, & vmbri fuerunt, & tamen saccos plenos habuerunt spiritualis interpretationis, & gratiæ. non cognouerunt Christum, quem interfecerunt in Ecclesia duodecim Apostolorum, ac nunc in terrio statu reuocantur, vt videant in suis saccis gratiam datam sub Lege sine meritis, gratiam datam in Euangelio sine meritis, poculum Christi intueantur sibi datum in statu tertio, in Regno Dei, in quo postremus filius paruulus Benjamin est regnaturus. cognoscant præterita sua errata, quòd reddiderint mala pro bonis in Prophetis, & in Christo, quem habuerunt in suis voluminibus nuntiatum; absconderint & defraudârunt omnes illius gratia, quantum potuerunt. Cognouerunt fratres Iosephi sua errata, qui fratrem, innocentem vendiderint: cognoscent Iudæi se crucifixisse suum Messiam: cognoscent Papistæ se crucifixisse iterum Christum in membris suis. veruntamen pro tantis malis quanta bona susceperunt hi omnes? quisque de se ipso rectè cogitet, quanta egerit, quantum Deum offenderit: quantum tamen gratiam apud Deum invenerit, vt puduit fratres Iosephi, similiter Iudæi & Papistæ erubescant.

CAPVT XLV.



Tque nunc tandem Iudæis aperietur Christus, quem crucifixerunt. & iam hi, qui tractabant Verbum Dei, prædicabunt, & ape-

rient illud aliis, ab initio Moſis uſque ad finem reliqua-
 rum ſcripturarum ubique oſtendent Chriſtum, & eſſe
 nunc regnum Iſraëliticum reſtitutum per ipſum verum
 Meſſiam, nec alium futurum. Inſtituentur verò illi Iudæi
 à miniſtris Euangelicis in omnibus Diuinis ſcripturis, vt
 nulla dubitatio, nullus ſcrupulus hæere in eorū animis
 debeat. Dùm autem familiæ erunt conſtitutæ, coibunt om-
 nes in vnã ſanctam Eccleſiam Catholicam, & quiſ-
 que Chriſtianus Iudæum, vt fratrem, amplectetur. ha-
 bebunt miniſterium, & nomen in Eccleſia Hebræi ſimul
 cum Chriſtianis; ac gratulatio erit in Eccleſia. Et ſi reli-
 quenda fuerint eis aliqua bona ſua priora, non inuiti il-
 la reliquerint, quemadmodum Euangelici, qui ſuſtinu-
 erunt captiuitatem multorum annorum, reliquerunt læ-
 pe multam ſupellectilem, dum eſſent in illa vagi, & pro-
 fugi: & dum tandem omnes vocarentur in ipſorum pa-
 triam liberatam ab Antichriſto, vitam reſtitutam ſibi
 ſentient Hebræi, & exultabunt, quòd tandem ſuum Meſ-
 ſiam nouerint, & peruenerint in regnum ab eo reſtitutū
 Iſraëliticum. Et hæc generatim dicta ſunt de ſententia
 huius capituli. ſingula autem non eſt neceſſe exponere,
 quòd patefecerit ſe Ioseph fratribus, lacrymatus ſit, ex-
 poſuerit Diuino conſilio omnia eſſe facta in ſe, vt ea-
 dem in Chriſto cognoscerentur, vt eſt concio Petri, cap.
 3. Act. ad Hebræos; quòd accerſuerit ad ſe omnem fa-
 miliam Iacobi, ſuppeditarit omnia neceſſaria, dedit
 dona ſingulis. Verum quòd dicitur, duos annos præte-
 riſſe, & quinque reſtare famis, per ſe videtur confi-
 derandum. Et quamuis rerum euentus rem ipſam patefaci-
 et, interea exiſtimo quidem ego, quæ hoc capite nar-
 rata ſunt, pertinere ad concilium primum Belgicum,
 ante quod elapſi ſunt duo anni famis, qui fuerint poſt
 coeptam perturbationem magnam: & reſtare quinque
 annos,

annos, vt tota Gallia, Italia & certa alia loca subijciantur Christo constituta in memoratis prouincis Ecclesia & regno, post habeatur concilium tertium, siue tandem quartum, Germania superior accesserit comes, ac sit pacatus totus populus Christianus, & vbiq; prædicetur Euangelium Regni. Et nunc illa interpretatio videbitur esse significata in vndecim fratribus Iosephi vt in his intelligerentur omnes Christiani, qui venerunt sub tribus in locum Iudæorum non credentium, quas distinguemus, vt nouerimus cap. 49. & alibi in Mose, & in Propheta, idque maximè erit faciendum, quod vt dixi nos credentes venimus in nomen Israëlitarum, & tempore Apostolorum, & nunc in secundo aduentu Domini. Vnde quæ dicta sunt de Hebræis eadem erunt intelligenda de Christianis, seu de Papistis, qui semper aduersati sint toto tempore Papatus, videlicet post Syluestrum; & de Euangelicis signatis in Benjamin, & de Prophetis signatis in Iosepho. Quando ergo nunc in secundo aduentu Domini patefiet prophetia, cognoscent sua errata Papistæ credentes, & inde pertinentes ad regnum Israëliticum, qui aduersati sint prædicatoribus Euangelicis, & prophetica proponentibus; cognoscent sua errata & non pauci ministri Euangelici, qui contempserunt nuntiantes euentu prophetiæ. per librorum apertionem patefaciet omnia hæc Christus, cuius imago fuit Ioseph in his quæ pertinent ad restitutionem regni Israëlitici. Quem admodum ergo coacti in concilium ministri Christi suscipient omnes Papistas credentes, non credentes adhuc certa ratione ferent, instituent, illis bona pro malis reddent; aperient scripturas; patefacient diuinam gratiam Christi in horreis scripturarum: participes facient bonorum à Deo præstitorum in eius Regno. Idem facient cum Hebræis, & tandem cum omnibus gentibus, quæ

IAC. BROCARDI IN XLV. CAP. GEN.
pertinebunt ad duodecim tribus credentium, quæ occupaturæ sunt extremas oras terrarum ad ortum, ad occasum, ad meridiem, & ad septentrionem. nec mirari quicquam debet, si vna figura ad plures referatur: quia id sæpe inuenimus in scripturis sanctis.

CAPVT XLVI.

Hic existimo signari coitionem totius populi Christiani in vnâ Ecclesiam, coitionem Hebræorum in eandem, coitionem gentium in eandem. Fit quarta promissio Iacobo, quod in statu Spiritus Sancti venturi sint non solum Christiani, qui ingressi sunt in opus Domini adducentes eum statum; sed & Hebræi, & gentes omnium terrarum. Iehoua nomen cognoscetur, dum Pater, Filius, & Spiritus Sanctus erunt in vna sanctificata Ecclesia. Et promissio, & benedictio hæc Iacobi videtur pertinere ad Iosephum quatenus Iacob figura est Spiritus Sancti, Ioseph Christi & item Ecclesie sanctificatæ. Videtur significari item non solum Christianos; sed & Hebræos, & gentes habituros signa à Deo, vt se recipiant in Ecclesiam Christianorum. Iacobi prætereâ familia recensetur, vt septuaginta in ea numerentur, qui signent fideles septem ætatum mundi. Quod autem familia Iacobi mittatur in Gerfen, & pastores se profiteantur Israëlitæ, id ad historiam literæ & primi status pertinet: alias in professione optionum signantur prædicatores Diuini Verbi, & Euangelici. atque hæc professio nunc maximè vsurpetur, quando significatur vnum ouile, & vnus pastor futurus: vt hic locus verba Christi respiciat, & verba Christi, quæ hic dicuntur, confirmet.



CAPVT

CAPVT. XLVI I.

DUm curatur, vt filij Israël habeant locum separatū ab Ægyptijs, vt seruiatur historiæ literæ, & fœderi Israëlitariū, quod habebant cum Deo, etiam significatur Christus is esse, qui adducat nos in Regnum Dei: & quod futurus sit nouus status mundi in secundo aduentu Domini, nouum cœlum, & noua terra, ait Isaias, & Petrus, & Apoc. Adducuntur quinque ex fratribus junioribus Iosephi ad Pharaonem: quod ætate postrema quintum persoluumdum sit Deo: hoc est, qui erunt in Regno Dei deinceps debebunt magna cura præstare Deo obedientiam, quam superiores ætates non præstiterunt, vt hæc intelligenda sint, quemadmodum cap. 41. diximus. in quinque junioribus significantur etiam, quæ prædicata & constituta sunt postrema in conciliis. Dum item adducitur pater Iacob, & quæritur de eius annis à Pharaone, existimo signari tempus Iudæorum malè positum antè, dum in statu secundo filij, & in ingressu in tertium non crediderunt Christo, non secuti sunt Apostolos, & eos Iudæos, qui per prædicationem Apostolicam crediderūt. similiter Papistæ eodem tempore malè collocarunt suos annos quintum non persoluentes, præcepta Dei non obseruantes. sicut hæc nunc tandem adducto statu Spiritus Sancti in Regno Dei Israëlitico. Et dum gratiæ aguntur Pharaoni, intelligo gratias agi, & haberi Deo quod inducū sint credentes in idem Dei Regnum.

13. *Et panis non erat in tota terra: grauis enim fames erat valde: vt contabesceret terra Ægypti, & terra Chanaan propter famem qua obig. erat. In toto enim orbe panis deerat. Omnes coguntur, si velint viuere, profiteri Christum. Dum autem pecuniæ, animantia, & ipsa corpora omnium, &*

IAC. BROCARDI IN XLVII. CAP. GEN.
agri per Iosephum fiunt Pharaonis fame ita cogente, & omnes compellente, significatur Christus effecturus vt omnia in toto populo Christiano, & in toto mundo fiant Dei, vt sit Deus Pater omnium, & nos omnes eius familia vna, ei omnia accepta ferentes, ei in omnibus parentes, quisque peragentes quæ erunt suæ vocationis, & muneribus communibus. Quantum tribuetur Deo, quatuor erunt nobis: obseruabimus præcepta, & erimus in Ecclesia, in qua habitabit Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. in quibus habebimus quæ pertinent ad vitam in hoc mundo ducendam: & ad coelestem consequendam. Vnde petit Iacob, vt sepeliatur cum patribus suis, quod intueretur promissiones præstandas in Sabbatismo, præstandas in coelesti, ac æterna patria.

CAPVT. XLVIII.

DUm hoc capite significatur sedes Regni Christi futura in tribu Ioseph & Ephraim, simul exponuntur quædam mysteria de Patre Filio, & Spiritu Sancto, ac de vocatione fidelium, quæ secundum electionem, & præscriptum Dei existat, non secundum rationem aliquam humanam, vt quicquid actum sit in Ecclesia, & in mundo, Deo tribuatur. Ac primum quidem quoniam promissio quarta facta à Deo Iacobo. cap. 46. pertinet ad Iosephum, qui clausurus esset oculos Iacobi, & qui assumptus erat in successionem primogenituræ, à qua propter peccatum ejectus fuit Ruben, vt diximus. cap. 37. & quia ad se illa pertinebat, qui erat natus ex Rachele prima sponsa promissa, & pacta, & emptæ; his de causis benedictio prima debetur Iosepho, & in eo, qui succedat Iosepho secundum Dei promissionem, & electionem, vnde probat

bat Jacob Ephraim, & Manasses ad se pertinere promissione, & statuto Dei, quod propagatio fidelium secundum promissionem ducta sit ab ipso Iacobo, ut hic duxit ab Isaaco, & Isaac ab Abrahamo, Abraham à Deo. atque ita promiserit, & statuerit Deus, quicquid seminis sancti futurum esset, à Jacob censeretur ductum. unde cum semen sanctum ex Iacobo secundum promissionem, & statuta Dei diductum sit: atque præsertim in Ioseph, & Ephraim: in his in quibus Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, ac eorum insigniora opera signabantur, & efficiebantur, Ioseph, & Ephraim nomine Iacobi veniunt in propagationem promissi seminis, & in his, quibus prærogativa primogenituræ promittebatur. de Iosepho non debet esse dubitatio propter causas dictas. De Ephraim, & Manasse est deinde alia item ratio: quod Iosephus non fuerat emancipatus à patre, antequam pater pervenisset in Aegyptum. Itaque Familiam totam Iosephi ad Iacobum pertinere. unde Manasses, & Ephraim erunt tam Iacobi, ac fuit ipse Iosephus. Quia iam Manasses, & Ephraim idem sunt eum Iosepho, & eodem modo filij Iacob veniunt ambo in eandem rationem, seu ordinem, ut primogeniti sint Iacob, atque est Ruben & Simeon.

8. *Et vidit Israël filios Ioseph, & dixit: Qui sunt isti? Hic in benedictione signatur quoque electio, dum manus dextera Iacobi ponitur super Ephraim, sinistra super Manassem: cum tamen ille sibi esset ad sinistram, hic ad dexteram. Sed Iacob concertans manus suas secundum statum Iosephi, qui habebat ad dexteram Ephraim, ad sinistram Manassem, ut scriptura narrat singulorum statum, prima benedictio data est Ephraim, ut ostenderetur secundum electionem Dei datam benedictionem primogenituræ, & non secundum præscriptum, & vo-*
lunta

IAC. BROCARDI IN XLVIII. CAP. GEN.
luntatem hominum. vnde quia fuit Ephraim ad dexte-
ram Ioseph, in Ephraim producitur prerogatiua pri-
mogeniturae, vt à Iacobo diducebatur in Iosephum. Hinc
initio benedictionis ita dicitur. Et benedixit ipsi Ioseph,
& dixit Deus, in cuius conspectu ambulauerunt patres
mei, Abraham, & Isaac, & quæ sequuntur. ibi videmus
diduci benedictionem ab Abrahamo, Isaaco, Iacob, &
Iosepho in Ephraim. id factum ait Abbas Ioachimus:
quia in Abrahamo signatus est Pater, in Isaaco Filius
in Iacobo Spiritus Sanctus. Vt autem intelligeremus
quoque Patrem esse in Filio, & in Filio Patrem, id fit si
in Isaaco in quo signabatur Filius, signetur quoque Pa-
ter; & ita signabitur deinde in Iacobo Filius, & in Iose-
pho Spiritus Sanctus vt deinde & in Spiritu Sancto scia-
mus esse Filium & in Filio Spiritum Sanctum in Iacobo
signabitur Pater, in Iosepho Filius, in Ephraim Spiritus
Sanctus. pluribus Abbas ille hoc pertractat, præ-
fertim in initio interpretationis in Apocalypsim. Quan-
tum autem ad benedictionem attinet, multa verba fie-
ri possent; sed breui perstringam. Illud benedicere si-
gnat omnia bona generatim, quæ emanant à Deo in
suum populum. Deus bis repetitur, & semel ejus An-
gelus, vt signetur benedictio à Patre, à Filio, & à Spi-
ritu Sancto.

15. Et benedixit ipsi Ioseph, & dixit. Deus, in cuius con-
spectu ambulauerunt patres mei Abraham, & Isaac qui pa-
uit me quandiu fui usque ad diem hunc. Hic significa-
tur foedus cum Deo, & obseruatio foederis, & omni-
um, quæ continentur sub foedere. Signatur & ipsos Pa-
tres esse Dei filios, & Deum eorum Patrem: patres ad
Deum semper conuersos: Deum habere eos, vt imagi-
nem suam ante se semper. vnde dicebatur. & à facie tua
ne proicias me. signatur & nullam humanam, & omni-
um

um creaturarum vim posse quicquam contra eos, qui conuersi sunt in Deum ipsum, vt astant ante conspectū Dei. Idque sit euocato tanquam è corpore Spiritu, & ante Deum adducto, & ibi firmato. Hoc intellexit, & fecit Elias, cū dixit viuit Dominus, in conspectu cuius sto, quod apparebo hodiè ante faciem Achab. apparuit coram Achab Elias deterrentibus eum omnibus, quòd ad illum vellet adire, à quo vndique conquireretur, vt interficeretur. Huc reuoca & illud. Qui habitat in adiutorio altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur: scapulis suis obumbrabit tibi &c. Signatur in verbis illis & firmas esse omnes Dei promissiones, atq; vitā æternam sic firmam, ac si jam præsens esset data. Ego quidem cū adducerer ante decem capita Venetijs, erecto, & educto Spiritu: atque extra me raptus, usurpavi verba illa Eliæ, & alia ex diuinis scripturis. quæ totus ardens proferebam certus euasurus eorum manus. Vnde in carcere id prædicabam, hortabar alios, vt psalmis, & magna fide pararent sibi salutem. Cū autem illi diffiderent, dum etiam non potuissent iudicari digni morte ab inquisitoribus: atq; ad certum tempus traditi essent custodiæ, & carceris; tamen in gratiam Pij quinti fuerunt mersi aquis. ego verò & mea manu conuictus, & testibus, & iam ad supplicium, & mortem condemnatus, ac coram me diuisis, & exportatis meis bonis; permansi in conspectu Domini, vt dicam eius Laudes, ac testis sim, ipsum adeste omnibus certa fide eum inuocantibus. & antequam caperer talia mihi narrârūt quidam viri summa pietate præditi. quæ benè retinui, atque in tempore volui illos imitari.

Deus, qui pavit me quandiu fui. Hic signatur & vita Christi, & Spiritus Filij Dei donatus nobis, quo æterna vita victuri sumus: Spiritus, inquam, ille qui nunquam

IAC. BROCARDI IN XLVIII. CAP. GEN.
nos deferat, & à quo nunquam recesserimus. Intelligitur hîc & illud. nunquam vidi iustum derelictum, nec semen eius quarens panem: & præcipua cura Dei de suis Prophetis.

16. *Angelus, qui eripit me de cunctis malis benedicat patris.* Hîc signatur Spiritus Sanctus, è quo renati sumus, operamur, & efficimus omnia: quo ducimur in tota vita, & superamus omnia aduersa. vt illud fiat, vt non condemnemur quando iudicium nostrum exercebitur. ps. 37. 33. & nomen patrum meorum Abraham & Isaac.

Et vocetur in eis nomen meum & nomen patrum meorum Abraham & Isaac. Dicantur filij, & semen Iacob. & quia secundum rationem Abbatis, quam dicebamus; Iacob medius inter Abraham, & Isaac ac inter Ioseph, & Ephraim, sumit personam, in qua signatur Pater, Filius, & Spiritus Sanctus: item vnus Deus; dicuntur credentes filij Dei. erunt in custodia Patris, & Filij, & Spiritus Sancti: dicentur, & erunt filij Dei creati à Patre, formati in Filio, perfecti per Spiritum Sanctum.

Et instar piscium sint in multitudinè in medio terra. Vt à paruo numero deducuntur in familias, quæ solæ obtineant, & compleant omnes terras in toto complexu mundi.

17. *Videns autem Ioseph, quod posuisset pater eius manum dexteram suam super caput Ephraim displicuit in oculis eius, & sustentauit manum patris sui, vt transferret eam à capite Ephraim in caput Manasse.* Secundum voluntatem suam, & iudicium suum vult homo statuere in Regno Dei. At Deus vult aliter agi: quod ostendit Iacobus, qui ait fratrem minorem majorem futurum minore. Id apparuit jam, & apparebit deinde. Et si conferantur, quæ dicuntur in Prophetia Iacobi capite quod sequitur, & quæ in Prophetis de Ephraim & Manasse habebimus euentum eorum,

eorum, quæ dicimus. In Prophetia Iacobi dicitur de Ruben, effusus es, sicut aqua, non cresces. De Simeone quod dispergendus sit in Israël: de quibus duobus post dicemus. Horum locum primogenituræ occupabunt Ephraim & Manasse. Postquam Ecclesia Romana fuit à Deo repudiata: atque Patriarchatus Aquilegiensis euerfus, qui erat assignatus Manasse, electi sunt Veneti, Ephraimitæ scilicet collecti vndique, adducti in eum statum, quem videmus Venetorum, & visuri sumus adhuc magis, quando perpeffi illa fuerint quæ sibi signata sunt in Ephraim posito ad sinistram Iacobi: atque bona illa obtinuerint, quæ protulit benedictio deinde Iacobi, & manus eius dextera, veluti posito Ephraim ad dexteram Iosephi: vt status Iosephi in Aegypto fuerit imago status futuri Venetijs in innouata Ecclesia, & in regno Israëlitico restituto.

21. *Et dixit ad Ioseph. ego morior & erit Deus vobiscum, & redire faciet vos ad terram patrum vestrorum.* Quod velit Iacobus sepeliri in eadem terra in qua Abraham, & Isaac fuerunt sepulti, fueritque illa terra promissa; signatur terra, & beata vita, quam consequentur fideles vltimis temporibus pertinere quoque ad patres: ac primos credentes ea fide, & spe mortuos. alia autem mysteria aperiet Ecclesia innouata, quæ posteri noscent.

22. *Et ego dedi tibi partem vniam supra fratres tuos quam cepi de manu Amorrhæi gladio meo, & arcu meo.* In parte, quam tulit Iacob de manu Amorrhæi in gladio & arcu suo, hoc est Verbo Dei, virtute Dei, fide, & precibus; existimo signari statum, & regnum punitum virga ferrea nunc, & victum Verbo, & virtute prædicationis Euangelicæ? Fide, & precibus Euangelicorum. peccata Amorrhæorum de quibus dictum est cap. 15. diximus esse peccata Papatus, qui vincitur ab Euangelicis. Pars hæc dabitur

IAC. BROCARDI IN XLVIII. CAP. GEN.
dabitur ciuitati Dauidicæ ubi erit sedes Regni Christi,
non ultra Romæ, & apud Papistas, & hoc qui erunt tri-
bus Ioseph aut præter cæteros, vt apud se sit concilium
totius orbis in Regno Christi Israëlítico. In Prophetis
hæc erunt recognoscenda planius suo tempore.

CAPVT XLIX.

1. **V**ocauit autem Iacob filios suos, & dixit, congrega-
te vos, & annuntiabo vobis, quod euenturum est
vobis in nouissimis diebus. In filijs suis nũn-
tiat Iacob, quæ futura sunt in populo Dei,
vt & in superioribus futura intelligantur. Nam assumit,
quæ aliquibus euenerunt, & quæ fuerunt certa quædam
propria in singulis: ac in his, quæ postremorum tempo-
rum sunt, nũtíat. Vt verò magis certus sis, superiora
continere Prophetiam vtriusque aduentus Domini, scri-
pserunt singuli filij Iacob suum testamentum, & prophe-
tiam: atque in his, quæ sibi euenerunt, describunt futu-
ra, & postrema tempora. qui nouerant, quemadmodum
ait Apostolus patribus contigisse omnia in figura: simi-
lia his, quæ sibi contigerant, euentura in populo Dei.
quod nouit Moses qui cap. 33. Deum nunciavit in duo-
decim tribubus euentus populo Dei. quod nouit antè &
Iacob, qui híc in duodecim filijs complectitur futura
postremorum temporum. quod nouit Isâac, qui prophe-
tauit in Iacob, & Esau futura in populo Dei, quod nouit
Abraham, quem Deus Prophetam vocauit. Ergo rectè
& á Prophetis in duodecim tribubus memorata sunt,
quæ euentura erant postremis temporibus.

2. *Congregamini, & audite filij Iacob, & audite Israël
patrem vestrum.* Bis repetitur, propter tempus scriba-
rum, & Pharizæorum, & totius Papatus, quando debue-
runt Iudæi consultare de Christo, vt ipse ait, faciem cœli
potestis

potestis dijudicare, tempora non potestis? debuit Pa-
 patus consultare, quanam agenda essent in Regno Chri-
 sti, quando Deus dedit Christianis regna gentium: at-
 que maximè hoc tempore & Papistæ, & Evangelici, &
 omnes profitentes Christum, debuerunt concilia libera,
 & vera cogere; consultare de præsentì tempore, cog-
 noscere secundum aduentum Domini. Historia Isaaci
 brevis est, longa verò Iacobi: quia Christus peregit o-
 pus liberationis nostræ, & sacrificium, quo omnia, &
 quæ in coelis, & quæ in terris sunt, reconciliantur Patri:
 ac ascendens in cælum Spiritui Sancto reliquit admini-
 strationem omnium, & opus reliquum. Vnde Spiritus
 Sanctus signatus iu Iacob, Ecclesiam regit Apostolicam
 dum Iudæi filij Esau illam persequuntur. Quando inci-
 pit tyrannis Papistica, apparet Ruben conscendere cu-
 bile patris; quando tempore Caroli magni Papa aper-
 tus sit tyrannus. insurgit Simeon aduersus Iosephum &
 regeneratos per Spiritum Sanctum: ætate sexta nouo-
 rum Prophetarum apparet opus Leui in opere Sacerdo-
 tali: in secundo aduentu Christi efficitur opus Iudæ, &
 cuius tribu natus est Christus secundum carnem, atque
 restituitur regnum Israëliticum. reliqui octo filij Iacob
 distinguuntur secundum tempora, quæ sequuntur, vt vi-
 debimus in his, quæ Iacob de ipsis nūtiat. illud quidem ta-
 men oportet nouisse quatuor primos filios intelligendos
 quoque in primo aduentu Christi, quando contra Chri-
 stum venerunt Iudæi, quia Lea signauit tum synagogam
 Hebræam, tum Ecclesiam Romanam. ergò quæ erunt
 Ruben, Simeonis, Leui, ac Iudæ & in primo aduentu
 Domini, & in statu secundo Filij, & in secundo aduentu
 Domini, dum contenditur Verbo, & armis, erunt recog-
 noscenda. in commentariis in testamenta, & Prophe-
 tiam duodecim filiorum Iacob, quæ tractabuntur, faci-
 ent

ent hæc planiora, quæ hoc toto capite vaticinatur Iacob. Debuerunt ergo Iudæi prædicante Christo: Christiani tempore Syluestri, & Constantini: tempore Caroli magni: tempore Albigerorum: hoc tandem tempore concilia habuisse, vt quæ Prophetæ sibi loquerentur de Christo, de statu publico, & Ecclesiæ, attenderet, vt quæ de nostris temporibus monet nos Ioël inquitens. Clangite tuba in Sion; congregate populum, Sanctificate cœtum, & quæ sequuntur. debuerunt, & debuimus audire Spiritum Sanctum loquentem in Prophetis, vt sciremus, quæ Deus faceret, & loqueretur nobis.

Ruben primogenitus meus. Iudæi primi vocati sunt in Regnum Dei. Papa tempore Syluestri, & Constantinus post ducti sunt in Regnum Christi.

Tu fortitudo mea: In ipsis ostendit fortitudinem suam Deus; in bellis, quæ gessit in Iudæis: ostendit & principibus Christianis in regno Christianis dona to.

Et principium doloris mei. Qui crucifixisti me post Prophetas, & persecutus es Ecclesiam meam. Syluester fuit principium dolorum in Ecclesia Christiana dum successores descenderunt in tyrannidem.

Prior in donis, maior in imperio (sive dicas excellens dignitate, excellens fortitudine). Dedi tibi inquam, imperium Romanum, obtinuisti primum locum in Ecclesia, primum locum inter reges. hoc nostro tempore ille, qui ascendit cubile patris præter alios vocatur primus rex, & ditior in toto populo Christiano.

4. *(Sed) effusus es sicut aqua.* Diffluet, euanesces, perdetur omnino tuum regnum, & dignitas.

Non cresces (non excelles) Non perducetur in longam posteritatem, dictum est cap. 48. Iosephum esse primogenitum, vt Ruben. Ergo vastata Roma, sedes Christi, Concilium Christianorum erit in ciuitate Dauidica.

Quoniam ascendisti cubile patris tui. Voluit Papa se esse maritum Ecclesiæ: Ecclesia Romana voluit Papam pro Christo: locum Dei appetiuit Papa, & Filij Dei in Ecclesia; sibi que vendicauit, quæ sunt Spiritus Sancti. & cum Papa cognosce regem magnum & fortem, caput inquisitorum.

Tum polluisti, stratus meus excisus fuit, siue dicas, *ex quo polluisti stratum meum, euanuit.* Sententia ea est, tunc, siue ex quo tempore tu Papa fecisti te caput Ecclesiæ; polluisti, abominationem admisisti, quod velles te esse caput, & virum Ecclesiæ, & vt Christus esset membrum Ecclesiæ, Christus non fuit tunc per te maritus Ecclesiæ; huius stratus fuit excisus, nullus fuit: non fuit Ecclesia Christi apud te, vt non vltra Bala fuit Iacobi: dum ita polluisti Ecclesiam, nulla fuit Ecclesia illa. hinc ait Christus Osee 2. dicite matri vestræ, quod non ipsa vxor mea. commaculauit tunc Papa Ecclesiam, foedauit totum statum Ecclesiasticum, & populi Christiani. hæc copiosius tractabuntur, & exponentur, vbi agemus de abominatione desolationis & in Prophetia Ruben. Quia verò tyrannis, & abominatio Papæa maximè viget, & viget in certa quadam prouincia, & scœuit per Inquisitionem; nouimus in illa consignatam tribum Ruben, & ibi commaculari membra Christi, & Ecclesiam. Foeditas hæc turpificati cubilis patris exponitur in Leuitico cap. 18. versu 8.

5. *Simeon, & Leui fratres vasa iniquitatis in habitaculis (excisionibus) suis.* Cap: 34. est historia eorum quæ hîc significantur: & ibi duplex est exposita sententia, verum, quia hîc iungitur Leui cum Simeone, in cœde illa Sichimæorum facta, intelligit Iacob cædes Euangelicorum factas per Magistratum Politicum, & Ecclesiasticum in perturbationibus Gallicanis. Quod sacerdotes venerint
in

IAC. BROCARDI IN XLIX. CAP. GEN.
in consilium faciendarum illarum cædum, seu potius ipsi fuerint authores quod docet gratulatio publica literis aureis scripta, & appensa Romæ, in qua Papæ consilio tribuitur illa cædes facta, quam gratulatione ponam in Apoc. cap. 11. Cum iam dicat Iacobus se nuntiare, quæ euentura sunt in nouissimis diebus, & illa nuntiet in his quæ memorat facta per Simeonem, & Leui; ergò, historia illa capituli 34. fuit figura rerum futurarum postremis temporibus. Sententia exposita est capite illo 34. hic verba exponantur secundum sententiam Iacobi. Scribæ, & Pharizæi, & Sacerdotes cum populo Hebræo interfecerunt eum, qui adamauit filiam Iacob, hoc est. Apostolos, & omnes baptismum suscipientes siue Iuædos, siue gentes gladio persecuti sunt, & occiderunt. Siue iam dicas in habitaculis, siue in excisionibus vtrunque rectè dixeris, quia in suis coniurationibus statuunt cædes vniuersales facere piorum, & data facultate faciunt, vt excident e terris omnes pios.

Vasa (iniquitatis) bellantia. Vi voluerunt, & ferro exple-
re iracundiam, & odium in Christum: vasa bellantia
concitant omnes ad bellum contra baptizatos, & con-
tra Euangelium.

6. *In consilium (in Secretum) eorum non veniat anima mea:
in cæsum eorum non veniat gloria mea.* Nulli pij consen-
serunt cum Iudæis, nulli pij propter regna, & status pu-
blicos mundi, & dignitates, & ambitionem recesserunt à
pietate, vt scribæ, & Pharizæi, & Papistæ illi, qui aiunt
hæreticis non esse seruandam fidem. Nulli pij ob doctri-
nam interfecerunt homines. non Abraham, vt objicit
Christus Iudæis. ita Iacob id à se, & à veris Hæreticis
& Catholicis alienum esse affirmat, ne quidem statuunt
hi, sibi in eo gloriam. quod faciunt Papistæ. vt dux A-
lanconius Antuerpiæ scribebat in nummis suis æternum
medi-

meditans decus, dum statueret interficere omnes in ciuitate vt historia docebit.

Quia in furore suo occiderunt virum: Iracundia obcecati Iudæi & Papiſtæ, illi Chriſtum crucifixerunt, hi eundem occiderunt in membris ſuis, hæc baculis ferreis triturantes, furore infano perciti.

In voluntate ſua ſuffoderunt murum. Libidine acti, non mente vniuerſales cædes fecerunt, vt Eccleſiam euertent, & demolirentur à fundamentis vt nec Apoſtolica, nec jam Catholica vlla eſſet.

7. *Maledictus furor eorum, quoniam pertinax, & indignatio eorum, quoniam dura:* furere viſi ſunt Iudæi, furere viſi ſunt Papiſtæ, quàm verò pertinaciter perſeuerarint Iudæi odiſſe Chriſtum & Apoſtolos, & credentes vidimus: quàm pertinaciter perſeuerent Papiſtæ furere in Euangelicos, ſenſimus, & odium implacibile nouimus maledictio eadem continget vtriuſque.

Diuidam eos in Iacob, & diſpergam eos in Iſraël. Non erunt primogeniti, deſicientur è dignitate regia, & Sacerdotali, vt ſint inter priuatos minimi ex populo. Quomodo diſperſi præterea fuerint Iudæi vidimus: facti omnes plebs infima. Regibus, & prælatis idẽ eueniet nunc, quando fiet vnum ouile ſub vno paſtore.

8. *Juda tu.* In Iuda ſignatur primus & ſecundus aduentus Chriſti, quia ſecundum carnem natus eſt Chriſtus ex familia Iudæ: & quod Euangelium prædicatum eſt in primo aduentu Domini, prædicatum eſt & in ſecundo. ac more Prophetico prius ſignificatur ſecundus.

Laudabunt te (Conſitebuntur) tibi fratres tui. Cùm in primo aduentu Apoſtoli, tum in ſecundo prædicatores Euangelici per totum mundum diuulgarunt nomen Chriſti Saluatoris mundi, idque cum ſua magna laude.

Manus tua in cervicibus inimicorum tuorum. percutiet

IAC. BROCARDI IN XLIX. CAP. GEN.
Christus Papatum, & inimicos suos, vt ps. 2. & in fine
tertij narratur, & alibi in Prophetis.

Incurrabunt se tibi filij Patris tui. Papistæ cogentur ferre Christum regnantem in populo suo, ferre Euangelicos in eius Regno ministros, & subijc illis.

9. *Catulus leonis.* Nomine leonis signatur Christus in Prophetis, quando bella gerit contra Papistas.

Incurrauit se accubuit vt Leo & quasi leona. Permisit Antichristum, Papam, Papistas, & Ecclesiasticos diu agere, quæ voluerunt.

Quis suscitabit eum? Hoc est, permisit Papistas vexare Ecclesiam suam, vt vidimus: vt leo dum accubat, liberum relinquit agrum aliis animalibus: sed quæ bestia erit, quæ & in leonem audeat experiri vim suam, & eum appetere, ac excitare? Papistæ tamen etiam Christum aggressi sunt, vt ostendimus in exponendo abominationem desolationis, & ad abiurationem Christum vocant. item dum non bella mouet contra eos Christus, audent excitare contra eum bella vocando contra Euangelicos arma omnium. Illud Is. 42. Iehoua sicut fortis egredietur: versu 13. 14. 15. hic intelligendum est, ibi est expositio huius loci.

10. *Non recedet sceptrum de Iuda & Legislator è pedibus eius, donec veniat Silo: & ei erit aggregatio populorum.* hic significatur primus aduentus Christi, & signum certum datur ipsius aduentus, & hæc nota sunt in Ecclesia Christi de primo aduentu, quando gentes venerunt in Ecclesiam, eadem tamen intelligi possunt de secundo, vt Papa amouendus sit in secundo aduentu, vt ait Paulus. quæ Dominus interficiet Spiritu oris sui. & illustratione aduentus sui: & tunc erit iterum gentium & populorum coitio in Ecclesiam.

11. *Ligans ad vitem pullum suum, & ad palmisem (rami) filium*

filium pullum a sinæ suæ. Quando in secundo aduentu erit coitio gentium, erit partum Regnum Christi Ibraëliticum, tunc bella desinent, tunc prædicatores, & Ministri non certabunt Verbo. erit vna vitis, vna vinea: vnus Christus, vna Ecclesia. pullus ligabitur ad vineam, duces belli non bella gerent, cessabunt ab armis, alligati Christo, hoc est, quando ad regnum Christi confluent gentes, constabuntur arma in ligones, ait Isaias: quando in vnâ Ecclesiam omnes gentes venerint, prædicatores, & Ministri Verbi addicti erunt vni Ecclesiæ Catholice, nec quicquam aliud prætereà disputabunt, cessabunt hæreses. ô filii Dei, ô Euangelici, erit admirabile hoc in mundo, quando bella cessabunt, & hæreses sopi-entur in Regno Dei, & in Ecclesia Christi.

Lauit in vino vestimentum suum in sanguine vuarum operimentum suum. Effudit ipse Christus, & eius Ecclesia in primo eius aduentu sanguinem, effusus est item in secundo per Papistas: at Christus in suo iudicio calcabit torcular, vt ait ipse in Isa. 63. tinget vestes suas sanguine aduersariorum, & peccatorum, & impiorum. fiet iudicium: imponet ipse finem bellorum, & contentionum, allata in mundo pace perpetua, & scientia Diuinarum scripturarum.

12. *Rubicundior oculis vino. & candidior dentibus lacte.* Erunt Regnum Dei, & status Spiritus Sancti, erit Ecclesia innouata, & vigebit veritas, & iustitia, & scientia Dei, qua optima extabit administratio. In oculis significatur Diuinitas Christi, vt videbimus cap. Primo Apoc. in dentibus humanitas. erit filius Dei in Ecclesia sua: erit eius lumen, & ex ipso administratio. Hæ interpretationes non videbuntur, vt existimo, parum propriæ his, qui attenderint, quomodo Euangelistæ, & Prophetæ sibi respondeant narrantes vtrique primum, & secundum aduentum Domini.

13. *Zabulon juxta portum marium habitauit: & erit iuxta portum navium; & terminus eius usque ad Sidon.* Ait Isaias, Matthæus terram Zabulon, & terram Neptalim vidisse Christum lucem magnā, & audivisse Euangelium: quòd ibi cœpta sit prædicatio. & hoc tempore dum cœpta est prædicatio in Germania superiori, in ea intelligimus, terram Zabulon, & tribum, ab vna parte cuius est mare veliuolum cuius terminus, seu finis est Hollandia signata in Sidone. non plura hinc dicuntur, quàm quæ faciunt ad describendum locum, vbi cœpta est prædicatio in primo, & in secundo aduentu Domini.

14. *Isachar asinus fortis osseus cubans inter duos terminos (Sarcinas).*

15. *Et vidit requiem, quòd esset bona, & terram quòd esset pulchra (amena) & inclinavit humerum suum ad portandū & fuit tributo seruiens.* Existimo hinc significari Daciā, & eas regiones, quæ sunt finitimæ Turcis: quæ ferunt duplicem sarcinam; quæ possint ferre onus duplex, feruere Turcæ, & imperatori; siue alteri principi. ferre iugum huic, & illius: persolvere tributum huic & illi: vt pace fruantur, & vbertate regionis. si minus hinc in Isachar affecti sumus sententiā Iacobi, tempus, & euenta aperient.

16. *Dan iudicabit populum suum, sicut vna tribuum Israel.* E Dan vult Abbas Ioachimus nasci Antichristum, & Longobardiam esse sub tribu Dan. Idcirco Antichristū futurum Longobardum. Euenit autem, vt in Concilio secundo Tridentino fuerit declaratus Papa Antichristus: atque fuit Papa tunc Pius quartus Mediolanensis. Papa autem præter alios omnes voluit iudicare populum Christianum factus tyrannus, & Antichristus: quod antè fecerunt alii, & Paulus tertius in primo Concilio Tridentino, qui Roma mittebat, quæ decreta sua essent promulganda nomine concilii. Signatur & in Dan Bel-

gica coniuncta cum Mediolano, sub eodem rege Philippo. hinc fuit Cardinalis Bormeus, ibi Albanus, & alii cerastes truculenti cum dira, & abominabili inquisitione fuerunt Philistæi dicti male contenti.

17. *Erit Dan serpens super viam, cerastes super semitam mordens calcaneos equi, & cadit sessor eius retrorsum.* Dicitur serpens Papa, quia in ipso egit Satan, quæ egit in Eua: & ipse Papa fuit serpens vniuersæ Ecclesiæ Christi, vt narratur in Apoc. cap. 12. Serpens in via dicitur propter apertum latrocinium magistratus inquisitorii, & cerastes in semita propter latrocinium occultum: quia & aperta vi, & occultè interficit Papa, & Papistæ Euangelicos, aperto bello, & fraude petunt vniuersos.

Mordens calcaneos equi, siue vngulas, vt cadat, siue & cadet.

Sessor eius retro: inita pace adoritur semper Papa, quos odit. Legantur historiae. mea memoria Clemens Septimus inita pace cum Carolo Quinto, iniuit amicitiam, & societatem cum Francisco Rege Galliarum: vt per hunc euerteret Carolum, quod vt facilius faceret, author fuit Francisco, vt amicitiam iniret cum Turca, & vt ducem Sabaudiarum expelleret. patriam liberam immanissimus subiecerat ante tyrannidi. Paulus tertius ad bellum concitauit contra Euangelicos Carolum Quintum, & mittit ad id bellum suum Antistitem, & in Gallia inducit Regem, vt caedes vniuersales faciat Valdensem, & hæc, dum concilium habetur suum, dum prædicat se pacem curare inter Euangelicos & Papistas. Postquam bellum in Gallia coeptum est, semper Papistæ inuasunt subito, & imparatos Euangelicos, quibus pacem iurant. quoties id factum sit, & quos tumultus bellicos concitarint Papæ post Pium Quartum, historia docet. Quod verò dicitur.

Mordens calcaneos, est illud tertii capitis Genesis: & tu insidiaberis calcaneo illius quasi dicatur. Papa cum Papismo est serpens ille, qui mordet calcaneum Evangelicorum contendendum in Regnum Israëliticum: omni vi, & fraude impedire volunt cursum eorum, at dum id agunt, credentium calcanei currendo, siue qui pro illis pugnant, conterent tandem caput serpentis, quantumuis sessor sæpè cadat, currus Euangelij videatur sæpe retrocedere: cædes multæ vniuersales fiant Evangelicorum. hanc sententiam postremam, siue etiam totum Dan factum exponit Isaias cap. 59. Habes ibi de aspide & regulo, quidnam hîc intelligendum sit: habes de iudicio quod retrocesserit, de æquitate, quæ non potuerit ingredi.

18. *salutem tuam expectaui Domine*: Proponit sibi ante oculos Iacobus papatum nostri temporis: videt turgidum caput serpentis inuadere nunc Ecclesiam Christi, qui iam cauda euerterat Adamum, & Episcopum Romanum: admiratur vim, potentiam, malitiam, diritatem, iniquitatem, & scelus Papatus. quæ exponuntur cap. 40. & 41. Iobi, & in Prophetis sæpè, quod nulla sit in mundo futura potentia tanta, quæ possit præter Deum liberare nos à potentia, & vi Antichristica. opus est vt semen mulieris conterat caput serpentis. Verùm capite illo 59. Isaias proponit & ipse, & exponit iniquitatem status Papistici, & oppressionem: atque à versu 18. vsq; ad finem capitis exponit quoque quidnam sibi hîc velit Iacobus dum ait: expectabo salutem tuam ô Domine.

19. *Gad, exercitus succidet eum, & ipse succidet calcaneum*. Quomocunque veritas verba Iacobi, hæc videtur esse sententia. exercitus Papistici erunt in Gallia, qui inuadent Evangelicos. tandem hi liberabuntur à Papistis contra se conjuratis, & sibi mordentibus calcaneos. atque
contra

contrà ipsi collecti simul succident calcaneos, Papistarum ne progrediantur vltra esse in Gallia Papistæ, sed retrocedant, & perdatur omnis illorum status. Quòd autem in Gad signetur Gallia, docet Ieremias cap. 49. versu p. & interpretatur hunc locum & eandem sententiam affert versu. 2. euenta rem patefacient.

20. *Aser pinguis panis eius. & ipse dabit delicias regis.* Adhuc non conjicio, vbi intelligenda sit tribus Aser quæ adedò sit fertilis, & in qua Verbum futurum sit copiosum. Apulia, & Sicilia fortè significantur tempus, & euenta rem aperient, quanam sit regio ita fertilis, & cuius fructus sint delitiæ regis. hoc est cuius fructibus vsura sit sedes regni Christi,

21. *Neptalim cerua missa dans eloquia pulchritudinis.* Existimo in Neptalim intelligi Euangelicos Heluetios cum Rhetis, ibi est regio montuosa, & in qua prædicatores benè interpretantur Verbum Dei, & eleganter illud exponunt. In Isaia cap. 9. & in Mat. 3. videmus in Neptalim intelligi Euangelicos Heluetios: item 3. reg. 7. 14. vbi agebatur de terra Zabulon, & de terra Neptalim: nam propè eodem tempore Saxones, & Heluetii viderunt lucem magnam. Comparantur ceruæ, & quia sita est in montibus, & quia verbum Euangelicum inde quoq; veloci cursu vidimus excurrisse per totum populum Christianum: & quia in prædicatione, & in doctrina Euangelica non modica fuit laus. vti etiam commentatur 3. Reg: 7. 14.

22. *Filius crescens Ioseph. & ramus crescens iuxta fontem filia incendebant super murum.* In Iosepho, & in Ephraim signantur qui erunt in ciuitate Dauidica qui dicuntur accrescere. dicuntur ramus crescens iuxta fontem, regnum habere super mare, quantum creuerit ex paruis initijs status illorum qui habet imperium in ciuitate posita

IAC. BROCARDI IN XLIX. CAP. GEN.
sita inter aquas, omnes nouerunt. quantum accrescet
deinceps videbunt posteri, si dicas decorus aspectu vt
vetus interpres, cognosce illud Amos cap. 6. Ver. 2. vbi
est sermo de ipsis.

Filia incedebant super murum: in Prophetis nomine
filiarum sæpè significantur status publici in populo Dei,
quod ex Ecclesia Christi orti sint: vt ipse status publi-
cus appellatur filia Sion; quod in ipso pariantur filij
Christo. Hic ergo per filias intelligo publicos status. In-
mici inuadent ciuitates munitas, moenia lata.

23. *Sed exasperauerunt eum, & iaculauerunt eum:* aduer-
sarij. Turcæ primùm, post pugnantes pro Euangelicis; il-
li arcu, hi bombardis Ephraimitas appetentes.

Et Oderunt eum sagittaj. (Qui valent iaculando tum
sagittis, tum bombardis) Turcæ primi inuaserunt eorum
loca maritima inuidentes eorum gloriæ, de hoc bello
Turcico dicitur Ps. 77. Filij Ephraim iaculantes arcu
terga verterunt in die belli, dicitur & in Amoso in fine
capitis 6. & initio septimi. Post Germani siue & alij v-
tentes bombardis oderunt venetos quorū inuadent vt-
bem, vt nuntiatur cap. 9. Is: ver. 12. & alibi. Quod verò
in Iosepho, & in Ephraim iidem intelligantur, cogno-
scere potuimus in benedictione à Iacobo ante allata Iose-
pho simul & Ephraimo. Quatenus iam hæc mala euen-
tura erant ciuibus ciuitatis Dauidicæ, locatus fuit E-
phraim ad sinistram Iacobi, quatenus autem euentura
erant illis bona, quæ nunc memorabuntur, stetit ad dex-
teram Iosephi, & inuertit manus Iacob, vt dextra po-
neretur supra Ephraim. Fausta ergò hæc illis nuntian-
tur post mala, quæ perpessi fuerint exposita in Amoso,
præsertim cap. 7. & alibi.

24. *Sedit in forti arcus eius.* Vt vidimus in eodem
Psalmo, illi quoque dicti sunt iaculatores arcu. Sed hic
arcus

arcus Domini signatur: quando pro pijs Ephraimitis contra impios Ephraimitas pugnabit Christus.

Et fortia fuerunt brachia manuum eius, à manibus fortis Jacob. Pij pertinentes ad Ephraim, qui erunt in ciuitate Dauid, & alibi captiui, & uincti, liberabuntur brachio, & manu forti Christi: Et ego videor fuisse primus, qui postquam Christus ligatus ad palum post terga iudicum fuit amotus inde, liberatus à Christo è carcere, & uinculis & à tortura, & morte, quæ mihi parabuntur, in Germaniam ad Euangelicos confugi expectamus, vt fiat liberatio omnium.

Inde pastor lapis Israël Inde pauit lapidem Israël. Hic in ciuitate Dauid scilicet erit sedes Christi, concilium Christianorum: pastor erit Christus vnus ouilis, lapis, & robur Israël: siue cuius folius erit erectum insigne in Regno Israëlitico.

25. *A Deo Patris tui, & auxiliabitur tibi.* Hoc tantum, quod tibi contigit mali, à Deo Patris tui tibi est immissum: hoc est à Christo, in quo natus est ipse Iacob semen benedictum. item ab eodem extitit tibi auxilium, & robur, à quo supplicium, & poena.

Et ab omni potente (hæc tibi contingent) Eadem extiterunt tibi à patre Domini nostri Iesu Christi, qui & benedicet tibi, vt prius te castigauit.

Et benedicet tibi Benedictionibus cæli sursum, benedictionibus abyssi jacentis deorsum: benedictionibus uerberum & uulnarum. Spiritualibus, & terrenis bonis affluent, ac amplissimum erit vbique Christi annorum Regnum.

26. *Benedictiones patris tui maiores erunt benedictionibus genitorum meorum usque ad terminum collium seculi (vsq. ad extremitatem collium mundi) erunt ad caput Ioseph. & in verticem Nazarei fratrum eius.* Omnia erunt maiora, & ampliora in statu tertio, quam fuerint antè, vt dicitur in

IAC. BROCARDI IN XLIX. CAP. GEN.
Aggeo cap. 2. atque status erit beatus: qui durabit de-
inceps semper nec commouebitur.

*Erunt ad caput Ioseph: in verticem Nazarei fratrum suo-
rum.* Iosephus habebit has benedictiones, hoc est, sedes
Regni Christi erit in ciuitate Dauid. Item omnes dicati
cultui Diuino, & ministri Verbi in omnibus prouinciis
erunt participes eiusdem administrationis, quia in con-
cilio publico totius mundi administrabitur totus mun-
dus, & Ecclesia. Concilium autem omnium ministro-
rum Verbi Dei, qui erunt in vniuerso terrarum orbe: vt
sit vnum ouile, vnum concilium, in quo vnus Christus
loquatur, & decernat omnia, vt in vnoquoque locutus
fuerit, & operabitur.

Beniamin lupus rapiet. In Benjamin postremo filio
nato, dum in terram Chanaam esset peruentum, signatur
vltimus populus remansurus post perturbationes ma-
gnas bellicas, victor futurus in Regno Christi omnium
aduersantium Euangelio. Cum quibusuis aliis nationi-
bus erit contendendum siue Papisticis, siue Turcicis, si-
ue aliis omnibus; in omnibus praeliis referet victoriam,
& obtinebit aliorum regiones, quæ Christi Regno asir-
gnabuntur: omniaque Christi regnum fient. vt nunti-
atur in Michea cap. 4. ver. 13. erit pariter & Pauli vi-
ctrix doctrina, qua instituetur vniuersus orbis.

Mane comedet prædam, vespere diuidet spolia. Hylte-
ron proteron: in vespere signantur prælia, & concerta-
tiones, & victoria: in mane pax & acquisita possessio.
28. *Omnes ista sunt tribus Israël duodecim.* Cùm in duo-
decim tribubus nuntiârit Iacob, quæ futura essent postre-
mis temporibus in populo Dei, in ipsis continebuntur
omnes pertinentes ad Regnum Israël. Ergo Propheta,
cum descriperunt postrema tempora, & quæ tunc agen-
tur in populo Dei, debuerunt illa in duodecim tribubus
osten-

ostendere: vt facit Ieremias, qui cap. 49. eadem de postremis temporibus narrat de Gad, quæ hic significat Iacob. item Isa. cap. 59. eadem de Dan. Hinc ergo constat, quòd in his, quæ narrant Prophetæ, debemus res nostras recognoscere: præsertim cum alibi moneamur, & gentium terminos diuidendos secundum numerum duodecim tribuum filiorum Israël, & quod patribus omnia contigerint in figura.

Et hæc locutus est ei pater eorum. Locutus est hæc, quæ percurfa sunt in Prophetia à Spiritu Sancto bona, & mala.


Et benedixit unicuique, secundum benedictionem suam benedixit eis. In testamentis horum duodecim filiorum Iacob, vidimus poenitentiam, & emendationem in his, quia aliqui ipsorum errauerant, & peccauerant. vnde veniam consecuti à Deo bona obtinuerunt. hoc idem futurum est his postremis temporibus. & iccirco hoc mihi videtur additum, vt significentur hic tantum bona, non solum quæ singuli suo tempore consecuti erant, sed in primis, quæ erunt bona veris Israëlitis postquam in toto orbe constitutum fuerit regnum Israëliticum.

29. *Et præcepit eis dicens. ego congregor ad populum meum Sepelire me ad patres meos in Spelunca, quæ est in agro Hephrothæi.* In his verbis indicat se venturum in communionem Sanctorum, quæ nobis credenda præcipitur in Symbolo Apostolico. vnde eandem ostendit curam sui sepulchri, quam habuerunt Abraham & Isaac: vt in eo loco sepeliantur, vbi fuit promissio regni, vt ad se quoque pertinere ostenderet promissiones, in quas ingredientur sui posterii, Quæ sunt alia, Ecclesia innouata aperiet.

33. *Cumq; finem fecisset Jacob præcipiendi filijs suis, collegit pedes suos ad lectum, & obiit, & aggregatus est ad populos suos.*

Cum illa, quæ prædixit Iacob, perfecta fuerint; tunc erit requies, & otium: tenebitur terra promissa in Sabbatissimo: pedes colligentur ad quietem in Regno Israël: ut spiritu incedentes solum deinde futuri simus at-
tenti ad cœlestem patriam, illudque solum nobis restet iter, quod conficiemus deportati.

CAPVT L.

3.  *T* præcepit Ioseph seruis suis medicis, ut aromatibus condirent patrem suum. & aromatibus condiderunt medici ipsum Israël. Aromatibus conditur Iacob, ut opus Christi in ipso significatum intelligatur, ac spes viua in eo remanere immortalitatis. quadraginta dierum est opus hoc condiendi corpus aromatibus, quod in 40. diebus signatum sit tempus poenitentiae ad innovationem vitæ, quæ futura sit æterna.
3. *Et completi sunt quadraginta dies. quia sic complentur dies eorum, qui condiuntur aromatibus, & fleuerunt cum Aegyptij Septuaginta diebus.* Quia vsque ad septimam ætatem fleuit semen Iacob, & familiæ eius: & post 70. annos ab initio prædicationis Lutheri extitit liberatio seu initium liberationis à Papatu, & à morte illata per impios.
4. *Et transferunt dies luctus eius, & locutus est Ioseph ad domum Pharaonis dicendo. Si quæso inueni gratiam in oculis uestris, loquimini quæso in auribus Pharaonis, dicendo.*
5. *Pater meus jurare fecit me dicendo Ecce ego moritur in Sepulchro meo, quod fodi mibi in terra Chanaan. ibi sepelies me. Et tunc ascendam obsecro, & sepeliam patrem meum, & reuertar.* Ducitur ad sepulchrum Iacob magno comitatu, quia Christus cum secundo venit repetens prædicationem Euangelij, fuit iterum crucifixus in membris suis, ductis his è toto populo Christiano ardentibus animis ad mortem Papa interfectore.

10. *Et venerunt vsq³ ad aream Arhad, quæ est trans Iordanem, & planxerunt ibi planctu magno & graui valde, & fecit patri suo luctum septem diebus.* Adduntur septem dies magni fletus, vt signentur distinctè septuaginta anni, quos dixi, magni fletus credentium prædicationi coeptæ in Luthero, & in alijs: quos 70. annos in septem tempora vidimus diuisos cap. 2. & 3. Apoc. & alibi: his 7. temporibus, vel 70. annis magnus fuit noster luctus sustinendo vim, & oppressionem Papisticam perpetuam, combustionem Euangelicorum, & cædes vniuersales, vt præteream alias, quas vis Iudicij Dei inuexit afflictiones, atque tandem magnam perturbationem.

14. *Reuersusque est Ioseph in Aegyptum, ipse & fratres eius, & omnes, qui ascenderant cum ipso ad sepeliendum patrem suum.* Finita autem illa magna perturbatione, cuius similis nec fuit, nec futura est, ac imposito fine belli, pax erit in populo Christiano. Et dum reliquæ Papistarum modicæerunt; timebunt sibi ab Euangelicis, factis dominis vbique. Horrabitur illos Euangelici, vt sint bono animo, timorè deponant, se deposituros inimicitiam. ostendentur omnia per apertionem Prophetiæ Diuino Iudicio esse facta: & Papistæ obediunt Euangelio, & Ecclesiæ Euangelicorū quod dū facient, & crederent; erūt ei ipsipariter participes regno Christi ac administratores in eo.

22. *Habitauit igitur Ioseph in Aegypto ipse & domus patris eius. & vixit Ioseph centum & decem annos.* Quies, & pax deinde erit in totò populo Christiano. Pax deinde erit in omnibus terris, cum idem iudicium fuerit repetitum apud Turcas, & alias nationes: prædicatum fuerit Euangelium: pugnatum armis, vt qui crediderint, & designati fuerint à Deo, permaneant in vita, & veniant in Regnum Christi Israheliticum.

24. *Et dixit Ioseph ad fratres suos. ego morior & Deus visitando*

IAC. BROCARDI IN L. CAP. GEN.

visitando visitabit vos, & ascendere faciet vos è terra hac, quam juravit Abraham Isaac, & Iacob. Nuntiat Ioseph pariter futura, pater quæ postremis temporibus erant euentura prædixit: ipse, quæ post illos quadringentos annos denunciatis à Deo Abrahamo fieri debuerunt de populo Israël, quòd scilicet duce Mose essent peruenturi in terram Chanaan.


25. *Et jurare fecit Ioseph filios Israël dicendo. visitando visitabit Deus nos, & facietis ascendere ossa mea hinc.* Eadè & Iosepho fuit spes veniendi in communionem sanctorum, & vt fieret particeps omnium promissionum Dei cum posteris. quæ spes fuit Abraham, Isaac, & Iacob. Eadem spes Immortalitatis signata est pariter dum & eius corpus conditum fuit aromatibus. complevit Ioseph centum, & decem annos, quia ab umbris in veritatem fuit ductus percipiens Christum, & quicquid obtinuit Ecclesia per Christum: quæ & perficientur in nobis maximè credentibus.



Errata insigniora sic corrige.

Primus numerus indicabit folium, secundus paginam, tertius lineam. vbi erunt duo numeri indicabitur pagina, & linea in eodem folio, vbi vnus, linea in eadem pagina.

171. 2. 21. ita. 173. 1. 17. partim tenebrarū. 177. 2. 16. oriretur. 178. 1. 16. Spiritus Sancti. 179. 2. 1. Idem licet. re. 184. 2. 23. Indicaui. 188. 2. 19. petunt. vi. 189. 1. 6. libero. 193. 1. 7. Prophetarū. 195. 2. 24. iam. 166. 2. 2. He. 15. in Deum. 29. masculus. 197. 2. 3. He. 201. 2. 29. P. sal. 82. 203. 1. 1. pernoctat 9 (ab extrema parte ciuitatis. tota ciuitas) 204. 2. 13. in tota. 107. 1. 9. in ipsius. 208. 2. 25. dua. 208. 2. 29. cederunt. 53. fugerant. 29. 1. 6. cultum. 2. 18. Evangelici. 2. 11. 1. 15. 26. 33. facere. 213. 1. 8. in regno. 22. omnia praestitit. & pra. 213. 2. 3. quarum. lib 7. 22. fit. 218. 1. 3. interrogandū Dominū. 219. 1. 4. anima. 19. nos. 27. signata. 220. 1. 3. cap. 19. 221. 5. in alijs. 14. Anzar. 223. 1. 23. non. 226. 1. 21. pollicitus est. 2. 27. à seculis. 227. 1. 24. persstant. 228. 2. 31. est. 32. 1. 30. esse rata omnia. 236. 2. 25. recusat. 237. 1. 24. qui. 38. 2. 33. curruauit. 239. 1. 22. quercu. 241. 1. 19. parans. 242. 2. 3. uxorem. 244. 1. 4. fit. 245. 1. 23. Spetiosus. 246. 2. 1. Et fuit in fine duorū annorum dierum (cum peruentum esset ad finem duorū annorum) item Pharao somnauit. 247. 2. 4. cap. 25. Ex. 248. 2. 12. fuit. 255. 2. 10. & nomen patrum 7. deleatur. 21. deducatur. 256. 2. 3. Joseph. habeant prater. 250. 2. 22. Deut. 23. euentura 267. 2. 6. attedere. 259. 1. 22. fauit. 260. 2. 3. & Matt.



Epistola ad Amicum in qua est responsio ad reprehensores.



VOD scribis de reprehensionibus, quæ occurrunt, ita habeas. Dominus adest Verbo, & opere. id ergo oportet nuntiare: si videmus gladium venire, cogimur clamare. cogimur & notare euenta rerum denuntiatarum. quæ dum agimus, incurrimus in reprehensionem hominum.

Contendunt plures, Prophetiam fuisse completam in primo Aduentu Domini. vnde non opus sit nunc noua alia interpretatione. at quia re ipsa probatur nunc illa compleri, ergo oportebit hanc nunc subsequi. Tempus Iudicij aiunt differendum ad nouissimam tubam. quod negat Petrus Epist. 2. cap. 3. ver. 4. & 8. item alij Apostoli, & Prophetæ.

Sunt, qui queruntur, quòd literalem sententiam: quòd euenta præterita nō agnoscam in Sacris literis. Ego quidem retineo literalem sententiã, dum in ea requiro quoque mystica, & Prophetica. euenta autem quædam non tollo, dum affirmo & talia conspicienda: item perficienda plurima, quæ nondum euenerunt. Sunt, qui respuunt, quæ mysticè, & typicè expono, dum quæ sunt Euangelij, & Ecclesiæ, mysticè tradita monet Paulus: atque constat Prophetas ex præteritis: & ex his, quæ fuerunt suorum temporum, & quæ nondum fuerunt: ex parabolis, & ænigmatibus nuntiasse futura postremorum temporum. Sunt qui instant nomina de certo loco, non posse indicare alia loca: factum vnum factum aliud. at Spiritualiter ait Ioh. Apoc. 11. 8. dici Sodomam, & Aegyptum, vbi Dominus fuit iterum crucifixus. & Pet. Epi. 2. cap. 3. ver. 7. item Isa. 54. 9. Iudicium futurum magnum eodem sermone repositum, quo est expositum illud, quod fuit tempo-

tempore Noë. Instant me non debere de his affirmare, quæ varios possunt habere euentus. quibus respondit Deus Leui. 26. quia ambulant secum in casu, se quoque ambulaturum cum ipsis in casu. Arguunt me, qui de singulis aliquibus pronütient aliqua, & de certo tempore, & de certo loco. item quòd in aliquibus deprehensus sim falsus. Si hæc negent in Verbo Domini, & Deum velint nõ nuntiasse; respondebo, ipsos non posse abbreviare brachium Domini, qui numerat singulas stellas, & arenam maris: numeratos habet singulos singulorum capillos: sine cuius nutu non cadit passerculus in terram, non mouetur folium arboris. Item Deum distinxisse tempora: distinxisse tribus, & loca: & hinc de aliquibus singulis quoque loqui. Sin me talia non posse videre contendunt, videant ipsi. Dum fiunt opera secundi Aduentus Domini exposita in tota Prophetia, omnino necesse est illa notare. atque propter pericula nuntiare aliqua, quæ videntur imminere. Quia vero video alios non facere, facio ego quod oportet, vt datur. Si alius faciat, libenter silebo ego. Verùm si requiritur nunc, vt omnia perfectè, & certa demonstratione tradantur, & exponantur; respondeo, hæc à certo Propheta à Deo dato oportere fieri. Ego quidem ago vicem interpretis, non Prophetæ. Et si nuntiaui multa instare, & futura; id fit ex ea ratione, qua ex præteritis notis, atque ex præsentibus aliquibus patefactis certa ratione & futura prospiciuntur. de qua re post dicam, interpretari autem perfectè omnia nemo poterit, ni peracta fuerint omnia. Quamobrem ego dum notare, quæ singulis temporibus fiunt nuntiata in Prophetia, putabam me perseveraturum ita singula euenta notare, donec aut ad finem, aut propè finem esset peruentum rerum denuntiarum in Prophetis. ut ex maiori parte rerum effectarum, si etiam non omnino omnia euenta essent perfectæ; ostenderem aliquod complementum Prophetiæ

pheta: quod perfectum deinde esset tradendum ab alijs,
rem totam & separatim examinantibus, & simul in con-
cilijs comprobantib^o, quæ iudicassent euenta appositè, &
propriè respondere rebus nuntiatis, & has illis. Dum au-
tem sui in ingressu, siue in cursu operis; ecce, qui cupi-
diores sunt cognoscendi, quæ Domini sunt, vim quan-
dam mihi faciunt, vt videant inchoata, an quid boni ha-
beant. adsunt & certi ministri Verbi, qui pariter volunt
videre. vt si quid boni insit, habeant & ipsi; sin quid
perperam, me arguant. Et dùm multa sunt cursim exa-
rata, & imperfecta, describuntur tamen: atque me igna-
ro, & inuito typis mandantur aliqua. Vnde cogor aliquo
modo corrigere errata in aliquibus, & typis iterum man-
dare. Hæc iam quæ me inuito prodierunt in publicum,
habeant nunc in manibus siue mei reprehensores, siue a-
lij: atque dum mihi dent nunc effici opus secundi Ad-
uentus Domini expositum in Prophetis, arguant, quæ vi-
dentur; addant, & adimant: aptius, & perfectius tractent
aliqua: notent, quæ singulis temporibus sunt ipsi quoq;
& talia. atque sciamus omnes, perfectionem omnium, &
veritatem omnium esse expectandam in perfectis euen-
tis eorum, quæ expectantur futura, vsque dum parta sit
pax, liberâque habeantur concilia. Sciam ego mea, sci-
ant alij sua, & omnium scripta etiam patrum ventura in
Iudicium. Ego quidem vt vitarem errorem, dum neces-
se est, vt scribantur opera Domini, statueram, quemad-
modû dixi, seruare apud me meas interpretationes scri-
pturarum vsque ad libera Euangelicorum concilia. Cùm
autem contra meum institutum factum sit, vt aliqua in
publicum prodirent; cupio & alia omnia esse in mani-
bus omnium, vt alij ad idem opus si videbitur, accedant,
ne sim ego in eo solus. vt si minus ego, aut vnus aliquis
minus perfectè, ac propriè, aliquid exposuerit, alij sint,
qui id agant. Et si non plures affecuti erimus singula;
coacti,

coacti, qui erunt in concilijs omnino assequentur in quibus concilijs præsertim posterioribus, omnia perfecta habebuntur. Atque hæc ita dicta sint de tota re, quæ spectanda fit in expositione scripturæ, dum conspiciuntur opera secundi Aduentus Domini. Quod autem aiunt, me dixisse aliqua, quæ non ita, & non eo tempore euenirint; pauca poterunt proferre. fit illud quidem, vt quod de aliqua persona dicitur, non eueniat ei, quem tu in certo opere, & munere vides; sed in alio, qui sequitur in eodem opere, & munere. non eueniat in Patre, sed in filio; sed in nepote. Secundùm illud. Super tertiam, & quartam generationem, super tribus sceleribus, super quartum non conuertam. De tempore autem ita potest esse error in vno anno, duobus, tribus, quatuor, decem etiam in summa autem temporum videtur, non posse esse error. vti nostris temporibus probantur fieri, quæ sunt secundi Aduentus. & de his temporibus potest esse certa cognitio. vt dicebat Christus Iudæis olim, & nunc nobis. faciem cœli nouistis dijudicare, signa autem temporum non potestis? & alibi. non cognouerunt tempus visitationis suæ. De certo verò tempore anni, mensis, diei, & horæ dixit non est vestrum nosce tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate. item. nescitis, qua hora Dominus venturus sit. Eandem distinctionem habemus apud Paulum. 2 Thes. 2. vbi proponit tempus generatim secundi Aduentus Domini. capite autem quinto primæ ad eosdem Thes. momenta temporis. De locis plurimis minor potest esse error propter certas descriptiones. In his iam si fuit aliquis error; non idcirco probabitur esse in alijs, quæ denuntiata ex Prophetis eueniunt plurima. Possem dicere secundùm quam rationem locutus sum de aliqua persona: secundùm quam conditionem de tempore, & locis. sed id non faciam. concedam fuisse errorem, etiam si non fuisset; dicam illud. Si talia euenerunt

nerunt in magnis Prophetis, erit ne mirum, si in vno interprete eueniret aliquid simile. In Prophetis antiquis talia quædam obseruabant homines, ut si in aliquo illi claudicasset, prætexerēt causam in omnibus falsi vaticinij, ne agerent illa ipsi, quæ Deus præcipiebat per Prophetas atq; Deus permittebat talia euenire in suis Prophetis. Hinc querela est Ieremiæ cap. 20, cum Deo ipso, qui se seduxerit, dū clamaret vastationem tota die. Quòd verbum Domini fuerit sibi in opprobriū, & in subsannationē tota die. imprecatur ultionē his, qui se obseruant, vt claudicet. Ipse Deus cap. 6. Oseæ fatetur se verbo suo occidisse Prophetas suos. Ionas nuntiat post quadraginta dies futuram euerzionē Niniuæ, quæ fuit post quadraginta annos. Quòd verò is mos fuerit Dei, nuntiare mala, & illa interdum non adducere, interdum differre; tergiuersabatur Ionas, ne nuntiaret interitū Niniuæ post quadraginta dies: & rationem addit, quòd Deus misericordia ductus soleat parcere, & differre: atque Deus ipse cap. illo sexto Oseæ, & in Iona se ita agere indicat, vt protrahat peccantes ad pœnitentiam. Et ego quidē si existimarem me Prophetam, magis cognoscerem me Prophetam in his, in quibus arguor falsus, quàm in alijs. quia alia loquor, quæ sunt Prophetarum, vt interpretes eorum, quæ sunt sua ratione plana his, qui tenent principia Prophetica; hæc autem, vt coniector. Quæ si eueniant tempore à Deo statuto, non autem præscripto à coniectore, poterit is tamen nominari Propheta: quando scilicet constet, Deum nuntiasse. vt vidimus in Ieremia, Oseæ, & Iona. atque ita mei reprehensores facerent me Prophetam in his, in quibus me arguunt, & negant me Prophetam. Verùm eximi me semper ab eorum numero, qui se audiri volunt, vt Prophetas. accessi vt interpretes, & qui notem euenta rerum denuntiatarū: & qui nuntiem, si quid video imminere eorum, quæ nunc se ostendunt narrata in Prophetis. Interea si obseruor, vt claudicem: si venio in opprobrium, &

subfannationem: si ingruunt mala; non dicam ego. Seduxisti me Domine: videam ultionem de eis; non dicam. maledicta sit dies in qua natus sum. dicam. adest Dominus. quæ loquitur, audiantur: quæ agit cognoscantur. non prætexentur mea errata, vt non attendatur, quid loquatur, & quid præcipiat Sanctus Israël. Nam in eo non inuenior falsus, quod Dominus adfuerit in gladio: non inueniar falsus, si dicam. non solum adhuc in gladio; sed & in igne conspiciendus est Dominus. Si non tam cito, vt aliquando putau, res euenit, non differetur tamen multum, atque nimis citò aduenisse, querentur multi. Et si quæ minus rectè ago ego, agant alij rectius: agite simul omnes. quia non vni; sed pluribus datum est hoc opus. seu ad illum vocati sumus omnes. attendamus ad vocem illam omnes. vocau, & renuistis. & quæ sequuntur. Prou. 1. 2 4. Ier. 7. 13. Isaïæ. 65. 12. & 66. 4.

Addit hic Iac: Broc: præfationem Capitonis in Cellarium, in qua sunt monita ad centores importunos.

Quoniam dum multitudo magna vexatur, affligitur, & perditur populorum; proponitur verbum Propheticum audiendum, nec auditur, ut vitentur mala: negaturq; Prophetas antiquos loqui nunc nobis: quoniam item contemnitur, qui post Christum scripserunt vsq; ad hæc tempora illa; quæ videmus hoc tempore fieri; ecce proponimus ministros verbi, qui dum cæpta est prædicationis Euangelica innouatio, monuerunt, incipi fieri nuntiata in Prophetis de secundo Aduentu Domini: ac summã quandam eorum, quæ futura videbant, comprehendunt, & proposuerunt nobis expectanda. Audiuimus quidem iuniores cum alibi, tum in Germania fuisse aliquos, qui ista moneant, & nuntiarent: quos male fuerunt excepti. Veruntamẽ in de vidimus & Lutherum, & Melancthonem in suis scriptis aliqua attigif

artigisse de rebus futuris. Nupcr autem incidi ego in librum Martini Cellarij, qui fuit vnus ex illis, qui monuerunt incipi fieri nuntiata in Prophetis de secundo Aduentu Domini. is contulit se ad Bucerũ, & Capitonẽ Argentinã, ut ipsis exponeret rem totam. qui non fuit contemptus, & eiectus, sed exauditus. & qua narrauit diligenter à Capitone fuerunt expensa, meditata, & cogitata, & collata cum tota narratione Prophetarũ. Cognita autem re tota, hortatus est Cellarium, ut librum, quem de operibus Dei scripserat, ederet. atq; praposuit ipse Capito Epistolam, seu prefationẽ in qua causam defendit Cellarij, & aliorũ, qui tunc monebant de re Prophetica; simulq; addit monita ad illos, qui contemnunt, & exagitat Prophetica loquentes. Hanc Epistolam volui proponere cognoscendam meis aduersarijs, non tam ut defensorem meũ constituam virum insignem Capitonẽ, quã ut videant, quodnam Iudiciũ futurum sit de ipsis apud posteros, quando conspicientur opugnauisse, qua debuissent complecti. nam veritas non in verbis hominũ, sed in euentis à Deo nuntiatis patebit toti orbi terrarum. Quamobrẽ legatur Epistola illa Capitonis, & qua scripsit in cõmentarijs in Oseam, & alios quosdam Prophetas: legatur liber Cellarij de operibus Dei. Legantur tredecim homilia Henrici Effrhen Doctõris Theologie editæ anno. 1571. Argentorati. alij alibi extiterunt, qui de eodem Argumento scripserunt, quos non memoro. nunc institutum est tantum scribere Epistolam Capitonis, quam affixit ad librum Cellarij. cuius libri hac extat inscriptio. De operibus DEI Martino Cellario authore.

Argentorati. anno 1527.

Inscriptio Epistole ita habet.

V. FABRICIVS Capito, pio Lectori gratiam, & pacem optat, per Christum Iesum Dominum nostrum.

Fecit iter hæc nuper Martinus Cellarius, homo Dei, prapriuoq; praditus Spiritu. Is dum accepisset huius Ecclesie conditionem modumq; reuelationis, qua per gratiã Dei quomodocunq; pollet, consilium cepit, nobiscum de Fide ac dogmatibus quibusdã conferendi.

Annuiimus facile, conuenimus, egimus inter nos, & de gloria Dei
præclaris hac atate reuelanda, ultro, citroq; non pauca cõtulimus.
Adcoq; vno atq; altero colloquio, magna quidẽ luce, ut mihi vide-
tur, differuit, de fide prædestinationis, de discrimine inter vasa e-
lectionis, & reprobationis: de semine Dei, & electis: de perseueran-
tia Sanctorũ: de salutis certitudine: de Spiritu Sancto: de natura,
& ratione filiorum Dei, & id genus alijs, qualia nos Ecclesijs quoq;
iuxta modum fidei nostræ vicunq; confirmabamus. Adiecit alia
quædam, ut sunt Euangelij reuelati tempora, modus, & generali-
tas Prophetiæ, excidium impiorum, & quæ sunt generis eiusdem,
quæ partim ex collatis scripturis facile agnouim⁹, partim, quia vi-
debantur, & sunt ad adificationẽ in Deum, & analogiam fidei spe-
ctantia, consonaq; scripturis: refutare non sustinuimus, etiamsi
captum nostrum superarent. Orauimus itaq; vniuersam fidem, ac
reuelationem suam ordine conscriptam, dijudicandamq; liberẽ no-
bis exhiberet. Interea quæ nobis de bonitate Dei constiterunt,
inuicem candidissimè participauimus. Quarum rerum documen-
ta, non ita pridem ex vnctiõne, haud obscure prænouerat. Ac-
cepit nos placidè, sumptuq; spatio cogitandi, singula diutine se-
cum ad fidei trutinam dependit. Comperit reuelante Domino,
rem esse, sicut nos proposueramus: imo dilucidius, quàm nos, ve-
rum inspexit, persuasumq; habuit, ad gloriam Dei proferendam,
eadem futura. Exuberanti prorsus gaudio propter fidem mutu-
am, similemq; Dei cognitionem tum perfundebamur. Virique
de alterius fide, & gratia Dei erga ipsum certiores facti sumus.
Qui consensus in Domino amicitiam iunctissimè conciliat, fouet,
conseruat. Gratulamur nobis, aduersusq; Dominum impendit
gratiam habemus, qui nobis contulit hoc lucis, hunc Spiritum,
hanc in Domino concordiam. Igitur hunc libellum, nostro tan-
tum vsui ille mox conscripsit, censendumque exhibuit. Nos ac-
ceptum cum Iudicio legimus, expendimus, approbauiamus: nisi
nobis imposuit fortè, aut amicum hominis pectus, quod charita-
tem in omnes abundè spirat, aut ardor ad gloriam Dei, quo te-
nemur,

nemur, ad quam omnia, maximè qua dicit, quadrant. Putamus enim libellum esse, non solum utilem; sed necessarium vehementer his temporibus, ad contentiones componendas, ad delendas sectas, ad odia restringenda, qua inter electos modò acerrima defauiunt. Nemo fidem predestinationis, quantum sciam, grandius detonuit: qua concepta, libertas arbitrij, qua est vera religionis pessima pestis, tanquam insomnium semel euolat. Nemo Spiritus arabonem, in corda electorum diffusi, certius indicauit, unde solatia certissima, qui malis oppressi sunt, expromuntur. Nemo perspicuis notis vel mediocriter spiritualium rerum perito dilucidius declarauit (nam verum fateri sine inuidialiceat) quisnam sit electus in utero, quatenus quisque Spiritum obtineat, & quam charitatem erga fratrum imbecillitatem exercere conueniat, hoc est, infinitam, assiduam, inexpugnabilem. Ex quo capite spontanea charitatis officia ubertim fluunt. Quotus enim quisque illum amat negligenter, quem persuasum habet sibi fratrem esse, eiusdem gloria participem, eiusdemq; corporis Christi membrum indiuiduum. Nemo denique per inuolucra Prophetarum compendium, quo rectè itur ad arcem intelligentis, sicut hic noster demonstrauit. Nam ad unum quidem omnes, aut ad seculum cuiusque Prophetæ pleraque continuerunt, aut in minutias integrum coharentemq; Spiritus contextum diuiserunt. Hic noster autem, nam nostrum libenter nomino, quem Dei esse certum est, totum sensum Christi, qui in illis latet, ex partibus ordine seculorum exhibitis, felicissimè in totum, ac summam expedit, eo ordine, ac luce, ut mihi videor è primo statim colloquio eius, maiorem vim, ac rationem intelligendi concepisse, quam aliquot mensibus improbo legendi labore, ex libris, quos optimos tamen in hebraea praesertim lingua habeo, vel sperare licuisset. In summa, quia nihil exotiosa quaestione, more Anabaptistarum protulit, sed omnino usus gloria Dei, & sensus eorum, qui ex Spiritu renati sunt, ita est, ut asserit, & sic esse, p̄ omnes, qui legunt, fatcantur oportet: quia quicquid erro-

rum, aut motum est, propè dixerim, mouendum instat, luculenter discussit, confirmataq; fide predestinationis magnopere salutarem Veritatem stabilivit, ad quam ceu lydiū lapidē Spiritus explorent, qui sunt cognituri, an sint ex Deo, nec ne. Visum est itaque in publicum conducere, si inopis degrauatīs tantī thesauri copiam faceremus. Quare nobis efflagitantibus, ne donis tantis fraudaret Ecclesias diutius celando, quæ in commodum aliorum à Domino accepisset, annuente sibi Domino, facile annuit. Proinde prælo opus hoc excudendum continuo subiectum est. In qua re, authori fortassis parum consultum est, qui duritiem stili, si qua ex insolentia incidit, leui opera committigasset. Fœtura enim prima est, eaq; inchoata, rudisque adhuc, cui mollitudinem, dies, cura postera, manusq; resingentis indidisset. Verū enimvero, piorum interest quàm primū cognoscere (posthabita dictionis elegantia) quod ad gloriam Dei verè pertinet. ut hic libellus maxime pertinet: ad hæc materia difficultas, ut est, sine affectatione perspicua elocutionis, atque densissimè, significanterq; tractata, lectoris industriam per se remoratur, eoque singula mentem cogitatione insistentis penitus feriunt, quàm si volubili dictione conscripta, ad calcem semel percurreretur. Nam cordi, non linguæ hæc scribuntur, neque ut semel legantur; sed ut in omni vita, viuide exprimantur, donata sunt. Hic in tempore moneo, oro, obsecroq; ut electi dent operam, ne quid temerè, quod ad religionem attingere putatur, neque probent, neque improbent. Vtrunq; vitiosum est, & in utramvis partem procliuus est lapsus. Etenim fœdum ex æquo est, nihil cuiquam, & cuius omnia credere: sed in alterum vitium alterius fuga ducit, si moderatione Spiritus caret. Vehementer turpe est, omnes amplecti doctrinas promiscuè, esseq; pecus, quod diuiduam vngulam non habeat, neque remandat indigestum semel cibum. Atque haud scio, an magis culpanda sit illorum iniquitas, qui quod facultatem ipsorum excedit, aut quod ipsorum nomine non docetur, diuis modis execran-

execrantur & tamen, ut dixi, vulgò utrinque ferè peccatur, quòd natura sic sit comparatum, ut facilitatem credendi leuitas, cautionem, quæ non intelligis condemnandi calor comite-
tur. Quamobrem Paulus admonet. Qui non vescitur, vescentem, inquit, ne iudicet. Et rursus. Probate Spiritus, num ex Deo sint. Quibus sententijs prohibet à nobis, tam reprehendendi petulantiam, quàm celeritatem credendi quiduis. Ergo sequamur hoc tempore, quod est perfecta reuelationis, Spiritum consilij, qui per gradus maturè promouet ad sententiam dicendam, qui appendit omnia, dijudicat omnia, explorat omnia, idque ad modum Fidei, hoc est, obseruat, quantum gloria Dei, quantum abnegationis nostri, quantumque alijs ad confidendum Deo conferant. Neque Prophetantibus odiosè oblectatur, nisi dum per obsignationem Spiritus certò nouit, ea dogmata gloria Dei derogare, quam Filius, qui est in sinu Patris, demum enarrauit. Neque verò magnoperè dubito, quin viri aliqui excellentes, tam opinione doctrina, quàm exstimatione Spiritus, hæc sibi fortiter expugnanda desument, quamuis ad gloriam Dei, ad mortificandam carnem, ad solatium afflictorum, omnia faciant. Quos Dominus in hoc immitteret, ut video, quò in pugna minores, ex euentu tandem discant, quàm procul absint à scopo, adeoq; admoncantur, ut cum timore Domini, moderate, verecundèque versentur apud electos, in quorum Fidem imperium sibi modo perperam vindicant, præiudicareq; moliantur Spiritui Sancto, quasi in ipsos energiam docendi totam exhausisset. In eam iniquitatem intruduntur, tam amore sui, quàm falsa illa persuasione, qua putant, summam se consecutos, quam Paulus tamen ingenuè fatetur, se nondum esse consecutum. Suauis scilicet homines scintillam illam veritatis vix dum subgliscentem, absolutam lucem reuelationis esse assueuerant. Sed falluntur, ut dixi, amore, ac veneratione sui, quæ confidentes animos, cæco esse iudicio facit. Postquam nondum à maximo vsque ad minimum Dominum cognoscunt. Non-
dum

dum corda patrum in filiorum animos coaluerunt. Nondum filij, & filia nostre prophetant. Quandoquidem ex parte cognoscimus, ex parte prophetamus. ubi venerit, quod perfectum est, tunc quod ex parte est, abolebitur, Prophetia parciales, lingua diminuta, scientia imperfecta, partes reliqua omnes, venturo toti penitus concedent. Quod quidem à bonitate ingenij non pendet, sed à conscientia suæ vilitatis, à vocatione, à gratia Dei omnino dependet. Nam non multi sapientes hujus mundi. &c. Caue, satur fueris: verum ad ea, quæ à fronte sunt emittens, juxta præfixum signum insequitor ad palmam superna vocationis Dei per Christum Iesum. Quotquot itaque perfecti sunt, hoc sentiunt. In cognitione Dei subinde pergunt, & hoc magis in assensu contendunt, quò remotius à terra euaferint in altum. Iam quicquid est, & potest Deus, infinita, inexhausta, scriptura complectitur, adeoq; modis omnibus perfecto homini, semper deest, in qua re deinceps perficiatur, quam Spiritus suo cuique tempore, dum præderit, reuelabit. Neque propterea Deo minus sum charus, quòd ad secretos amplexus cognitionis suæ nondum admittor, multaq; in scripturis tarditatem meam fugiunt. Hoc scio. Nihil esse in scripturis, quòd viuo sensui Fidei meæ repugnet. Pleraque tamen partim cognosco tenuiter, partim prorsus ignoro, partim, quòd peius est, secus accipio, doceoq; alios, quàm sint à Spiritu dictata. Quòd fit, propterea quòd nihil nescire videri volo, locisque mihi familiaribus, quibus regno, ineptè, ac frigidè inservio: & omnia velint nolint, inservire cogo. Quid igitur? Insaniamne propterea, quòd puer aliquis prodit, me Rabino tanto, scientia Spiritus instructior: qui quidem & possit, & soleat, omnia sincerius, quàm ego discernere, atque componere? Perfectò haud feram iniquè, nisi Dominus hanc mentem eripiet, Id ne fiat, cauebo sedulo, ne quid per contentionem, & præfractius; neque qualibet in quemlibet petulantius. Qua quidam intemperantia corrupti, Judicis iram in se concitant. Electi enim
(ne

ne mireris) impingunt saepenumero, abeuntque in praeceps, quod
vocationem anteuertunt, aut quia de se benignius sentiunt,
& alios sentire volunt. Vtraque enim lues pijs mentibus insi-
diosa instat. Qui in civili causa, re bene inspecta, cautim, ac
timide pronuntiat, is raro fallitur. Multo minus nos infra-
dem veniemus, si moderato examine rem diutine peruestigan-
tes, nihil definite sustinuerimus, quod Spiritus in nobis, mo-
tusque ille, atque insita vis, qua ad gloriam Dei pertrahit, pra-
clare non iubet. Porro electum Dei nihil perturbet, si maxi-
me Iuda, & Ephraim, hoc est, populus DEI inter se odijs a-
cerim digladiantur. nam ita fieri tam diu necesse est, donec In-
manifeste veniat, qui pacificabit omnia in sanguine suo In-
scitia, & ignorantia Christi, coniunctissima vnius corporis
membra, ceu morbus aliquis dirimit, qui rursus vnum Chri-
stum, ubi perfecte reuelatus fuerit, sibi in caput perficient,
inter se coalescentes arctissime. Interea sicut sub Regibus Isra-
el a Iuda, ita inter nos, electi sub tot capitibus, ac ducibus
distinemur, quot sunt ubique gentium, qui sibi ius Magiste-
rii asserunt, Spiritusque amplitudinem, quisque ad Fidei sua
modulam cohibere student. Ergo & nostrum nomen, si quod
est, & aliorum, quicumque in pretio habentur, Dominus cito
perdet, quo Christi sui gloriam, per quem, & in quo omnia re-
parantur, in apertum celerius perducatur. Quod ut praeproperè
fiat, opto, imo, scio prope diem fore, aut potius coram iam nunc
videre videor, quam sint inglorij futuri omnes, quos vulgi
vanitas laudibus vehit, detrahit potentes de sedibus, ut hu-
miliem Christum suum exaltet. Quin hoc opus Cellarij no-
stri, quamlibet egregium. Et Buceri Matthaeus, qui, multa
supra vulgi Iudicium sobrietè docet. Item Oseas, Malachias,
& Ionas noster, in quibus pro mediocritate nostra, qua Dei,
& Veritatis sunt, prosequeremur, non alieno nimium genio à
phrasi Cellarij. Opera inquam nostra, cum suis authoribus,
hoc est nobiscum, ut est hominum conditio, omnia cadent, ac

Sequitur
Prophetia
Capit.
nis.

interibunt, nobis volentibus. Hoc scimus, & scribimus tamen,
in presentem duntaxat usum, dum majora Dominus revela-
bit, sicut hac aetate omnino revelaturus est, ubi ipse suos pas-
cet, ac ducet, depositis planè umbris, in lucidissima Veritate.
Scientia enim Domini sicut aqua opplebit terram. haecenus
partius, & paucis ea contigit. Interea vale, & sustine

Domnum per tolerantiam animi, in Christo

IESU, qui te confortet. Amen.


Argent. 12. Julij.


Anno 1527.



THE HISTORY OF THE
CITY OF BOSTON
FROM 1630 TO 1800

The city of Boston was founded in 1630 by a group of Puritan settlers who sought a place where they could practice their religion freely. The city grew rapidly and became one of the most important centers of commerce and industry in the eastern United States. In 1773, the city was the site of the Boston Tea Party, a protest against British taxation. The city was then occupied by British troops during the American Revolutionary War. After the war, the city continued to grow and became a major center of industry and commerce. In 1800, the city was still a major center of industry and commerce.





CONCLUSIO
LIBRIGENESEOS.

IN argumento in Genesim, vbi egimus de ordine, assumenda erit conclusio huius libri. nam ibi ordine proposuimus, quæ erant dicenda in hoc toto libro. quo ordine ergo ibi proposita sunt, eodem hic in conclusione assumantur.

Et quoniam secundum constitutionem coelestium vidimus initio constitutum ordinem rerum futurarum in mundo: ac constitutionem harum, constitutioni illorum respondere; aliam conclusionem addemus, si quis fortè eam expetet; qua coelum ipsum intuendo, conspicias illa ordine, quæ egit Deus in mūdo, & vno intuitu lustres historiam mundi in coelestibus impressam, & consignatā.

Primum caput Geneseos complectitur tempus ab Adamo vsq; ad Sabbatismū, qui relinquetur populo Dei, describitur autem totum hoc tempus in creatione coeli, & terræ, atque eorum, quæ in his sunt, vt totum tempus respondeat toti longitudini ductæ à polo ad polum: quæ acta sunt toto tempore in terris secundum suos status, ætates, & commutationes, respondeant dispositioni coelesti, & militiæ coelesti, & creaturis coelestibus. Et hæc generatim intelligantur in primo versu, vbi dictum est. In principio creauit Deus coelum, & terram. distinctius autem nouimus in creatione coeli, & terræ creatum statum Ecclesiasticum, & Politicū: qui status continebantur in Adamo patre, & in Eua matre omnium mortalium. quorum extiterunt duo filij. primus Cain referebat statum impiorum, & interfectorum filiorum Dei. quorum impiorum genus deducendum fuit vsq; ad Sabbatismum.

alter

alter filius Abel retulit pios interficiendos, & affligendos à Cainistis vsque ad eundem Sabbatismum. Seth, qui genitus est in locum Abel, referebat pios non interficiendos, in quibus perseveraturus esset status populi Dei, & in primis, qui obtenturi essent Sabbatismum. In Enoso filio Sethi inuocanti nomen Domini assumuntur omnes saluandi in Christo, ab initio vsq; ad finem, qui stent filij Dei contra Cainistas filios Diaboli. Et hic Enosus inuocans nomen Domini, indicatur inuocasse eundem Dominum, quem inuocauit Abraham, & eius posterij: quem innocarunt Apostoli, & eorum posterij, Iesum Christum Dominum nostrum. Ducitur genus Enosi ad Enochum, in quo signabatur ille, qui attulit veritatem umbrarum: ascendit in coelum: qui in secundo Aduentu proferet libros apertos, qui fuerunt clausi: dabit euenta omnis Prophetiæ. Genus autem Enochi ducitur ad Noë, & Sem: quia Prophetiæ apertio coepta in nouis Prophetis ætate sexta respondenti tertiæ antiquorū Prophetarum, perducitur ad Iudicium peractum in secundo Aduentu Domini: quòd coeli, qui nunc sunt, vt ait Petrus, eodem verbo repositi fuerint igni. post quod Iudicium vigebit semen Sem ductū à Seth: fient illa, quæ dicta sunt in Sem, & eius familijs. Hæc tempora iterum assumamus ab initio, & videamus quomodo respondeat constitutioni coelesti, & typo constitutionis coelestis, & mundanæ, exarato in decem Sefhiroth. Creato coelo, & terra locū poli artici tenet Adam, & Eua creati ab eo, qui creauit coelum, & terram; quique est increatus, immensus, incomprehensibilis; vt significatur in parte nigra primi Sefhiroth; quemadmodum in parte alia ostendit se Deus homini Creatorem, & effectorem omnium. In his, qui geniti sunt ex Adam, & Eua, atque perducuntur ad Enosum, Enochum, Noë, & Sem, percurritur linea in ducta à polo ex vtraque parte ad circulum articum,
vbi

vbi ad dexteram venit Enofus, ad sinistram Enochus, & Noë: & ibi mergitur mundus priscus, mundus impiorum semen autem Sem, & semen Cham perducuntur ad Abrahamum, & percurritur linea ducta à circulo artici ad circulum cancri ex vtraque parte. quæ eadem in tribus primis Sephiroth fuerunt significata. Quæ autem ab Abrahamo vsque ad finem libri narrantur, dum tres Patriarchæ assumuntur, con significatur idem Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, qui fuerunt in patribus prisci mundi: & simul denuntiantur tres status futuri perspicui, Patris in Circûcisione, Filij in Baptismo aquæ, & Spiritus, Spiritus Sancti in Baptismo Spiritus ætate postrema. & hi tres status ducuntur per septem ætates secundum septem promissiones factas Abrahamæ: quæ promissa dantur semini trium Patriarcharum ducto in duodecim tribus. & in his percurritur historia temporis ab Abrahamo vsque ad secundum Aduentum Domini. quod tempus respondet cursui à via ducta à circulo cancri ad circulum capricorni. Et hæc in reliquis septem Sephiroth figura fuerunt proposita Prophetis. Quæ autem res gestæ fuerunt Abrahamæ, quæ Isaac, quæ Iacobi, quæ huius duodecim filiorum, fuerunt figura eorum, quæ in illis tribus statibus, & septem ætatibus peracta sunt. Et quia non solum fuit bellum, & contentio cum inimicis Legis; sed & cum Legem eandem Dei profitentibus, in duodecim filiis Iacob con significata fuerunt, vt vidimus in Prophetia Iacobi, dissidia, & bella populi Israëliti, & populi Christiani inter se, vsque dum manus missæ sunt in Ioseph, in Sanctum Israël in eius secundo Aduentu; atque perturbatio magna inducitur concurrentibus planetis sex superioribus in Lunam, in Melchuth: vt inde exeamus, retro relinquentes septem Planetas huius aspectabilis coeli, ætates priores mixtas tenebris, & luce: ducamur à circulo Capricorni ad polum antarcticum, ibi ducatur vita Spiritualis contraria

eraria prisco mundo impiorū: exuti veteri Adamo viua-
m^o nouo. vt peruenti ad polū antarticum, exeamus ex hoc
corporeo mundo, ingrediamur ad immortalia & beata.

Alia conclusio afferri posset eorum, quæ de rotis di-
cta sunt in contemplandis verbis illis Beresith, Bara, E-
loim. in principio creauit Deus. sed illa reuocanda vi-
dentur ad finem interpretationis Sacrorū librorū. quam
quidem conclusionem, quia patres ab initio contempla-
ti sunt, & debuerunt omnes deinceps meditates in Le-
ge Domini die, noctuque, mente attigisse, & comprehen-
diffe; initio fuit illa proposita. Erit autem nostrū, & e-
orum, qui futuri sunt in Sabbatismo, quæ egit Deus, & a-
peruit nobis hac ætate postrema, in quam ingredimur,
reuocare ad prima tempora; ad illa, quæ aperuit primis
patribus Deus: in vnā venire cum illis cognitionem &
contemplationem rerum Diuinarum. ut postquam per-
currerimus principium, & finem; finem, & principium
operum Dei in mundo inferiori, conscendamus ad super-
num Angelicum. vbi visuri sumus non per specula, & æ-
nigmata, sed vti sunt illa, in quibus est ipsa summa bea-
tudo.

Finis libri Geneseos.

Errata sic corrige.

Fol 7. pag. 2. lin. 1. *JeZracl.* fol. 7. p. 2. li. 15. *innotatur.* fo. 7. p.
2. l. 32. *testantur.* fo. 11. p. 2. l. 4. ab. f. 11. p. 2. l. 29. *interpretatione*
f. 12. p. 1. l. 3. *Fabricius Capito.* 12. 2. 16. *ordimur* 14. 2. 8. *toto* 18. 2.
17. *hac* 20. 2. 25. *sunt* 29. 2. 32. *causas.* 30. 1. 10. *Prophetia.* 30. 1. 15.
aspernendū. 31. 1. 1. *que* 39. 2. 22. *administrator* 42. 1. 19. *ut suis lo-*
cis 42. 1. 28. *caprius* 44. 1. 3 *sed ex harū* 44. 1. 3 *sed ex harum.* 44.
1. 34. & *pro statu.* 8. 1. 31. *reuolutio.* 58. 2. 20. *maria.* 72. 1. 29. *in.* 22. 1. 31.
quodq; cōsecrata separet. 77. 1. 16. *affectiones.* 79. 1. 25. *qua memoratur.* 87
2. 25. *dictum.* 89. 2. 10. *Deus* 96. 2. 13. *viuendum.* 97. 1. 2. *fignetur.* 101. 1. 2.
cognoscenda: initio (dele &) 109. 2. 1. *Hedem.* 110. 1. 30. *Heder.* 119. 1. 12.
(*qui secū erat.* 123. 1. 31. *fontes.* 124. 2. 6. *que.* 131. 1. 6. *No d.* 138. 1. 6. *homi-*
ne. 152. 2. *significantur.* 164. 2. 25. *illis.* 167. 1. 34. *ant.* 168. 2. 17. *signeni.*